

JAC. PERIZONII
ÆGYPTIARUM ORIGINUM
ET
TEMPORUM ANTIQUISSIMORUM INVESTIGATIO,

IN QUA


MARSHAMI CHRONOLOGIA FUNDITUS EVERTITUR, TUM ILLAE USSERII, CAPPELLI, PEZRONII, ALIORUMQUE, EXAMINANTUR & CONFUTANTUR.

Accedit Viri plurimum Reverendi ac Doctissimi,

HIERONYMI VAN ALPHEN,
SS. Theologiae in Academia Trajectina Professoris Celeberrimi,

DISSERTATIO DE ANNIS JUDICUM HEBRAEORUM.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud JUSTUM REERS.
MDCCXXXVI.


ASHMOLEAN MUS
EX LIBRIS
F. LL. GRIFFITH
ET
N.C.C. GRIFFITH
1937
OXFORD

Nobilissimo Consultissimoque Viro,

DANIELI ALPHENO,

DAN. F.

CIVITATIS LUGDUNENSIS SENATORI CONSULARI,

S. P. D.

JAC. PERIZONIUS.

Mitto ad Te, Vir Amplissime, Hanc Aegyptiarum Originum & Saeculorum Antiquissimorum Investigationem. Nequaquam ignoras, solitos fuisse Veteres dividere omne praeteritum Tempus in Obscurum seu *Ignotum*, & Fabulosum seu Poëticum, denique Historicum seu jam Certius. Facile hinc intelligis, quantae difficultatis, &,

 pene

pene dixerim, audaciae res & esse & haberi debeat, Vetustissimi illius Temporis, quod ipsi Veteres *Obscurum* fatebantur, Chronologiam tamen velle ex paucis adeo & jejunis ac rerum ferme inanibus Prisci Aevi monumentis nunc constituere atque ordinare. Sed praeiverunt suo exemplo jamdudum Alii, & ita quidem, ut singulas Res ac Reges antiquissimarum Gentium ad certos referre annos fuerint ausi, quasi in media clarissimarum rerum, ac notissimi temporis, luce versarentur. Ego vero tantum mihi sumere neutiquam volui, sed satis habui, si, confutatis aliorum opinionibus, certius paulo res praecipuas Aegyptio-

rum in aliam, sed laxiorem longe, sedem aut periodum reponere, & cum aequalium Populorum Historiis speciosius comparare, atque ex iis illustrare, possem. Ad Te autem haec defero, quia Tuum simul Animum, Judicium, Doctrinam, maximi semper feci, ex quo Te propius nosse, tuosque numerari inter Amicos coepi. Nihil certe magis me incendit ad Te amandum & suspiciendum, quam quod eo Te Animo praeditum sensi, ut Verum nec gratiae, nec auctoritati, nedum vanae formidini dones, quod certissimum mihi est Honesti Viri argumentum, quum contrarium plane faciant quam plurimi, immo omnes illi, quibus

Cura, quid expediat, prior est, quam quid sit honestum.

Videas enim illos in sermonibus suis non modo dicere bona fide, quae Vera censent, non audere, quod tamen neque opus semper erat, quum silentio defungi saepe possent; sed plerumque etiam contra animi sui sententiam loqui, tantum ut placeant iis, quorum benevolentiam aut laudem aucupantur. Urbani hi quidem habentur vulgo, & Humanitati se accommodare creduntur, sed quae Humanitas est fallacissima, ac Societati Hominum, quae sola Fide constat, plane adversa. Neque vero in aequabile Ea convenit Judicium, quum Alii

ple-

plerumque eam animadvertant, & aversentur, etiam illi ipsi, qui ceteroquin istius culpae minime sunt immunes. Non poterat ergo in Te cadere, cujus limatum plane, & sibi semper constans; Judicium agnoscunt omnes, agnovit certe Curia, ac Tota dudum Civitas. Neque ideo memorabo hic, quanta nuper Auctoritate, atque ea quidem justa, &, quibus debebat, subsidiis fulta, in publico Judicum Auditorio valueris. Id vero profiteri palam non vereor, neminem me inter Eos, qui ad Remp. gerendam sunt admoti, nosse in Batavis, qui majorem sibi liberalium scientiarum copiam comparaverit, quippe qui non Juris modo Romani & Ba-

tavi vere es consultissimus, quod omnes hic fatentur, sed & Historias Veteres ac Recentiores, variis Linguis studiose perlustravisti, non ut legisse Te eas ostentare posses, sed ut in usum tuum ac Reip. converteres. Refero haec publice, non ut putidas tibi blanditias in os ingeram, quod ab indole mea est alienissimum, sed ut causam quasi dicam meae de Te existimationis, meique simul desiderii, quo rogatum Te volo, ut patiatis publicum hoc mei in Te studii & obsequii, ac mutuae inter nos Amicitiae, quantum Tuae meaeque rationes in diverso vitae genere ferunt, exstare monumentum. Ita vale ac vive sospes & incolumis diu, non Tuis

JACOBI PERIZONII

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

rum ſane, & maximi labo-
:is, ſuſcepi opus, quando
ıntiquiſſimam Aegyptio-
'um Chronologiam inve-
ſtigare, & conſtituere utcunque, ſum aggreſſus. Nam nihil poteſt dari, quod majorem poſtulet diligentiam, attentionem, & curam, quam hocce inſtitutum, in quo nexum idoneum, & ſeriem reperire continuam ac probabilem rerum, quæ antiquitate ſua ſunt obſcuræ & plerumque fabuloſæ, ſæpe etiam vel incuria, vel conſulto, corruptæ, ingentis eſſe debet difficultatis. Et tamen labor iſte plerisque videbitur eſſe in re tenui poſitus, certe tenuis erit ejus gloria. Nam quis, ut ſæculum eſt, leget hæc tam impedita, difficilia, incerta quoque? (nec enim certi quid promittere in hiſce adeo abſtruſis poſſumus) Quis leget hæc? inquam: Vix totidem,

quot

quot ſunt ſeptemplicis oſtia Nili. Ut adeo mirer & ipſe, quod tentare & perficere hoc tam infinitæ curæ & operæ opus ſuſtinuerim. Sed ludit nos amabilis quædam inſania ſtudii, non tam antiquitatis cognoſcendæ avidis, quam Auctori ſuo, inutilis. Rapimur ſæpe quadam ingenii indole, aut voluptate res obſcuras expediendi, ad laborem prorſus nobis ſterilem, ingratum, & longe alienum ab Epicureo iſto dogmate, quod omnia ad ſuam unius refert utilitatem. Ceteroquin enim, ſi publicum rei Hiſtoricæ & Philologicæ bonum ſpectemus, nihil hiſce ſtudiis conſultius præſtari poteſt, quam Illuſtrium populorum origines ex abſconditæ antiquitatis tenebris eruere, tempora & Synchroniſmos cum aliarum Gentium certioribus Hiſtoriis comparare & conſtituere, vel, ſi inveſtigari ea nequeant, id ipſum declarare, ne petitis inde argumentis, & frivolis plane aſſeverationibus, in errores,

cer-

certiorem alterius populi Historiam obscurantes aut subvertentes, abripiamur. Nec enim per se tantum habeni debet, si non valde utile, certe jucundum, celeberrimarum Gentium primordia nosse, & cum rebus posteriori tempore gestis connectere; sed & nobis utique omnibus, qui antiquissima Scriptorum Gentis Hebraicæ volumina per causam divinæ religionis tractare sedulo debemus, conducit quam maxime, illustrare ea posse ex finitimarum Nationum, & ferme vetusti æque temporis, traditionibus, modo in veri quandam speciem redigi illæ queant. Quanto autem difficilius est, ut diximus, illud opus, tanto melius merentur de re Literaria & Sacra simul, qui eam antiquitati indagandæ navare operam haud recusant. Pauci id tentarunt, & illi, qui tentarunt, scita sua plerique non tam probant, quam asseverant, & quovis pignore contendunt temere, vera esse, quæ nul-

lis idoneæ auctoritatis sunt fundamentis subnixa. Alii deinde non ad examen singula revocant, aut ad omnia antiquitatis documenta, quæ quidem haberi possunt, exigunt, sed summum, si diligentiam rebus suis præstant, variorum exquirunt sententias, & ex iis illam, quæ sibi minima præ aliis laborare videtur difficultate, arripiunt ac repetunt. Verum ita, si errarunt priores, errant & posteriores. At hos quidem Ego, nisi tamen ex professo tractent Chronologica, nec nimis confidenter affirment omnia non satis explorata, facile excusaverim, quum aliud agentes, non possint singula tam abstrusa identidem investigare, nisi simul longam totius Chronologiæ seriem, unde pendet singulorum intellectus, diligenter prius examinent, quod ab eorum consilio tunc est alienum. Ipse Ego, qui Aegyptiaca constituere nunc unice volui, Hebraica & Græca

quan-

quando advocavi, vulgarem in iis secutus sum Chronologiam, nisi quando necessitas aliud flagitabat. Quia vero istac ratione, qua alii alios temere sequuntur, & pro vero accipiunt, quod tamen satis esse probatum, non sciunt, sed credunt, quam plurima in hisce etiamdum sunt incertissima, idcirco interest rei literariæ, ut ea subinde denuo magna cum cura excutiantur & corrigantur, ne invalescat error, & veritatem plane opprimat. Exemplo sit *Pastorum*, qui Aegyptum tenuisse olim dicuntur, Historia. Quis tandem hodie reperitur, qui non diversos plane affirmet ab Israëlitis in Aegypto agentibus, quia in eam sententiam dudum præiverunt Scaliger, Usserius, Marshamus? Non dubitat ergo novissimus Pentateuchi Interpres, Joh. Clericus, asseverare ad Exodum I. 8. *Josephum, qui hos Pastores existimavit fuisse ipsos Israëlitas, confutari omnibus Historiae circum-*

cumſtantiis, ut recte oſtenderit Marshamus. Tu vero vide, mi Lector, quæ diſputavimus in hoc libello pag. 394. & ſeqq. contra Marshamum, & deprehendes e contrario, omnibus circumſtantiis, quæ quidem ſummam Hiſtoriæ conficiunt, firmari ſententiam Joſephi: neque eſſe ſatis cauſæ, ut aliud ſtatuamus, quia quædam etiam reperiantur iſtic, quæ diſcrepent, quum ea in omnibus fere Hiſtoriis inveniantur, quando illæ a diverſis diverſarum, immo & earundem ſæpe, Gentium Scriptoribus exponuntur. Amaſis, de quo *Cap. Ultimo* agimus, quin Rex fuerit Aegypti temporibus Cyri, nullum eſt dubium. Aſt reperies de fortunis tamen Aegypti illo tempore pene prorſus contraria hinc Sacros Gentis Judaicæ Prophetas, inde Græcos Scriprores, tradidiſſe. Et tamen hæc non impediunt, quo minus de Eodem Populo & Tempore Utrique fuerint locuti. Similiter Seſoſtrin
Idem

Idem Clericus, Marshamum secutus, ad tempora Rehabeami rejicit, quod & ipsum tamen ex omnibus Historicæ Fidei principiis certissime est falsum, in quantum quid Certum in rebus tam antiquis haberi aut pronunciari potest. Et tamen ille est, qui in *Bibl. Sel.* Anni 1706. *To.* 6. p. 328. *Grammaticos*, ut ait, insimulat, tanquam *quorum Scientia consistat unice in Verbis, Ritibus priscis, & ad summum insuper in Chronologia.* Satis intelligo, quem istis verbis potissimum eo tempore designaverit. Sed ita ille solet, cujus omnis doctrina vere in describendo sine justo rerum examine, in obtrectando integris hominum Ordinibus, in increpando quosvis Eruditos, & severum agendo Censorem, qui aliorum vitia, sed quibus ipse abundat omnium maxime, postulet corrigere. Rectius longe faceret, si se ipse prius emendaret, & Grammaticis ea relinqueret, quæ ipse pro nugis utique habet,

habet, potius quam rem literariam libris negligenter plane scriptis oneraret, & tamen imperium in illos inhiberet, iisque leges semper præscriberet, qui bona fide artes eas præcipue colunt, quas ille tantum *recreandi animi causa, gravioribus*, scilicet, *laboribus fatigati*, respicere se gloriose jactat. Non ignoro equidem, Homines ejus indolis, qui multa & varia scribunt, ac rebus, licet falsissimis, colorem tamen quendam inducere norunt, magnam sibi apud semidoctos comparare famam, quoniam his in singula, an ita se habeant, inquirere, nec lubet nec vacat. Credunt plerique potius, & admittunt pro vero, quod speciem ejus aliquam habet, & ipsi certe refellere nequeunt. Contra operosam Veri, aut omnem in partem Probabilis, demonstrationem abhorrent & aspernantur, tædio diutinæ lectionis in unam rem impendendæ,

dæ, quum tamen nulla res per ſe obſcura, atque ideo controverſa, in lucem, &, qualem capit, certi ſpeciem, redigi queat, niſi accurata tandem inveſtigatione & tractatione, qua difficultates & obſtacula quævis penitus removentur. Neque vero dubito, quin hæc quoque *Aegyptiaca* multi præ tædio rerum abſtruſarum, & quæ nihil jucundi habent, ut ſunt Chronologica, abjecturi potius ſint quam perluſtraturi. Sed & ipſe agnoſco lubens, varia in iis disputari, quæ liquido lumine illuſtrari nulla ratione poſſint, & quæ inſuper, ſi per ſe conſiderentur ſola, & extra rerum nexum, exiguæ ſint ut voluptatis, ita & utilitatis. At quid tandem dabitur in omnibus ſcientiis, certe illis, quæ in rebus facti potiſſimum conſiſtunt, ut facit omnis fere Juriſprudentia & Philologia, ſed & magna ex parte Theologia quoque & Phyſica, quod unum, ab reliquis abſtra-

ſtractum, cognitu plane ſit neceſſarium, adeo, ut ſine magno noſtro malo ignorare illud nequeamus. Ita ergo rejicientur paulatim omnia in univerſum, ſi ſic decurrere velimus per ſingula, quæ non videantur omnino neceſſaria. Et tamen hoc ipſum eſt ſtudiis antiquitatis utiliſſimum, quod id ſaltem liquido ex ſingulis accurate diſputatis diſcemus tandem, non poſſe Chronologiæ primordia, utique apud Aegyptios, certo conſtitui ordine, atque idcirco male facere eos, qui ex illa ſola probabiles ceteroqui rerum Synchroniſmos rejiciunt. Sed &, ſi qui vetuſtis adhucdum delectantur libris & ſcientiis, quod certe Theologos, vetuſtiſſimorum codiçum interpretes, decet quam maxime, non ſine fructu & voluptate, ut opinor, legent illi, quæ de *Mizraimo*, *Mene*, *Moſe*, *Seſoſtri*, *Soq*, *Taraco*, *Nebucadnezare*, *Hophra*, *Amaſi*,

quæ

quæ item de *Paſtoribus* & *Pyramidibus*, aliisque rebus & Hominibus, copioſe hic expoſuimus. Vale, Lector, & indaganti bona fide verum fave.

VIRO

ex quo, inter exitum *Ifraëlitarum* ex *Aegypto*, & quartum Regni *Salomonis*, longe plures quam 480. numerandos esse annos, manifestissime constet. Neque Librariis hunc errorem adscribendum esse clamant, cum constantissima sit lectio, a qua ne ipsa quidem *Graeca*, quae LXX. viralis dicitur, neque *Syriaca* versio, neque *Samaritanus* Textus, neque Vulgatus *Latinus* Interpres recedant. Ipsi igitur Auctori Libri *Judicum*, crassissimum hoc Sphalma tribui debere.

Clarissimus vero *Jacobus Perizonius*, in *Aegyptiacarum Originum & temporum investigatione*, pagina novae hujus, quam curas, (cujusque folia ut typographus mecum communicaret, qua es erga me humanitate, jussisti) editionis, 321. 322. 323. omnino existimat, hunc locum in mendo cubare: repugnantem orationi *Pauli*, vel *Lucae* de ea narrationi, quae legitur in Act. Apostolorum c. XIII. 20.

Verum enim vero durum admodum videtur, constantissimam sollicitare lectionem: Longe autem durius esse illis, qui agnoscunt πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον, tam enormem Scriptori ipsi Sacro impingere errorem.

Omnes nervos igitur intenderunt Viri Docti ad hujus nodi solutionem. Vario autem

tem modo eam aggressi sunt: Omnes eorum conjecturas, licet minime absurdas, recensere longum nimis & taediosum foret, epistolaeque limites excederet; neque tempus meum, aliis ex officio rebus impendendum, id nunc pateretur. Quapropter meam, de summa supra memorata 480. annorum, e libro *Judicum* aliisque Sacrae Scripturae locis collatis, eruenda, sententiam, de qua, sermonem inter nos habitum memini, paucis ad Tē perscribere decrevi.

Ea si Tibi, non mediocriter in Historicis versato, probabitur, persuasum habeo, magnum ei pondus accessurum; sin minus, Te tamen comiter & amice a me dissensurum; quem ita fideliter artes didicisse scio, ut doctrina mores Tuos emolliverit; nec sinat oblivisci, errare humanum esse.

En igitur, sine ambagibus, quo pacto summam 479. annorum, & quod excurrit, conficiendam esse existimem; Non credo enim Textum Sacrum indicare 480. annos expletos ab Exitu usque ad initium aedificationis Templi; sed hoc cadere in annum 480^{mum}. Verba quippe Hebraea ita sonant. ויהי בשמונים שנה וארבע מאות שנה

Et factum est in quadringentis & octoginta annis. Hoc est, intra orbitam tot annorum; illis nondum plane elapsis.

De difficultate a Clarissimo *Perizonio* mota, postea consideraturus, sic, adscriptis locis e quibus probetur, calculum ineo.

Anno ab Exitu

2°. menſe, uti mihi videtur, quinto (loquor autem de menſibus Judaicis a menſe *Niſan* incipientibus) mittuntur Exploratores. confer loca. Numer. XIII. 3. 20. XXXII. 8. Deuter. II. 14. Miſſio hæc facta eſt ex *Zin*, ſive *Kadeſch*. Eo autem non venerunt niſi anno Secundo, ad cujus anni menſem Secundum manſerunt in deſerto Sinai. *Numer*. I. 1. poſtea demum venerunt in *Kadeſch*. Numer. XXXIII. 15. 36. Neque etiam hæc legatio facta eſt poſt annum ſecundum ab exitu: Quia dicitur Deuter. II. 14. quod 38. annos verſati ſint inter Kadeſch & Arnon.

40no. *Moſes Iſraëlitas*, poſtquam torrentem *Zered* tranſiiſſent, alloquitur. Deuter. II. 14. 7. VIII. 4. XXIX. 5.

Anno

Anno ab Exitu

41. Mose, postquam annos 120. implevisset, mortuo, Pascha celebrant in *Gilgal*. Deuter. XXXIV. 7. Jos. V. 6, 10. 12. Exod. XVI. 35. Deuter. II. 7.

47. *Caleb*, annis 45. post explorationem Terrae elapsis, ipse annos habens 85. ad Josuam accessit, petens montanas quasdam regiones &c. *Josuae* XIV. 7. 10.

Hic fuit annus Primus cessationis a bello. Conf. Jos. XIV. 15. & XI. 23.

Hic igitur est Annus

Ius. DESIDIAE, sive INERTIAE PRIMAE ISRAELIS.

Ab hoc tempore quidem pacate fere vixerunt, dum viveret *Josua*.

Atque eo mortuo *Adoni-Bezekum* paucosque alios debellarunt; Attamen ratione plerarumque gentium *Palaestinae*, contenti fuerunt, tributo eis imposito; non vero ausi vel annisi illas, quod DEUS jusserat, extirpare. Vid. Judic. I. 1--27. & vs. 28--II. tot.

Duravit haec INERTIA annis QUADRA-

DRAGINTA, Judic. III. 11. usque ad annum

87. Quo temporis intervallo, non tantum desides facti, sed & Gentium idololatria contaminati, eaque propter a DEO in servitutem *Cuschani Rischataim* traditi, & Octo annis servire coacti. Tandem tamen ab OTHNIELE in libertatem vindicati.

Attamen ad debitam alacritatem non sunt excitati.

Nova hac, quae secunda est, DESIDIA, denuo in scelera prolapsi; atque ea propter servitute octodecim annorum sub *Eglone Moabita* puniti sunt, usque dum *Ehud* eos liberavit; quod equidem *Philistaei* invidebant, atque ea propter irruptionem in illos facere conabantur, sed confestim, unico quasi ictu, a *Samgare* repressi. Vid. Judic. III. 14. & seqq. & 31. Duraverat autem haec *Desidia* Octoginta annis, Judic. III. 30. atque adeo usque ad annum ab Exitu

167. Neque tamen sic animati & inflammati sunt, ad extirpandas Gentes idololatricas. Unde incipit tertiae DESIDIAE periodus.

Labente hac periodo in nova pecca-

ta

ta ruerunt, atque dimidiam partem ejus, ſub Jabine & Siſera, dura XX. annorum ſervitute preſſi ſunt, ſed tandem per *Baracum & Deboram* libertati reſtituti. vid. Judic. IV. 3. coll. cum c. V. 31. Ex quo poſteriori loco iterum patet, quod DESIDIAE hujus periodus duraverit Quadraginta annis; adeoque pertigerit ad annum ab Exitu

207. Quando iterum Gentilis idololatriae extirpatores ſtrenui nequaquam fuerunt; hinc in ſcelera prolapſi, propter illa a Midianitis, Septem annis, infeſtati; ſed per *Gideonem* his vexationibus erepti ſunt.

Duravit haec quarta, a DESIDIA atro carbone notata periodus, *Quadraginta* annis. Judic. VI. 1. coll. cum cap. VIII. 28.

Sic igitur deventum erit ad annum ab exitu

247. A quo tempore non amplius in libro *Judicum* aeras reperimus infami iſta nota DESIDIAE notatas.

Ab hoc tempore inchoare liceat tres annos ABIMELECHI. qui tribus annis dominatus eſt *Iſraëli*. Judic. IX. 1. 22. Sic erit annus ab exitu

250mus. THOLAE primus; Hic judicavit

cavit Israëlem viginti tribus annis. *Judic.* X. 2.

273mo. Succedit JAIRUS, qui *Judic.*
X. 3. dicitur *Israëlem* judicasse Vigin-
ti duobus annis: Quo ipso deduci-
mur ad annum ab exitu ex Aegypto
295tum. Quod intervallum inde a tem-
pore *Gideonis* usque ad mortem *Jairi*,
notari equidem posset infamia DE-
SIDIAE, ratione Gentium; sed ha-
ctenus ut deterius spectari potest,
quatenus nimirum & discordes inter
se, atque sceleratiores facti sunt.
Unde ab hoc tempore a DEO puni-
ti sunt servitute gemina.

Ab Oriente oppressi ab Ammonitis; ab Occidente a Philistaeis.

Orientalis oppressio duravit octodecim annis; Occidentalis vero Quadraginta annis. Illa huic per octodecim annos σύγχρονος. Haec illa per Viginti duos annos diuturnior. Vide Judic. X. 7. 8. & XIII. 1.

Horum viginti duorum postremi viginti *Simsoni* tribuuntur, ejusdem morte simulque oppressione, qua *Philistaei* eos quadraginta annis vexaverant, finiti. Vide Judic. XV. 20. XVI. 31.

Anno

Anno ab Exitu

313. Postquam *Ammonitae* simul & *Philistaei* octodecim annis *Israëlitas* oppresserant, *Jephta* eis in Liberatorem ab hostibus ad Orientem *Jordanis* sitis datur.

315. *Simsonis* praefectura incipit, postquam *Philistaei*, primum simul cum *Ammonitis*, Populum DEI vexassent, & duobus adhuc annis ultra.

319. *Ebsan* sequitur post Jephtam, quando hic praefecturam sex annis tenuerat. vid. Judic. XII. 7.

326. *Elon* hunc *Ebsanem* post septem annos excipit. Jud. XII. 9. 11.

335. Finitis, cum morte *Simsonis*, quadraginta annis oppressionis *Philistaeorum*, *Simsoni*, in sua praefectura succedit ELI. Praefecturam contra *Ammonitas* adhucdum gerente *Elone*.

336. Qui est annus Praefecturae ELI Secundus, *Abdon Elonis* fit successor, post annos decem praefecturae hujus *Elonis*. Judic. XII. 11.

344. Qui est annus praefecturae ELI decimus, *Abdonis* octo annis praefecturae elapsis, finitur historia successorum *Jephtae*, Liberatoris populi ab oppressoribus *Ammonitis*.

375. Finita Quadraginta annorum *Iti* ELI praefectura (1. Sam. IV. 18.) ei succedit SAMUEL. Quo tempore abducta est Arca; post septem menses demum restituta, & in urbem *Kiriath-Jearim* abducta. 1. Sam. VI. 1.

395. Qui est SAMUELIS vigesimus primus, postquam Arca in laudata Urbe viginti annis mansisset, adeoque XX. annis & 7. mensibus post ejusdem abductionem, denuo vociferantur *Israëlitae*. 1 Sam. VII. 2. SAMUEL *Israëlitas* in *Mitzpam* convocat: victoriam Divinitus datam de PHILISTAEIS reportat.

396. Spreta est ab *Israëlitis* Theocratia; Sic illis Rex datus est SAUL. 1 Sam. VIII. & IX.

436. Postquam SAUL quadraginta annis regnasset (Act. XIII. 21.) regnare incipit DAVID. 1 Reg. II. 11. Hic regnavit Quadraginta annis & sex mensibus. 1 Reg. II. 11.

476mo. Anno jam mediam partem elapso, SALOMONIS annus Primus incipit.

479mo. Ab Exitu, mediam partem elapso, SALOMONIS incipit Quartus. Qui

480

480mo. mense secundo adhuc vertebatur.

Atque hoc pacto anno Quadringentesimo & octuagesimo ab Exitu *Israelitarum* ex *Aegypto*, eodemque anno Quarto SALOMONIS, fundari coepit templum. Vid. 2 Chron. III. 2. 1 Reg. VI. 1.

Merito expectas, Vir accuratissime, ut exponam fundamenta, quibus haec Chronotaxis nititur, illaque probabilia reddam, solutione difficultatum, quibus laborare videri possunt. De annis 46. & aliquot mensibus rationes dubitandi non habeo; demonstrantur illi ex locis adscriptis.

Prima hypothesis est, quod annos
40 memoratos Judic. III. 11. coll. Jos. XI. 23.
80 - - - - - - Judic. III. 30.
40 - - - - - - Judic. V. 31.
40 - - - - - - Judic. VIII. 28.

Concipiam ut se proxime sequentes, & comprehendentes annos, quibus in flagitia effusi, ab hostibus oppressi & a Judicibus, Spiritu DEI Heroico actis, liberati sunt Israëlitae.

Praeivit mihi hac in parte, magnus *Coccejus*; quamvis non eodem, quo ego,

nixus

nixus fundamento. Ille verba summam annorum exprimentia dirimit a praecedentibus, eaque seorsim ponit. Quasi, finita historia, subscriptio haberet: Sic elapsi sunt XL. LXXX. XL. XL. anni. Sed haec sententia minus convenit cum interstinctione Textus Hebraici.

Alio igitur fundamento meam opinionem suffultam volo.

Verba, locis citatis, Judic. III. 11. 30. V. 31. VIII. 28. ותשקט הארץ/ a Vulgato Interprete reddita: *Quievitque terra quadraginta annis:* ego verterem: *Fuerat autem desidiosa terra annis quadraginta* &c. Vel si malis, *cessaverat autem terra*; Scilicet a debellatione & extirpatione Gentium, quam DEUS jusserat, ne per illas ad idololatriam & alia scelera pellicerentur. vid. *Deuter*. VII. 2. 5. Jos. XXIII. 12. Hanc cessationem *Israëlitis* exprobravit Angelus in *Bochim*. *Judic*. II. 2.

Incepit autem prima illa periodus istius *Desidiae*, vel *Inertiae*, vel *Cessationis* a debellatione vel extirpatione gentium idololatricarum, inde a partitione terrae. Eodem enim verbo Hebraico scriptum legimus: והארץ שקטה ממלחמה Jos. XI. 23. Quae verba vertimus: *Et cessavit terra a bello*. vel, *desidiosa facta* est *terra*, ne amplius bellum prosequeretur. Quae eadem phrasis

ſis occurrit *Joſ.* XIV. 15. Ad defenſionem meae verſionis, haec tria mihi concedi velim.

PRIMUM, quod liceat, per metonymiam, nomen הארץ *terra*, ſumere pro *incolis terrae*. Metonymicam hanc phraſin non eſſe inſolitam, videre eſt, Geneſ. XI. 1. 1. Sam. XIV. 25. Jerem. XXII. 29. LXVI. 8. Ezech. XIV. 13. 1 Chron. IV. 40. (ubi propria & metonymica ſignificatio ſimul obtinent) quibus alia ſimilia addi poſſent.

SECUNDUM, quod mihi concedi peto, eſt, quod verbum *in futuro cum Vav patachato*, liceat Latine in plusquam perfecto exprimere. Exempla id plura docent. Speciminis loco ſint Geneſ. XII. 1. Jud. XVII. 1.

TERTIUM poſtulatum eſto, quod verbum שקט ſignificet, *Ceſſare ab opere mandato vel ſuſcepto, deſidioſum eſſe, vel negligentem rei curandae.*

Ut hoc probem inſpici velim Judic. XVIII. 27. Ezech. XXXVIII. 11. Jeſ. LXII. 1.

His ita poſitis nihil video, quod obſtare poſſit, quo minus verba, de quibus agimus, ita reddere liceat: *Terra fuerat deſidioſa* &c.

Illa autem *Deſidia*, *Inertia*, *Ceſſatio* incolarum Terrae promiſſionis ab opere extirpationis idololatriae, quod DEUS juſſerat,

ricae. Judic. VIII 28 - - IX.

Sed respondeo, nihil nos cogere, ut aliquot annos inter victoriam *Gideonis* & ejusdem mortem interponamus. Et, si vel hoc daretur, aliquam moram interjiciendam esse; potuit tamen *Abimelechus* statim, ex quo *Gideon* dominationem oblatam recusaverat, eandem ambire, atque a *Sichemitis* obtinere.

TERTIA mea hypothesis est, quod intra XL. annos oppressionis Philistaeorum, comprehendam annos oppressionis Ammonitarum, 18. Annosque sex *Jephtae*, nec non annos *Elonis* & *Ebsanis*.

Cui sententiae minus convenire videtur, quod traditio *Israëlitarum* in manum *Philistaeorum* Judic. XIII. 1. ita narretur, ac si demum post mortem *Abdonis*, qui *Ebsani*, post decem annorum praefecturam, successerat, secuta fuisset.

Sed tollitur ista difficultas, si conferamus loca Judic. X. 7. 8. cum Judic. XIII. 1. Ex qua collatione colligendum videtur; quod intentio Scriptoris libri Judicum fuerit, postquam dixisset *Judic.* X. 7. 8. quod Dominus *Israëlitas* vendiderit in manum *Philistaeorum* & *Ammonitarum*, qui eodem anno, illi nimirum ab Occidente, hi vero ab Orientali latere *Jardenis*, *Israëlitas* oppresserint & conculcaverint, distincte

ſtincte exponere, quamdiu ſingulae oppreſſiones duraverint, & quo pacto ab eis liberati & vindicati ſint. Initium facit ab illa, ſub qua gemuerunt, qui ad Orientem *Jordanis* ſuas ſedes fixerant, quae Octodecim annorum fuit; a qua per *Jephtam* liberati ſunt, isque praefecturam accepit, & in ea ſucceſſores habuit *Ebſanem*, *Elonem*, *Abdonem*.

Hac autem tela pertexta, progreditur, ita ut ſimul oſtendat, qualis & quam diu turna fuerit vexatio, quam a *Philiſtaeis* perpeti debuerunt; & quo pacto, per *Simſonem*, XX. annis Praefecturam gerentem, & ſaepiſſime cum illis conflictatum, tandem, cum morte hujus *Herois*, pleniſſime ad multos annos libertati reſtituti ſint.

Reſumit igitur Scriptor libri *Judicum* filum narrationis ſuae, atque alteram partem eorum, quae dixerat *Judic.* X. 7. 8. exponere aggreditur. Niſi ita ſumamus, manca vel mutilata videretur narratio. An ulla ratio dari poſſet, quare, cum Scriptor Sacer duplicem ejusdem temporis ſervitutem memoraſſet, alterius tantum, & liberationis ex ea mentionem faceret, alterius vero prorſus nullam? In hunc modum explicanda igitur exiſtimo verba *Judic.* XIII. 1. *Cum feciſſent filii Iſraë-*

lis quod malum esset in oculis Jehovae, isque eos *tradidisset in manum Philistaeorum*, a quibus infestarentur *Quadraginta annis: tunc erat Vir. aliquis* &c. Satis habeo persuasum, quod nemo qui Hebraice scit mihi negaturus sit, verba hanc versionem pati saltem posse. De re ipsa judicet quilibet cordatus.

Quarta porro mea hypothesis est, Annos Simsonis non esse συγχρόνȣς annis *Eli*. Id enim creditur a nonnullis, sed absque ulla probatione. Accedit, quod in libro *Judicum* nulla prorsus τȣ̃ *Heli* occurrat mentio. Neque in tota historia *Heli* ulla mentio fit *Philistaeorum*; nisi ubi perventum est ad finem vitae ipsius: Praefuit autem XL. annis. De *Simsone* autem dicitur, quod *judicaverit Israëlem viginti annis* IN DIEBUS PHILISTAEORUM *Judic*. XV. 20. XVI. 31. Nihil igitur rationi convenientius videtur, quam 20. annos praefecturae *Simsonis* συγχρόνȣς facere posteriori parti quadraginta annorum servitutis sub *Philistaeis*.

Quinta mea hypothesis in hac Chronotaxi est, *Jephtam* non debere considerari ut qui proxime *Jairo* successerit; Illa hanc habet rationem. Post mortem demum *Jairi*, incepit gemina, hinc ab *Ammonitis*, illinc a *Philistaeis*, illata opres-

pressio; manifesto nos eo ducente serie historiae. Oppressio, quam ab *Ammonitis* passi sunt Israëlitae, duravit XVIII. annis; conceptis verbis testante Textu; Judic. X. 8. coll. vs. 7. ubi hic numerus evidentissimè alligatur oppressioni, quam ab *Ammonitis* passi sunt. Nec mirum, cum de tempore oppressionis per Philistaeos, eopse quidem tempore inchoatae, sed multo serius finitae, dicturus esset c. XIII. Finita est ista oppressio *Ammonitica*, reportatâ per *Jephtam* victoriâ. *Judic.* XI. 33. Praefectura autem *Jephtae*, cui sex anni tribuuntur, eo demum tempore coepit, quo DEUS *Israëlitas* per *Jephtam* liberare voluit. Considera attentè *Judic.* X. 16. XI. 9. 33.

His autem ita constitutis, omnia reliqua meae Chronotaxeos sua sponte fluunt, & ex locis adscriptis demonstrantur.

Atque hoc pacto, loco 1. Reg. VI. 1. sua constabit Auctoritas & cum libro Judicum consensus.

Tentandum nunc est, an dicto *Pauli*, *Act.* XIII. 20. evertatur.

Nisi emendetur alteruter horum locorum, atque a vitio, quod incuria librariorum induxit, purgetur, conciliari non posse *Paulum* cum Scriptore libri *Regum*; contendit Cl. *Perizonius*.

Ego neutrum in mendo cubare existimo. Et si hoc de alterutro credendum foret, facilius id crediderim de loco in Actibus Apostolicis, quam de illo, qui in libro Regum extat. Ratio, quae me ad id moveret, est; quod nonnihil variantis lectionis ad illum locum reperiatur, ad hunc vero nihil: Neque ad Textum ipsum, neque in versionibus Antiquis, aliquid varietatis adnotatum hactenus invenio. Accedit, quod Judaei, ad superstitionem usque, omnes vires intenderint, ad Textus Sacri puritatem illibatam conservandam.

Sed tentemus, annon haec loca conciliare atque utriusque puritatem & integritatem tueri possimus.

Clarissimus *Perizonius* opinatur, in c. VI. 1. primi libri Regum potius mendum agnoscendum esse, legendumque, non 480mo sed 580mo. anno; Atque ut hoc probet, maxime urget, quod si legamus, non *Quadringentesimo & Octogesimo*, sed *quingentesimo & octogesimo*, omnia ex facili fluant; cum ex annis in libris *Judicum* & *Samuelis* & *Regum* diversis locis notatis, haec summa accurate conficiatur: uti quoque Summa annorum 450. quibus *Judices* datos fuisse a DEO, *Paulus* Act. XIII. 20. asserit.

In *Aegyptiacis* equidem *Originibus* Vir Cele-

Celeberrimus p. 319. 320 & 321. novae *hujus* editionis, summatim hoc quidem tantum adfirmat; provocans ad Virum Summum, *Gerardum Johannem Vossium*, in *Isag. Chronol. Dissert.* VIII. maxime cap. 6. & 7. quae est in operibus Viri Summi t. VI. p. m. 39. 40. Sed hoc distincte magis exposuit, in Epistola quadam ad Celeberrimum *Leidensem* Theologum, *Franciscum Fabricium*, data, atque ab hoc in lucem edita, & subjuncta suae, ante octo admodum annos editae, CHRISTOLOGIAE *Noachicae & Abrahamicae*. Ubi haec Epistola Cl. *Perizonii* conspicitur, p. m. 668-676. ibidem ei assentiente aliquatenus Clariss. *Fabricio*. Hanc Epistolam, utpote aliquot annis serius editam, nondum viderat Clarissimus *Wolffius*, ad d. l. Act. XIII. 20. in hunc modum scribens. " Vellem omnino, ut Vir alioquin ἱϛορικώτατος annorum istorum calculum plene addidisset, & sic occasionem fecisset, rem ipsam hoc facilius ad liquidum perducendi. Sed commodum ea opera postea defunctus est Anonymus, in Epistola singulari &c. edita A. 1720. &c.

Tanta Nomina me fere deterrerent ab ulteriori inquisitione: Cum tamen optimus quoque dormitare possit *Homerus*, liceat mihi (qui Eruditionem & judicii ἀκρίβειαν

βειαν Cl. *Perizonii*, Praeceptoris quondam mei, semper suspexi, & Summi illius Viri, & pene dixerim incomparabilis, *Ger. Job. Vossii*, nomen sum veneratus) perpendere, an satis recte se habeat illorum computus.

Ita annos 450. Judicum a Clarissimo *Perizonio* ordinatos video, apud Cel. *Fabricium* pag. 671.

Servitus Cuschanis duravit annos - - - -	8	Judic.	III. 8.
Quies per Othnielem parta	40	———	III. 11.
Servitus Eglonis - -	18	———	III. 14.
Quies per Ehudem - -	80	———	III. 30.
Servitus Jabinis - - - -	20	———	IV. 3.
Quies per Deboram - -	40	———	V. 31.
Servitus Madianitarum -	7	———	VI. 1.
Quies per Gideonem - -	40	———	VIII. 28.
Abimelech - - - - -	3	———	IX. 22.
Thola - - - - - -	23	———	X. 2.
Jair - - - - - -	22	———	X. 3.
Servitus Ammonitarum & Philistaeorum - - - -	18	———	X. 8
Jephta - - - - -	6	———	XII. 7.
Ebzan - - - - -	7	———	XII. 9.
Elon - - - - - -	10	———	XII. 11.
Abdon - - - - -	8	———	XII. 14.
Servitus Philistaeorum -	40	———	XIII. 1.
Simson - - - - -	20	———	XV. 20.
Eli - - - - - -	40	———	XVI. 31.

Hinc exsurgit summa 450. annor. ad quam respexerit *Paulus* Act. XIII. 20.

His

His, ex hypothesi Viri Clarissimi pag. 675. ita collectis, si addas annos, qui praecesserunt,	450
Nimirum *Mosis* in deserto, - - - -	40
Josuae in *Cananaea* occupanda & dividenda - -	7
nascetur summa	497
Adjectis annis, qui post mortem Heli secuti sunt	
Samuelis & Sauli	40
Davidis - - -	40
Salomonis - - -	3
Habebis annos - -	580:

memoratos (uti legendum censet Vir. Clariss.) 1 Reg. VI. 1.

Gallus ille Anonymus, Cl. *Wolffio* laudatus, *hanc* annorum summam quidem ex iisdem numeris, sed alio ordine dispositis, colligit.

Numerat servitutum annos.	114
Judicum annos, quibus pace gavisi sunt	336
Hinc conficit summam annorum	450

Loca autem Scripturae eadem ſunt, ſed alia ſerie digeſta. Quod, quantum ad noſtram controverſiam attinet, eodem cadit.

Omne pondus argumenti ſitum eſt in illa ſummarum convenientia, confectarum ex numeris annorum in ipſa Scriptura Sacra expreſſorum, quibus nihil additum nihilque detractum ſit.

Obſtant tamen rationes, uti mihi quidem videtur, ſat graves, quae impediunt, ne illa apparens convenientia mihi perſuadeat locum 1. Regum VI. 1. prout communiter legitur, in mendo cubare, & ne credam *Paulum* dicere voluiſſe, quod DEUS Judices dederit populo Iſraëlitico, 450. annis eum judicaturos.

Prima eſt, quod in iſta computatione anni *Samuelis* excludantur ex ſumma horum 450. annorum, & verba ἕως Σαμουὴλ τοῦ Προφήτου, excluſive ſumantur. Non, quod credam illam particulam ἕως id non pati, ſed quod perſuaſum habeam, hoc minus convenire cum ſcopo & filo orationis *Pauli*.

Recenſet Apoſtolus beneficia Iſraëli a DEO praeſtita; Electionem, eductionem ex *Aegypto*, introductionem in poſſeſſionem *Cananaeae*, regimen Theocraticum per Judices adminiſtratum, quibus ſucceſſerit, *Iſraëlitis* Theocratiam ſpernentibus,

tibus, *Saulus*, quo, post 40. annorum regnum, e medio sublato, suscitaverit Davidem, atque ex hoc ipsum SERVATOREM JESUM: Ut sic liberrimam gratiam, stupendam longanimitatem & multifariam beneficentiam DEI, *Judaeis* ob oculos poneret. Quod si igitur *Paulus* voluisset significare, quamdiu regimen Theocraticum per Judices administratum duraverit, ab illa summa annos *Samuelis* qui Regnum *Sauli* praecesserunt, non exclusisset. Quae Clarissimus *Perizonius*, Cl. *Fabricio* objicit, meam sententiam non feriunt. Si igitur annos *Samuelis* connumerare debemus, major nascetur quam 450. annorum summa.

Altera ratio est, quod sepositis etiam *Samuelis* annis, tamen illis 450. annis a Clarissimo Perizonio supputatis nonnulli addendi forent, qui effluxerunt ante *Cuschanis* servitutem. Totum enim tempus, a Partitione terrae usque ad illam Servitutem, intermedium fuit: Quod ipsum agnoscit, quin & rationibus validissimis urget, Vir Doctissimus, cujus ratiocinationem p. 672. ut legat, quisquis haec mea legerit, vehementer rogo.

Tertia difficultas, quam reperio in supputatione Viri Clarissimi, haec est, quod servituti *Philistaeorum* subjungat 20. an-

nos *Simſonis*, cum tamen *Judic.* XV. 20. diſertis verbis dicatur, quod *Simſon* judicaverit *Iſraëlem* viginti annis IN DIEBUS PHILISTAEORUM, בימי פלשתים

Addere liceat, quod gratis ponatur, quod *Samuelis* & *Saulis* anni ſimul ſumpti fuerint XL. Cum filum orationis *Pauli* evidentiſſime *Sauli* hos Quadraginta annos tribuat: Ut omnino anni praefecturae *Samuelis*, inde a morte *Heli*, ſeorſim numerandi ſint, qui ad minimum ſunt 20. admodum anni.

Meo igitur qualicumque judicio neutiquam probavit Vir Celeberrimus, id quod affirmat: pag. 671. extrema: *Ex his numeris, quibus nihil a me additum vel detractum, exoriuntur anni* 450. *quae concordia mihi maximi videtur momenti.* Et poſtea pag. 675. extrema. *Ex hiſce ſine ulla vel minima duritie, violentia, additione aut detractione, oriuntur ipſi illi* 580. *anni, non plus, non minus.*

Si igitur vel loco Act. App. vel alteri, libri nimirum Regum, mendum tribui deberet, id non in hoc, ſed illo loco quaerendum foret.

Sed mihi nulla cauſſa ſatis gravis apparet, quae me impellat ad credendum alterutrum horum locorum incuria Librariorum vitiatum eſſe.

Salva

Salva res erit, * ſi locum in *Actis* ita interpretemur, ut ſub voce ταῦτα comprehendamus omnia illa amoris DEI documenta, quae is *Judaeis* exhibuit omni tempore, inde ab electione *Iſaci* (ut per quem Promiſſio impleri debebat, in Semine ipſius) usquè ad immiſſionem ejus in poſſeſſionem Cananaeae:

Ita, ſi verba, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ Πεντήκοντα, intelligamus de illo temporis intervallo, quo illa, quae verſibus 17. 18. & 19. narraverat, ſunt geſta: ** quo elapſo DEUS illis Judices dederit: quaſi diceret Textus:

Μετὰ ταῦτα γενόμενα ἐν ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ Πεντήκοντα:

A nativitate *Iſaci*, ad exitum ex *Aegypto*,

* Poſtquam haec ſcripſeram, vidi in eadem, quod ad ſummam rei, qua me, ſententia eſſe celebratiſſimum inter *Lutheranos* Theologum, *Abrahamum Calovium*. Qui & multos alios, quasdam etiam Verſiones, ut ὁμοψήφυς laudat. Addere licet celebratiſſimum *Gisbertum Voetium* in Diſputt. *Selectis* t. 1. p. m. 62.

** Et Venerandum eruditiſſimumque Virum, nuper Belgico ſermone perdocte in librum Actuum Apoſtolicorum commentatum, D. Johannem *Plevier*, V. D. apud *Medioburgenſes* meritiſſimum Miniſtrum.

to, numero annos 400. convenienter dicto, Genes. XV. 13. His si addantur 40. anni quibus fuerunt in deserto: atque 7. fere anni ad partitionem terrae; sic habemus annos 447. qui sine ulla duritie dici possunt Ἔτη ὡς τετρακόσια καὶ Πεντήκοντα. *

Nec ellipsis verborum γενόμενα ἐν videtur nimis dura. Non plane absimilem phrasin plenam habemus *Lucae* XXIV. 18. ubi legimus γενόμενα ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις. Dativum temporis per praepositionem ἐν subintellectam exponi non videtur reprehensionem mereri. An igitur tam durum videbitur supplere sensum verbo γενόμενα, ut, ad evitandum hoc supplementum, cogamur, contra fidem omnium codicum Textum sollicitare? Profecto frequens mihi videtur ellipsis non verbi tantum γίνεσθαι, sed ipsius etiam participii γενόμενα. Vid. Matth. VIII. 33. XXI. 21. Act. IV. 9. 1. Cor. XVI. 1. 2. Cor. I. 18. II. 6. V. 10. VIII. 4. IX. 1. Galat. IV. 14. Philipp. I. 12. 1. Pet. I. 10.

Non

* Haec autem computandi ratio non potuit arridere Magno nostro *Perizonio*, cum penitus & evidentissime evertat ejus hypothesin de 430. annis, quibus in *Aegypto* habitaverint *Israëlitae*.

Non igitur indicavit *Paulus*, *quamdiu* Judices praefecturam gesserint, sed *quando* a DEO populo *Israëlitico* dati sint. Quamdiu duraverit regnum *Saulis* non dativo, sed accusativo casu enunciatur a *Paulo* in eodem hoc sermone vers. 21. ἔτη τεσσαράκοντα.

Tandem, ut hoc quoque addam, assensum nondum praebeo Magno nostro *Perizonio*, ibidem p. 675. scribenti: *Necessarium prorsus esse. Crisin in numerorum notis admitti, si expeditam habere volumus Chronologiam Sacram.* Atque addenti: *De annis Achaziae*, se egisse *in Praefatione ad Aelianum. Idem dicendum de annis Jechoniae* (errore Typographico video scriptum *Pechoniae*) *si conferantur libri Regum & Chronicorum*. Porro sibi *nullum* esse *dubium, quin* 1. *Sam.* XIII. 1. *exciderit litera numerum annorum notans, quot natus erat Saulus, quum regnare inciperet*, & annorum, quot regnaverat praeter duos. *Nam eadem plane atque integra solutio* (credo legendum esse *locutio*) *istic occurrit, quam Sacra Scriptura semper adhibet de Regum annis.*

Difficilia illa loca esse agnosco, non tamen prorsus desperata. Neque omnia ἐναντιοφανῆ sunt vere contradictoria: Nobis multa videntur pugnare, eo quod circumstan-


ſtantias ignoremus, quae, ſi eas ſciremus, plana forent. In uno *Archivo* alia Epocha in uſu eſſe potuit, alia in altero. Hinc duo excerpta in numeris ſibi contraria eſſe videri poſſunt, quae concordant. Quod exemplis ex recentiori hiſtoria firmari poſſet. Sed amplior hic eſt campus, quam ut in eum exſpatiari nunc liceat.

Neque ſatis otii ſuppetit, caeteroquin Chronologiam 430. annorum, qui exitum *Iſraëlitarum* ex *Aegypto* praeceſſerunt, aliquo pacto illuſtrare conatus eſſem. Sed de illis forte alias, ἐι ζήσωμεν καὶ Θεὸς θελήσῃ.

Haec Tuo judicio ſubmitto, meliora docenti lubentiſſime ceſſurus, quin & gratias acturus.

Vale, Doctiſſime DUKERE, & mihi favere perge.

Dab. Traject. prid. Id. Oct. A. 1735.



JACOBI PERIZONII ÆGYPTIACARUM ORIGINUM & TEMPORUM INVESTIGATIO.

CAP. I.

Ægyptiæ Gentis & Regni Antiquitas, Sacris & Profanis Scriptoribus testata. Aristoteles in Politicis *exponitur. Ægyptus Nomen habuit a* Chamo, *& ejus Filio* Mizraim. *Hujus Nominis, quod Dualis est Formæ, ratio datur. Varii Noachidæ nomine Gentis ab se ortæ in Forma Plurali designantur in S. Scriptura. Eusebius in* Præpar. Euang. *explicatur. Chamus*

mus Mizraimo maxime ex Filiis suis Comitem se dedit. Incertum, an ipse, vel etiam Mizraimus, vere in Aegyptum usque penetrarint. Terra tamen & Gens Aegypti ab Chami Filio olim Mesre *fuit ab suis & finitimis appellata. Stephanus* de Urbibus *emendatur.* Aegypti *Nomen neque ab Rege quodam istius Nominis fuit ortum, neque ab* αἴθειν *&c. neque a* Coptorum *nomine formatum. Nomina Regionibus ab Exteris imposita sumuntur plerumque ex Nomine Urbis aut Fluvii in aditu primo Regionum siti. Copti antiquissimis Graecis ignoti.* Aegyptus *sic dicta a Nigredine Terrae, Fluvii, Hominum, atque adeo ex nomine Graeco, quo* Vultures significantur: Vultures *sunt Fusci, Subnigri, immo & Nigri.*

Ex praecipuis ultimae antiquitatis Regnis Babylonio aetate proxima habentur. Aegyptium & Assyrium. De Hoc agemus alias; de Aegyptio autem nullum potest esse

esse dubium, quum Pharaonem, Aegypti Regem, reperiamus antiquissimo jam tempore, & ipsa Aegyptus nomen suum primum, & pene dixerim perpetuum inter illas Gentes, acceperit etiam a Chamo, sed maxime a Mizraimo Chami Filio, cujus Chami Nepos demum fuit Nimrod Babylonis conditor. Præcipua ergo Gentis illius vetustas satis certa est partim ex consensu Historiæ, cujus Auctores quam plurimi eam confirmant, partim ex primis Terræ & Gentis ipsius Nominibus, quæ ab antiquissimis Hominibus, Noachi Filio & Nepote, sunt formata. Ipsi quidem Aegyptii jactarunt semper antiquitatis suæ gloriam, deque ea certarunt cum aliis. Vide Celsum apud Origenem *lib.* IV. *p. m.* 185. *extr.* Disertius longe Herodotus II. 2. affirmasse Eos, testatur, *se Primos fuisse omnium Hominum* (quod & Diodorus Sic. *lib.* 1. *p.* 6. & 7. ac Pomp. Mela 1. 9. tradunt) at postea Phrygibus solis ante se gloriam hanc concessisse. Sed & Justinus II. 1. refert nobis *de Generis Vetustate* Scythas inter & Aegyptios contentionem exstitisse. Denique Syncellus *Chronograph. p. m.* 17. & 37. ridet Chaldæos & Aegyptios, eorumque præcipuos & primos Scriptores, Berosum & Manethonem, qui singuli primam Suæ solius

Gentis antiquitatem immodice extollant, alterius non agnoſcant, immo invicem falſi arguant. Verumtamen Extrarii quoque Scriptores utriusque Populi Antiquitatem crediderunt. Unde Joſephus *lib.* I. *contra Apion. p. m.* 1034. Græcos ait fateri; *Aegyptios, Chaldæos, & Phœnicas habere antiquiſſimam & longiſſimi temporis,* ſeu *memoriæ, traditionem.* Ipſa etiam S. Scriptura nobis jam tempore Abrahami Regem Aegypti, *Pharaonem*, eumque omnium poſt Nimrodum Primum, memorat *Geneſ.* XII. & Regem quidem, cui jam ſui Principes vel Proceres ibidem tribuuntur. Non mirum itaque ab Jeſaia XIX. 11. induci Aulicos Aegyptii Regis appellantes eum *Filium ſapientum, Filium* (מלכי קדם) *Regum Antiquitatis*, h. e. ut recte vertit Junius, *antiquiſſimorum.* Accedant His Profani Scriptores, eorumque primus ſit Ariſtoteles *Polit.* VII. 10. ubi docet Diſtinctionem Civilem multitudinis in ſuas Claſſes ortam ab Seſoſtride & Aegyptiis; ſubjicit vero; ὅτι δὲ πάντα (lege omnino ταῦτα, ut Joach. Perionius ex verſione ſua videtur jam legiſſe, vel cum Aldo πάντως) ἀρχαῖα, σημεῖον τὰ περὶ Αἴγυπτόν ἐστιν. οὗτοι γὰρ ἀρχαιότατοι μὲν δοκοῦσιν εἶναι, νόμων δὲ τετυχήκασι καὶ τάξεως πολιτικῆς. Διὸ δεῖ τοῖς μὲν εἰρημένοις ἱκανῶς χρῆσθαι, τὰ δὲ παραλε-

λειμ-

λειμμένα πειρᾶσθαι ζητεῖν. Quod vero illa sint omnino antiqua, liquet ex eo, quod Aegyptia sunt, seu *in Aegypto inventa.* Aegyptii *enim illi Antiquissimi tum esse videntur, tum antiquissimi*, h. e. primi ante alios omnes, *accepere leges & ordinem Civilem.* Ita enim hæc explicanda & construenda videntur. Sequentia etiam adjeci, quia istic pro εἰρημένοις legendum est, quod tamen vidit jam Lambinus, εὑρημένοις [a], h. e. *jam inventis.* Sic plane Cap. XI. in *extr.* *ὥστε τὰ μὲν εὕρηται, τὰ δὲ δεῖ ζητεῖν. Ita vero quædam sunt inventa jam, quædam vero oportet etiamdum quærere*; plane ut Hic, *Ideo oportet inventis jam libere & multum uti, prætermissa vero* (h. e. nondum a majoribus inventa) *tentare quærere.* Porro apud Photium *Exc.* 242.[b] Damascius in vita Isidori, *Aegyptii quod παλαίτατοι ἀνθρώπων εἰσὶν, antiquissimi Hominum sunt, ut ex auditu nos scimus, ita vix quisquam omnium adeo serus est literarum*, ὀψιμαθὴς, *qui non multos audiverit id dicentes vel scribentes.* Sed & ex vetustis & nativis, ut verbo jam dixi, Aegyptiæ Terræ Nominibus

A 3

a Et hoc, & πάντως in margine *Edit. Duvallii* pro varia lectione adnotatum est. εὑρημένοις etiam Dan. Heinsio placuisse ex illius *Paraphrasi* intelligitur.

b In *princip.*

bus ſatis perſpicitur Originis antiquitas. Etenim nullam novimus Terram, quæ ab Noachi Filiis nomen traxerit, niſi Aegyptum, quæ in Scriptura S. ab Chamo Noachi F. ſæpius *Terra* vel *Regio Chami* dicitur. Sed & tempore Plutarchi (Vide Eum in *Iſide*.[a]) Aegyptus etiamdum *Chemia* dicebatur, à ſacerdotibus maxime. Quin & Coptitæ etiam nunc eam vocant *Chemi*. Adde jam, ab Aegyptiis maxime cultum divinis honoribus Chamum, non modo in clariſſimo iſtic templo *Hammonis*, ſed & in Urbe ab eo dicta *No Ammon*: quæ omnia ſic ſatis probata reperies apud Bochartum *Geogr. S. lib.* I. *cap.* 1. Ab Chamo autem ſimulac diſcedimus, potiſſimus tunc habetur & proprius Aegyptiorum Progenitor, Filius ejus, *Mizraim*, eodem nomine ſemper inſignitus; quo & Terra Aegypti a Moſis tempore & deinceps

[a] *Pag.* 364. *Edit. Francof.* A Chamo ſic dictam putant etiam Bochartus *Phaleg.* I. 1. & IV. 1. Marshamus *Canon. Chron. pag.* 23. *Ed. Lipſ.* Ortelius in *Theatr. Geogr.* v. *Aegyptus*, qui addit, *pro* Chamia, *ut puto, a Chamo Noës filio*, & alii. Gurtlerus in *Originib. Mundi* I. 13. 30. ſcribit Salmaſium *ad Solinum pag.* 772. *Edit. Traj.* tradere, ἀπὸ τῆς χήμης & χημείας, *ſcientiæ chemiæ*, ſic dictam. Sed Salmaſius ibi nihil aliud, quam Aegyptios chemiæ ſtudioſos fuiſſe oſtendit; de hoc aliiſne Aegypti nominibus nihil addit.

ceps fuit appellata. Nam quum tota Aegyptus in Superiorem & inferiorem jam distingueretur, tum vero Nomen Regionis, quod antea Formæ Singularis fuisse videtur, in Dualem transiit, *Mizraim*. Singulare fuit, si non *Mazor*, *munimentum*, certe ejusdem originis & significationis vocabulum. Quin occurrit illud *Mazor* pro Aegypto in S. Scriptura minimum Ter, Vide Bochart. *Geogr. S.* IV. 24. At usitatissimum est *Mizraim* Duale. Hoc itaque Nomine designatur a Mose Chami quoque Filius, tanquam proprius Pater & Progenitor Aegyptiæ Gentis. Nam quamvis etiam Alia singulorum Hominum nomina reperiantur, quæ Dualem itidem habeant formam, veluti *Ephraim*, tamen vix credibile videtur, illud *Mizraim* fuisse magis & prius Hominis Nomen, quam Terræ, tantoque minus, quoniam non Homo utique, sed Terra in duas revera partes fuit distincta, & quia septem Filii Mizraimi, designantur itidem Nominibus Pluralis Formæ, quæ ipsa sunt Populorum ex iis ortorum nomina. Nam quis sibi persuadeat Mizraimi Filios fuisse suo & proprio nomine in Plurali dictos *Ludim* &c. h. e. *Ludæos*, *Anamæos*, *Lehabæos*, *Naphthuchæos*, *Patrosæos*, *Casluchæos & Caphthoræos*? Immo vero dicti

haud dubie ita ſunt, tanquam Patres *Ludæorum* &c. Neque ergo aliunde *Mizraim* quoque ſic dictus fuit, quam quia *Aegyptiorum* fuit *Pater*. Atque ita apud Euſebium *Præpar. Euang.* IX. 17. ex Alexandro Polyhiſtore vel Eupolemo, nominatim ille deſcribitur, in corrupto tamen loco & male verſo, licet facillime, & certa ſatis ratione, emendari poſſet. Verba ſunt, τούτου (Χαναὰν) δὲ Χοὺμ γενέσθαι υἱὸν, ὃν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λέγεσθαι Ἄσβολον, πατέρα δὲ Αἰθιόπων, ἀδελφὸν δὲ τοῦ Μεσραεὶμ, πατέρα Αἰγυπτίων. Vertitur a Vigero, *cujus* (ſcil. Canaanis) *Filius Chumus exſtiterit, quem Asbolum Græci nominant: Eum Meſtraimi Fratrem, Aethiopumque ſimul & Aegyptiorum Parentem fuiſſe:* At manifeſtum eſt, legi in Græcis debere τοῦ Μεσραεὶμ, πατρὸς Αἰγ. ut jam monuit Bochartus *Geogr. Sac.* IV. 2. vertendumque, Chumum illum, *fuiſſe Patrem Aethiopum, Fratrem vero Mizraimi, PATRIS Aegyptiorum.* Chumus autem ille eſt *Cuſch*, qui revera Pater fuit Aethiopum & Frater Mizraimi, at non Filius, ſed itidem Frater, Canaanis. Verum erravit iſtic Græcus Scriptor, qui *Canaanem* nominavit pro *Chamo*, vel confudit cum *Chamo*. Nam primum *Belum*, *qui Saturnus fuerit* (immo Noachus) *genuiſſe* ait alte-

alterum *Belum* (intelligit vel Semum vel Japhetum) *&* *Canaanem*, qui Pater fuerit Phœnicum, tum Cuſchi, & Mizraimi. Manifeſtum eſt, debuiſſe eum appellaſſe primi Beli Filium, non *Canaanem*, ſed *Chamum*, atque adeo confudiſſe eum *Canaanem* & *Chamum*. Manifeſtum item, dici in hoc loco Mizraimum, *Patrem Aegyptiorum*, quod & revera fuit.

Ex his autem omnibus, ſi in unum contrahantur, probabile prorſus eſt, Chamum Mizraimo maxime ex Filiis ſuis Comitem ſe poſt diſperſionem, ex Terra Sinear factam, dediſſe, eique potiſſimum adhæſiſſe, & cum Eo jam tunc verſus Aegyptum abiiſſe, & forſan in eam perveniſſe, eaque cauſa fuit pene indubia, quare tot veſtigia ipſius Nominis iſtic potiſſimum reperiamus. Neque tamen opus eſt, ut ipſe in eam pervenerit plane, quum ſatis ſit, hæſiſſe eum in illa ex Liberis ſuis Familia, quæ dein, in Gentis ſpeciem quandam aucta, in Aegypto conſedit, Ejusque memoriam & venerationem in illam Terram intulit & in ea conſervavit. Quin idem poſſumus de ipſo quoque ſuſpicari Mizraimo. Nam perinde eſt, ſive ille jam in Aegypto conſederit, ſive ejus poſteritas demum: Ea enim ubicun-

que trerarum aut gentium habitaret, Mizraimum suum ferebat Progenitorem, & erat *Gens Mizraimi*. Nomen autem illud *Mizraim* huic Terræ & Genti fuit omnium primum & proprium, cujus itidem vestigia & documenta mansere etiam diu post, quam Græci regionem illam *Aegypti* nomine jam insigniverant. Josephus *Antiq.* I. 7. *Aegyptum enim Mesren* (Μέσρην) *& Aegyptios Mesræos appellamus omnes, qui hanc regionem incolimus*. Nec dubito, quin hoc voluerit quoque Stephanus *de Urbibus*, quando in v. Ἄιγυπτος inter varias appellationes, quibus Aegyptus fuerit ornata, primam memorat *Myaram*, eamque dicit apud Phœnices usitatam. Ἐκλήθη, inquit, καὶ Μύαρα· ἡ χώρα ὑπὸ Φοινίκων, *vocata est etiam Myara hæc regio a Phœnicibus*. Legendum enim videtur Μίσαρα, vel Μίσορα, ut jam monuit Vossius *de Idolol. To.* I. *lib.* I. *cap.* 27. Dubitat quidem Vir Doctus ad Stephanum de hac Emendatione, quia Nomen illud nusquam pro Aegypto occurrat, quæ passim Μεσραία a Mizraim dicatur, & ideo hoc ille præfert. At longius id recedit a vulgato: a Μίσαρα autem vel Μίσορα quam prope abest illud Josephi Μέσρη, & Scripturæ S. *Mazor*? Syncellus vero *Chronogr. p.* 38. etiam SUO Tempore Aegyptum a Finitimis Populis

Me-

Mestræam, ejusdem originis vocabulo, vocari tradit, ἀφ' ὗ καὶ ἕως τῦδε χρόνυ παρ' Ἑβραίοις, καὶ Σύροις, καὶ Ἄραψιν ὕτω καλεῖται ἡ χώρα Μεςραία, καὶ τῦτο πᾶσιν ἐςὶν ἱςορικοῖς πρόδηλον, *a quo* (Mizraimo) *usque ad Hoc tempus apud Hebræos, Syros & Arabas regio hæc vocatur Mestræa: atque hoc omnibus est Historicis cognitum.* Denique & hodie adhucdum Metropolin Aegypti, Cairo, ab Arabibus vocitari *Meser*, ostendit Bochartus. [a]

Ceterum *Aegypti* nomen quod postea vel maxime invaluit, non ab Rege aliquo sic proprie sua in lingua dicto, ortum videtur, ut volunt Diodorus, Eusebius, Stephanus, Aliique. Nam Rex istius Nominis a Græcis haud dubie sic ideo tantum vocatus fuit, quod Rex celeberrimus esset Regionis, quæ *Aegyptus* ab ipsis proprie dicebatur, æque ac, non Gens modo & Terra, sed & Fluvius Aegypti, non *Nilus* ab Homero, aut *Siris*, sed *Aegyptus*, diserte itidem nominatur. Neque vero deduxerim eam vocem ab αἴθειν, *urere*, neque ab αἶγας πιαίνειν, *Capras pingues reddere*, ut volunt Grammatici Græci &

[a] *Phaleg.* IV. 24. Jamésonus quoque in *Spicileg. Antiquitat. Aegypti Cap.* I. §. 2. scribit se non dubitare, quin apud Stephanum pro Μύαρα legendum sit *Mizra*, *Mizara* vel *Mestraia*.

& Scholiastæ. Vide Eustath. ad Hom. *Odyss.* Δ. *pag.* 1499. *Ed. Rom.* & Etymologicon Magnum. Neque porro, quod voluit nuper Doctus Stephani Interpres, compositum putem hoc Nomen ex αἶα, h. e. *terra*, & Γύπτος pro Κόπτος, quasi *Terra Coptorum.* Nam licet Copti jam memorentur a Strabone, & Josepho, tamen quum habitarint in interioribus Aegypti, Græcis illo utique tam antiquo tempore parum fuerunt cogniti. Diserte Diod. Siculus *lib.* 1. *p.* 24. nos docet, nullos Græcorum usque ad Ptol. Philadelphi tempora in Aethiopiam penetrasse, immo ne ad fines quidem Aegypti ascendisse; adeo inhospita & prorsus periculosa fuisse ista loca. Illo autem Rege cum Græcis copiis primum in Aethiopiam movente, tum demum cognitam accuratius illam regionem. Quocirca haudquaquam probabile est, jam ante Homerum hoc nomen a *Copto*, in finibus Aegypti versus Aethiopiam & Arabicum Sinum sita Urbe, formatum, non tantum Terræ, sed & Flumini fuisse a Græcis jam tunc impositum. Exteras regiones solebant ipsi aliique ab Urbibus aut Populis in aditu regionis sitis denominare; sic *Syriam* illi a Tyro Urbe sibi maxime cognita, *Iberiam* a fl. Ibero in aditu Hispa-

spa-

ſpaniæ, dixerunt; immo ſic ipſam *Græciam* *Itali* appellaverunt ex eo, quod Italiæ proximi & maxime ſibi noti antiquiſſimis temribus fuiſſent illi, qui proprie Γραικοὶ ſua in terra olim quoque fuerunt dicti. At Copti longe ſupra Mare Mediterraneum & aditum Aegypti, immo longe ſupra Delta & Memphim in interiora ad Sinum Arabicum abditi, nullam potuerunt dediſſe occaſionem & cauſam Græcis, ut inferiora Aegypti, & ſibi longe propiora, a remotiore illo, & ſibi minus cognito, ac minus celebri, populo vel Urbe denominarent. Accedit, quod olim Græci littus tantum & inferiora Aegypti vocarint *Aegyptum*, at quæ ſupra Delta erant *Aethiopiam*. Certe Thebaida Homerus *Aethiopiam* appellavit, ut nos docet Strabo *lib*. 1. *p*. 40. nuſquam vero illam, aut Aegyptum, *Copton* dixit. Quid ergo? Aegyptus omnia habuit nigra & fuſca, Homines, Terram, Fluvium. Nam & Fluvius a nigredine *Sihor* in S. Scriptura, vel *Siris ab Aethiopibus olim*, fuit dictus. Unde & *Melo* a Græcis fuiſſe appellatum, a voce Μέλας. h. e. *Niger*, tradit Feſtus, vel, ſi fides Euſtathio ad *Dionyſ. Perieg.* v. 222. Μέλας πρότερον καλούμενος, μετεκλήθη Νεῖλος, h. e. *Melas* (Niger) *antea vocatus, mutato nomine Nilus eſt dictus*, quaſi per

per solam vocis similitudinem isthæc mutatio evenisset, quod tamen sine dubio est falsum. Vide & Seldenum *De Diis Syris*, *Syntagm.* I. *cap.* 4. Terra quoque ipsa ex eodem Colore passim describitur. Hinc & Μελάμβωλος, h. e. *Nigras glebas habens*, teste Stephano, & Ἀερία, *Nigra*, ut exponit hanc vocem Apollonii Scholiastes [a], fuit dicta. Sed & Plutarchus [b] in *Iside* Aegyptum diserte ait ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ; *vel maxime Nigram esse terram, tanquam Nigrum oculi.* Denique & Homines erant itidem Fusci, & Aethiopibus colore proximi. Unde Festus *Aegyptinos* interpretatur *Aethiopas.* Sed & Græci *Aegypti* nomen ideo derivabant etiam ab αἴθω, quia Aegyptii erant κεκαυμένοι ἐκ τῆς σφοδρᾶς τοῦ ἡλίου φορᾶς h. e. *adusti ex intenso Solis fulgore*, vel *radiorum Solarium vi.* Vide Etymol. M. Sylburgii. Ipse etiam Herodotus II. 57. Columbas Dodonæas interpretatus fuisse feminas, addit, eas etiam dici fuisse *Nigras*, μελαίνας, eoque declarari, ὅτι Αἰγυπτίη ἡ γυνὴ ἦν, *quod Aegyptia fuerit femina.* Hac itaque de causa Græci, uti multis regionibus & Populis nomina suæ Linguæ dederunt, veluti *Meso-*

pota-

a Ad *Lib.* I. *Argonautic.* v. 580.
b De *Iside l. d.*

potamiæ, immo ipsi *Aethiopiæ* &c. sic ergo & Mesraææ regioni dederunt illud *Aegypti* nomen, vel forsan prius Regi, qui primus inter Græcos celebris exstitit, aut ipsi Fluvio, qui certe apud Græcos hoc nomen *Aegypti* prius habuit, quam *Nili*. Unde apud Homerum illud Fluvii istius nomen sæpius occurrit, at *Nili* nusquam. Diserte etiam Diodorus tradit, Nilum *antea dictum fuisse Aegyptum*. Vide Marsham. *Sæc.* x. *p. m.* 238 [a]. Jam vero Γὺψ, Ἄιγυψ & Αἰγυπιὸς Græcis notat *vulturem*, fusci coloris avem. Inde ergo, interposita litera T, ut solet post Π, Ἄιγυπlος & Ἀιγύπτιος, de Rege, & de Fluvio, & de Populo istius Terræ, quia fusci & subnigri erant coloris, æque ac Vultures. Ne dubitemus de hac vocis significatione & origine, ipsi Græci in Glossis Ἀιγύπτιον exponunt Μέλαν, *Nigrum*, & Ἀιγυπτιάσαι Eustath. ad Homerum *Odyss.* Δ. *p. m.* 1484. interpretatur ἐπικαῦσαι, *adurere*. Vide & Scaligerum ad Festum in voce *Aegyptinos*. Neque aliter Latinis *subvulturium corpus* & *subaquilum* est adhuc minus, quam subnigrum, apud Plautum Rud. II. 4. 9. sed & Vultures quoque quosdam Nigros plane fuisse ostendit Plinius N. H. x. 6. ubi ait, *Vulturum prævalent Nigri*, h. e. vali-

a *Pag.* 247. *Edit. Lips.* & *Saec.* XVI. *p.* 464.

validiores ſunt ceteris. Hæc haud dubie vera ést hujus Nominis ratio & etymologia [a], jam ante Homeri tempora Terræ & Fluvio a Græcis dati, licet ipſi Aegyptii & *Mesræos* ſe vel *Mesræos* vocitarint, atque ita a finitimis quoque fuerint appellati, ut ſupra jam oſtendimus.

a Non placet tamen Jameſono *l. d.* §. 1 Quærit unde ergo Periſonius derivet γύψ? Sed hoc nihil ad rem faciebat, nec erat, cur ille de hoc laboraret, quum conſtet γύπας, ſive ἀιγυπιὺς, nigri & fuſci coloris eſſe. Addit deinde, quum Græcis Ἀιγύπτιον ſit μέλαν, *nigrum*, & Ἀιγυπτιάσαι ἐπικαῦσαι, *adurere*, ſe maluiſſe ab alterutro horum derivatum nomen regionis Ἄιγυπτος, quam a γύψ: nam hoc ipſum ab illis, vel ſimili aliqua voce videri deſcendere. Hic viciſſim ex eo quæri poteſt primum, unde ergo derivet Ἀιγύπτιον & Ἀιγυπτιάσαι, & quare illud ſignificet *nigrum*, hoc *adurere*? deinde, quæ hæc ſit ratio inveſtigandi & explicandi origines vocabulorum, ab illis malle derivare τὸ γὺψ, quam illa ab hoc? Multo ſimplicior & etymorum quaerendorum rationi magis congruens eſt ea, quam Scaliger & Perizonius inſtituerunt: quia γύπες, ſive αἰγυπιοὶ, ſunt fuſci & nigri coloris, & quia Aegyptus omnia nigra & fuſca habebat, homines, terram, fluvium, hinc a Græcis regioni nomen Ἄιγυπτος inditum fuiſſe. Nec ſatis adcurate ſcribit Jameſonus Perizonium dicere Ἄιγυπτος venire *a nigredine terræ*: nam non *terram* ſolum, verum etiam *homines* & *fluvium nigros* fuiſſe dicit.

CAP. II.

CAP. II.

Immensa & absona antiquitas ab Aegyptiis jactata. Manetho in Aegyptiacis imitatur vanitatem Berosi in Chaldaicis. Aegyptii olim habuerunt Annos Singulorum Mensium, & dein Quatuor mensium, quod tamen incassum adhibetur ad expediendam illorum Chronologiam. Potuerunt aliquid scivisse de Hominibus ante Diluvium, seu Majoribus Noachi ac suis. Dii, *Reges eorum, videntur fuisse antediluviani eorum majores,* Semidei *vero proximi post Diluvium. Similem distinctionem fecere Babylonii, quorum* Alorus *est Adamus,* Xisuthrus *Noachus.* Auritæ, & Mestræi *Aegyptiorum qui fuerint. Illi non ab Auari Urbe, sed ab Hebr.* אור Ignis & Lumen *videntur dicti. Forsan & inde* Alorus *Babyloniorum.* Aegyptii *pro-*

prie dicti, seu Homines Reges, incipiunt à Mene. Ex Aegyptiorum Chronologia nihil certi potest constitui.

Ceterum satis ex his ipsis liquet Gentis Aegyptiæ magna antiquitas; tanto minus opus erat eam plus æquo & longe supra Diluvium, immo ipsa Mundi initia extendisse, ut fecerunt insana quadam vanitate ipsi Aegyptii, nihil hac in parte concedentes Babyloniis. Unde Syncellus p. 18. *Manethonem*, Aegyptiacarum rerum & Dynastiarum Scriptorem, ait, ψευδηγοροῦντα καὶ αὐτὸν, *falsa tradentem & ipsum*, scilicet æque ac Berosus Chaldaicarum Auctor: immo scripta ejus esse πλήρη ψεύδους, καὶ κατὰ μίμησιν Βηρωσσοῦ πεπλασμένα, pag. 16. *plena mendacii, & ad imitationem Berosi conficta*. Colligit etiam pag. 52. ex ejus Dynastiis annos 3555. usque ad quintum decimum annum ante Alexandri Victoriam de Persis, licet ex annis singulorum Regum per omnes Dynastias Manethonis, prout eas nobis ex Africano & Eusebio exhibet Syncellus, longe major, seu duobus fere millibus major, emergat annorum Summa. Et tamen longe etiam hanc Summam superat Vetus Aegypti Chro-

Chronicon, apud Syncellum *pag.* 51. quod Reges memorat *Deos*, *Semideos*, & *Homines*, per annos 36525. Hoc ipsum tamen itidem superatur ab iis Aegyptiis, ex quibus Diog. Laërtius in *Procemio* tradit a Vulcano usque ad Alexandrum M. annos effluxisse 48863. Scilicet videntur hi annos Vulcani addidisse, quos Vetus illud Chronicon apud Syncellum non expressit. Proximus his est Diodorus, qui *lib.* 1. *p.* 15. ait, ab Regnó Solis usque ad Alexandri expeditionem in Asiam computari ab Aegyptiis Sacerdotibus annorum 23. millia. Ea millia auget insuper & dividit *p.* 28. 29. in Duodeviginti sub Diis & Heroibus, & Quindecim sub Hominibus usque ad sua tempora; quæ Summæ excedunt usque ad XXXIII. Millia. Sequitur Pomp. Mela, qui *lib.* 1. *cap.* 9. *ipsos* ait *prædicare se vetustissimos hominum, trecentos & triginta Reges ante Amasin, & supra* 13000. *annorum ætates*, *CERTIS ANNALIBUS referre*. Herodotus denique Regibus, post Deos, Semideos & *Heróas*, tribuit *lib.* II. *cap.* 142. annorum 11340. usque ad Sethon, qui Rex fuit Sennacheribi Assyrii & Ezechiæ Judæi tempore: at plura millia, si annumerentur Deorum & Semideorum regna. Nam ab Hercule, qui Secundis Diis adscribi-

 tur,

tur usque ad Amasin, XVII. millia numerari tradit *lib.* II. *cap.* 43. at a Dionyso, qui inter Tertii ordinis Deos exstitit, usque ad eundem Amasin computat *Cap.* 145. XV. *millia*, *idque*, *Aegyptios jactare* ait, *certo se scire*, *quum semper numeraverint & annotaverint annos.* Verum omnia hæc longe excedunt veri & modum & speciem, quum longissime exsuperent spatium, quod ex Sacra Hebraicæ Scripturæ Chronologia inter Diluvium Noachi intercessit & victum ac debellatum ab Alexandro Darium, quippe quod ne duo quidem millia plane explet, quum conficiat tantum 1996. annos. Quod si jam ascendas usque ad Adamum & originem Mundi, habebis inde usque ad Alexandrum annos 652. supra Tria Millia. Utrique summæ adde jam, si vis, ex Græca Versione, quod supra Hebræos Codices exsurgit in intervallo ab origine Mundi usque ad Abrahamum, & accedent anni 1466. Ex quibus jam conjunctis exorientur anni usque ad Alexandrum ab origine Mundi 5118. at a Diluvio tantum 2876. Sic liquet, quanto numero supra Diluvium, & ipsos Mundi natales, evehatur insana illa Aegyptiorum vanitas. Sed forsan poterimus hanc eorum Chronologiam tueri eo, quod Annus antiquissimis Aegyptiis

tiis fuerit Unius tantum Mensis, at postea Quatuor, denique XII. Mensium. Vide Doctiss. Stellingfletum *Originib. Sacris, lib.* 1. *cap.* 5. &, quem ille sequitur lubens, Jac. Cappellum in *Hist. Sacra & Exot.* passim. Diserte Diodorus Siculus *lib.* 1. *p.* 15. 16. quum retulisset, Deos antiquissimos dici regnasse singulos plus mille & ducentis annis, posteriorum autem seu Semideorum nullos infra trecentos annos, subjicit, *Cum fidem excedat ista annorum multitudo, audent nonnulli tradere, olim, quum Solis motus nondum esset satis cognitus, Annum Lunæ periodo finitum: atque ita cum Anni essent* XXX. *dierum, potuisse accidere, ut homines vixerint tales Annos mille & ducentos, quum & nunc homines aliquot vivant centum Annos* XII. *mensium. Similiter de iis, qui trecentos minimum annos regnasse dicantur, tradunt iidem Annum tunc quatuor mensibus circumscriptum.* Ita enim & ex illis *trecentis annis quatuor mensium* exoriuntur XXV. anni XII. mensium. Sic & Plinius N. H. VII. 48. immodicam quorundam ætatem ex aliis Auctoribus exponens, addit, *quæ omnia inscitia temporum acciderunt. Annum enim alii æstate unum determinabant, & alterum hieme: alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum Anni trimestres fuere; quidam Lunæ senio, ut Aegyptii, itaque*

apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur. Adde his Varronem apud Lactantium II. 12. *Vita primorum Hominum longa, quæ in mille annos propagaretur: quod divinis literis proditum, & per omnium scientiam publicatum, cum non ignoraret Varro, argumentari nixus est, cur putarentur antiqui mille annos victitasse. Ait enim, apud Aegyptios pro Annis Menses haberi, ut non Solis per* XII. *signa circuitus faciat Annum, sed Luna, quæ orbem illum signiferum* XXX. *dierum spatio illustrat*. Loquitur ita quidem Lactantius, quasi proprium hoc Varronis fuisset, aut ab eo inventum ad evadendam mille annorum vitæ unius Hominis difficultatem, sed & *argumentum hoc perspicue falsum esse* ait, quia *Nemo Tunc* (scil. ante Diluvium) *millesimum annum transgressus fuerit: nunc vero, qui ad centesimum perveniant, quod fit sæpissime, mille certe & ducentis mensibus vivant. Sed quia ignorabat Varro, cur, aut quando, Vita Hominis esset diminuta, ipse diminuit*. At vero jamdudum ante Varronem tradidit Eudoxus, ὅτι Αἰγύπτιοι τὸν μῆνα Ἐνιαυτὸν ἐκάλουν, ut docet nos Proclus *lib*. I. *in Timæum Platonis*. Sed & nihil Varro cogitavit aut scivit de Hominibus ante Diluvium in S. Scriptura memoratis, quorum *Nemo* vere *millesi*-

mum

mum annum fuit transgressus: sed hoc argumento usus est, æque ac alii Auctores, contra *Aegyptiorum immodicam Chronologiam*, in qua nonnulli 1200. annos vixisse vel regnasse traduntur. Neque vero hanc, inanem licet etiam mea ex sententia, expediendæ illius Chronologiæ rationem rejecit Eusebius, quando apud Syncellum *pag.* 40. eadem ratione illam excusat, quod, scilicet antiquissimi Aegyptii Annos habuerint Lunares vel Menstruos, ex XXX. diebus constantes. Sed & Panodorus, qui Imp. Arcadii tempore vixit, hac ratione tempus Deorum & Semideorum Aegyptiorum in spatium, quod ex S. Scriptura inter Originem rerum & Diluvium intercessit, redigere conatur. Vide Syncellum *pag.* 41. ubi ille tamen hoc Panodori institutum rejicit & explodit, sed ratio, quam adfert, nullius profecto est momenti. Nempe ait, *neque Babylon aut Chaldæa, ante Diluvium, neque Aegyptus ante Mizraim, Reges habuit, immo neque Incolas.* Verum hoc quidem, sed simul verum est, Chamitas, in Chaldæa post Diluvium & Aegypto habitantes, fuisse ortos ex iisdem majoribus ante Diluvium, ex quibus Semitæ & Israëlitæ, atque adeo ad illos æque ac ad Hos, pertinuisse Noachi

majores, seu Primos Orbis conditi Homines. Sed & verisimile prorsus, Chamum illos non ignorasse, eorumque memoriam qualemcunque ad posteros suos per Cuschum & Mizraimum propagasse, qui proinde illos inter Majores suos, tanquam Reges quosdam, retulisse in suam Chronologiam potuerunt, licet ut solent antiquissima, & per solam traditionem servata, corruptissime, & aliis Nominibus, quam quibus in S. Scriptura insigniuntur, retulerint Neque ad rem pertinet, ubi illi Noachi, omniumque Hominum, atque adeo etiam Aegyptiorum, majores habitaverint, quum quacunque tandem in terra habitaverint, fuerint tamen Aegyptiorum quoque progenitores. Certe nihil in eo absoni, sed cujus multum est in eo, quod Kircherus in Oedipo *Aeg. To.* I. *Syntagm.* 1. *cap.* 9. *p.* 72. quindecim Reges ante Diluvium ex Arabicis Annalibus memorat, qui tamen nec Aegyptiorum fuerint nec Noachi majores, sed proprii Reges illorum Hominum, qui ante Diluvium jam in Aegypto vixerint, & in Diluvio omnes perierint. Nam unde illorum memoria ad Arabas pervenit, aut quid illi ad posteriores Aegyptios, ab Noacho & ejus majoribus ortos, pertinent? At Noachi majores pertinebant ad eos, ac de illis per

Cha-

Chamum ſcire Hi aliquid potuerunt. Quocirça Ego, licet Chronòlogiæ ipſi Aegyptiorum nihil prorſus tribuam certi, immo omni ex parte eam in immenſum fabuloſa vanitate elatam putem, crediderim tamen, illos Reges, Deos & Semideos, quos ipſi jactant, ortos eſſe ex traditionė qualicunque de Hominibus, qui ante Diluvium vixerunt per tempus ſinguli longiſſimum, & de Hominibus qui proxime poſt Diluvium vixerunt, ac prioribus quidem minus, at poſterioribus a tempore Moſiṡ vel jam Jacobi, magis longævi fuere. Plane uti Babylonii manifeſte prorſus *Diluvium* & Tempus antediluvianum memorant, eique tribuunt X. Generationes ab *Aloro* primo Homine, usque ad *Xiſuthrum*, ſub quo Diluvium obvenerit, h. e. ab Adamo ad Noachum; illis autem omnibus adſcribunt annos vitæ quam plurimos. Vide Africanum & Abydenum apud Syncell. *p.* 18. & 38. At poſt Xiſuthrum, & Diluvium, primis & proximis Regibus ante Euechoum, tribuunt (vide Syncellum *p.* 78. ex Alexandro Polyhiſtore, qui ſua ex Beroſo hauſit) pauciores quidem ſingulis annos, ſed tamen omnibus ſimul ſupra XXX. Millia annorum, per *Saros* deſignata, & *Neros*, & *Soſſos*, quorum illi 3600, iſti 600, hi

60. annos denotabant [a]. Sicuti ergo in Babylonicis retulit Berosus Antediluvianos Reges vitæ longissimæ, quasi Deos, dein Postdiluvianos prioribus inferiores vitæ longinquitate, at sequentibus longe superiores, quasi Semideos aut Heroas, & tum demum Homines Reges, qui incipiunt ab Euechoo: sic etiam probabile prorsus videtur, Aegyptios & Manethonem, qui Berosum imitatus dicitur, per suos *Deos Reges* intellexisse Majores suos antediluvianos, per *Semideos* vero postdiluvianos, quibus denique successerint *Homines* usitati deinceps vitæ spatii *Reges*. Certe idem ordo apud utrosque reperitur, cujus proinde eadem haud dubie fuit ratio & significatio. Accedit Vetus Aegyptiorum Chronicon apud Syncellum *pag.* 51. quod itidem seriem Regum per annos 36525. memorat, eosque dispescit in triplicem quoque ordinem, sed aliis nominibus distinctum, nempe *Auritarum*, *Mestræorum*, & *Aegyptiorum*, qui videntur omnino esse iidem, qui ab aliis *Dii*, *Semidei*, & *Homines* dicuntur. Ceterum incertum valde est, qui & unde sint *Auritæ*. Jac. Goarius in Notis ad Syncellum ab urbe *Abari*, quæ & *Auaris* dicatur, at postea *Pelusium*, fuisse appellatos suspicatur.

[a] Vid. Syncellum *pag.* 17. & 32.

catur. Sequitur eum Marshamus, qui ad *Secul.* VIII. *p. m.* 105. [a]. confidentius jam agit, nec tantum ab illius Urbis nomine *Auritas* repetit, sed & esse vel intelligi *Deos Semideosque, qui tempus Historicum praecesserint*, affirmat. At quae tandem ratio exstet, quare ab illa potissimum Urbe Dii antiquissimi Aegyptiorum denominentur, neuter ullam in partem ostendere conatur, quod tamen vel maxime faciendum probandumque erat, tanto magis, quoniam Urbs ea a Pastoribus, qui Aegyptum postea oppressisse & subjugasse dicuntur, atque ideo Aegyptiis omnibus vel maxime odiosi fuisse debuerunt, condita, eorumque propria dein sedes fuisse traditur a Manethone apud Josephum *lib.* I. *cont. Apion. pag.* 1040. Quid ergo? Quum Vetus illud Chronicon primum Deorum Regum memoret *Vulcanum, qui splendeat ac luceat interdiu noctuque*, & Filium ac Successorem habuerit *Solem*, unde reliqui Dii sint orti, & suo ordine successerint, idcirco vix dubito, primos hosce Deos, non item Semideos, fuisse *Auritas* dictos, tanquam ab *Vulcano* ortos, qui vocabulo Linguae primae & Orientalis (nam Scriptores Graeci Graecis illis Graecorum Deorum nominibus, ut solent,

eos

a Pag. 107. *Edit. Lips.*

eos insigniverunt) *Our* vel *Oor*, vel *Aur* fuerit appellatus ab *igne* ac *Lumine*, quod in illa Orientalium Lingua *Our* & *Oor* dici solet. Et forsan inde quoque primus Chaldæorum Homo, & Rex, & Deus, nomen suum habuit *Alorus*, quasi אל אור *Deus lumen*, vel *Deus Ignis*, & apud Aegyptios Primus secundum Eusebium & Syncellum Semideorum, *Orus*, Isidis & Osiridis Filius, per quem forsan intelligitur *Chamus*, itidem, non quidem ab Igne aut Luce, at certe a Calore dictus. *Mestræi* autem sine dubio sunt Semidei, licet eos quoque, & omnes quidem post Horum, Græci suorum Deorum nominibus itidem suis in scriptis appellaverint. Hi autem primi sunt & proximi post Diluvium, atque adeo diversi ab *Aegyptiis*, quibus designari videntur communis deinceps & vulgaris conditionis ac naturæ Reges, quorum primus fuit *Menes*, quem Eusebius & Alii perperam ipsum Mizraimum vel Mestræum fuisse arbitrantur; sed de quo agemus Capite V. magis ex professo. Rectius quidem Doctiss. Pezronius *Antiq. Rest. cap.* 8. *p.* 160. 161. Menem rejicit in annos plus ducentos, postquam Aegyptus a Mizraimo fuerit occupata & inhabitata; sed miror excludere Eum Mestræos illos ordine & titulo *Re-*

gum,

gum, hac una ratione, quod Menes dicatur *primus Rex* in Chronicis. Nempe primus ille fuit, post *Deos* & *Semideos* h. e. post Antediluvianos & Mestræos, Rex *Aegyptiorum* proprie dictorum. Id quod neutiquam impedit, quo minus Mizraimus & ejus Successores primogeniti in sua Familia pro Regibus quoque fuerint habiti, & a posteris sic dicti, æque ac aliarum Familiarum & Gentium Progenitores. Menes haud dubie primus hunc ordinem turbavit, & ex Thebaide veniens inferiorem quoque Aegyptum occupavit, & Mestræorum Successionem ac Regnum ibi exstinxit. Quamvis autem hanc esse istius *distinctionis* rationem, quod ad summam rei, putem, tantum tamen abest, ut eorum Regum, Deorum & Semideorum, vel ætatem vel nomina singillatim cum Historia Sacra, seu cum Duratione istius Temporis, ac Hominibus ipsis ante & post Diluvium, sive Annos pro mensibus singulis, sive aliter accipias, in consensum redigere velim, aut redigi posse putem, ut ne ex Hominum quidem, seu *Aegyptiorum* post *Mestræos*, Regno certam posse constitui Chronologiam existimem, quum Scriptores rerum Aegyptiacarum immanem in modum auxerint suæ Gentis tempora, & omnia in iis sint plane con-

fusa ac incerta. Quapropter valde miror, Viros Doctissimos, Marshamum & Pezronium, voluisse nobis non modo continuam Regum seriem ex illis Aegyptiorum Dynastiis & Chronicis conficere, sed & ad certa singulos tempora referre: qua in re quin oleum & operam omnem perdiderint, ac vere Aethiopem, seu Aegyptium, laverint, nullus dubito, & liquido, nisi fallor, in sequentibus ostendam.

CAP. III.

Chronologia, ex Numeris solis annorum confecta, est incertissima; at longe certior est illa, quæ ex Synchronismo rerum Historicarum constituitur. Numeri olim singulis literis fuerunt notati. Ejus rei usus antiquissimus. Hinc sæpe Numeri reperiuntur corrupti, quod queruntur jam ipsi Veteres. Aegialeus Rex, seu Initium Sicyonii Regni, non referendum ad tempora supra Abrahamum, sed ad Mosis ætatem. Aegialeus fuit Inachi Filius, Phoronei Frater. Inachus

chus primus Argivorum Rex floruit paulo ante egressum Israëlitarum ex Aegypto:

Etenim nihil potest esse incertius, quam Chronologia ex solis confecta Catalogis, qui nomina nuda Regum, & Annos cujusque Regni, continent, quum nihil jam olim in Libris corruptius fuerit, quam Nomina Propria, & Numeri. Infiniti in hisce errores librariorum, ac dein etiam ipsorum Auctorum, qui in corrupta aliorum inciderunt exemplaria, passim deprehenduntur. Ne Sacri quidem Codices, ne *Hebraici* quidem ab hac labe sunt immunes, ut in Præfatione ad Aeliani *Variam Historiam* demonstravi. Sed & hinc tanta Numerorum de eadem re in diversis Auctoribus discrepantia. Ratio est, quia Numeri non integris vocabulis scribi (vide Menagium ad Laërtium *lib.* I. *p.* 5. *init.* a.) sed unica denotari olim solebant litera, quæ erat vel prima Vocum, certum numerum significantium, ut liquet manifeste ex antiquissimo Marmore Arundeliano Chronologiæ Atticæ: vel sumpta ex ordine, quem in Alphabetho literæ obtinebant, cujus itidem antiquitas vel ex eo certa est, quod a Græcis

cis ad numerum denotandum retentæ ex Hebraico Alphabetho sunt literæ, quæ in Græco fuerunt postea neglectæ, nec certe ad legendum aut scribendum adhibitæ, veluti Vau vel Digamma Aeolicum (nam Aeoles hanc literam servarunt) ad *Sex*, & Koph ad *Nonaginta* designandum. Hoc autem non nisi ex antiquissimo tempore repetendum, quando ipsas literas earumque seriem Græci ex Oriente recens acceperunt, & simul ex Orientalium Linguarum ac nationum usu istam numeri designandi rationem. Accedit, quod frequentis adeo corruptelæ in Numeris nulla alia commoda satis potest dari ratio, nisi hæc, quod Notis singularibus fuerint designati. Quod vero in Numeris revera vitiati passim sint Auctores, nemini est ignotum, quin immo communis ea omnium & vetus est querela. Jam olim Livius XXXVIII. 55. in summa auri atque argenti apud Valerium Antiatem, qui vixerat Sullæ tempore, *librarii mendum potius quam Scriptoris mendacium* esse credidit. Ipse Eusebius *Chron.* I. *p.* 18. de sextadecima Aegyptiorum Dynastia, καθ᾽ ἣν ἐβασίλευσαν Θηβαῖοι ἔτη ρξ, ἐν τισι δ᾽ ἀντιγράφοις ϙ. *in qua regnarunt Thebani annis* 160. *in quibusdam vero exemplaribus*, 190. Posterius hoc sequitur, & solum me-

memorat; in versione sua Hieronymus. Similiter Syncellus [a] in Dynastia Manethonis XIV. ex Eusebio tradit de Regibus istius Dynastiæ, οἱ ἐβασίλευσαν ρπδ', ἐν ἄλλῳ υπδ', *qui regnarunt* annos 184. *in alio*, sc. codice regnarunt, 484. Vide & Margines Syncelli *pag.* 148. ubi diserte ait, οἶμαι δὲ, ὅτι αἱ προσθῆκαι καὶ ἐλλείψεις τῶν Ἐτῶν ἐξ αἰτίας τῶν καλλιγράφων γεγόνασι, *puto autem additiones & detractiones annorum culpa scribarum factas.* Et. *p.* 152. *Ille autem* (σφάλμα ἦν ἐκ τῶν καλλιγράφων) *error erat ab scribis ortus.* Innumera sunt similia apud ipsos Veteres. Quapropter longe plus tribuendum fidei & auctoritatis censeo Chronologiæ Historicæ ex Synchronismo Rerum aut Hominum diversæ gentis, sed ejusdem temporis ductæ, quam Arithmeticæ, ex solis numeris annorum, qui singulis tribuuntur Regibus, formatæ. Exemplo sit Sicyoniorum Chronologia, cujus principium collocant vulgo ante Abrahami ipsius natales, immo dudum ante Nini, cujus demum anno 43. natus creditur Abrahamus, Regnum, atque adeo sub Belo Nini Patre. Vide Eusebium [b], & Petavii *Rationarium* [c]. Nulla est istius anti-

[a] *Pag.* 61.
[b] *Chron. pag.* 19.
[c] *Part.* II. *lib.* 2. *Cap.* 3.

antiquitatis ratio, nisi quod ex Castore Eusebius & Syncellus illos nobis Reges memorant, eorumque annos, qui illic ascendunt ad eam usque ætatem, ut Aegialeus primus Sicyonis Rex, qui regnasse dicitur 52. annos, mortuus jam plus 20. annis ante natum Abrahamum tradatur. At vero, præterquam quod neutiquam est verisimile, illo jamtempore Homines ullos in Græcia exstitisse, auctores sunt alii, Aegialeum hunc, & illud Regni Sicyonii initium, exstitisse tempore Phoronei demum, qui Filius fuit Inachi, atque adeo tempore Mosis. Diserte Clemens Alex. *Stromatum lib.* 1. *p.* 321. quum ostendisset Mosen exiisse cum Israëlitis ex Aegypto tempore Amoseos Regis Aegyptii, & Inachi Argivi, subjicit: *Exstitit autem in Græcia tempore Phoronei; qui post Inachum fuit, Diluvium Ogygium, & Regum Sicyonis, cujus primus Rex fuit Aegialeus.* Adde, quod Apollodorus *Biblioth. lib.* 2. *init.* Aegialea hunc dicat Filium Inachi, & Fratrem Phoronei, rectius, quam Syncellus, qui *pag.* 149. Aegialea etiam in serius tempus demittit, & Fratrem dicit Apidis, qui Phoronei fuit Filius & Successor. Jam vero cui potius credemus de ætate Aegialei, utrum Historicæ huic descriptioni, an vero Numeris illis annorum? Ego certe

non dubitem hosce rejicere, & arripere potius illam, ſecus licet faciant Euſebius, Scaliger, Petavius. In contrarium plane abiit Marshamus *pag.* 16[a]. qui plane repudiat iſtam Regum Sicyoniorum ſeriem; ſed neque illud recte, quum debuiſſet potius ad ſeriora eam referre tempora. Similiter ipſius Inachi ætatem referunt Euſebius[b], & qui eum ſequuntur, ad tempora Abrahami & Iſaci, ſolis annorum numeris & ſummis inducti. Vide Petavii *Rationar*. P. II. *Lib.* 2. *cap.* 5. At omnes ante Euſebium, Gentiles, Judæi, & Chriſtiani, Inachum uno ore tradunt temporibus Moſis ex Aegypto egreſſi, vel paululo ante, vixiſſe. Vide Juſtinum Martyrem *Cohortat. ad Græcos p.* 9. 10. vel potius Doctiſſ. Pezronium *Antiquit. Reſt. cap.* 2. *p.* 13. 14. & *caput* 8. *extr.* ubi ex ipſis antiquis Auctoribus id liquido declarat. Ipſe Euſebius in præfatione *Chronici Canonis*, diſerte fatetur, Homines *Doctrina Celebres, Chriſtianos & Judæos*, ἰδίως ἕκαστον τὴν ἀπόδειξιν ἐκ παλαιᾶς ὑποσχόντας ἱστορίας, *ſingulos ſeparatim demonſtrationem rei ex antiqua* (Gentilium) *Hiſtoria exhibentes, tradidiſſe, Moſen floruiſſe temporibus Inachi.* Et tamen ille Inachum Moſe facit longe anti-

a *Edit. Lipſ. p.* 15. *Add. p.* 353.
b *Chron. p.* 23.

antiquiorem, reprehensus ideo satis acriter a Syncello *pag.* 63. & maxime *p.* 150. Videmus ex his, quo nos abducant Arithmeticæ rationes contra Historicam fidem. Nam certe, si quid huic tribuendum, vel Moses fuit antiquior, quod verum putem, vel Inachus recentior, quam vulgo ex illis rationibus statuuntur. Tuentur quidem Eusebium Scaliger, & Petavius, Aliique, scilicet quia & ipsi non tam Historicam, quam Chronologicam, seriem volunt contexere, eam vero ex Numeris annorum potius, quam ex Historicis Synchronismis, constituere se posse arbitrantur. At quis tandem præjudicio vacuus Synchronismum rerum tanto consensu traditum non præferat fortuito Synchronismo numerorum, qui, ut ostendimus, corrumpi facillime possunt, & crebro solent?

CAP. IV.

Maxima in Aegyptiorum Chronologia varietas, discrepantia, & confusio reperitur. Probatur ex ipso Dynastiarum ordine in Chronico Veteri Aegyptiorum, & in Dynastiis

stiis Manethonis. Pluribus etiam demonstratur ex diversitate Nominum & Annorum, quae singulis Regibus ibi tribuuntur, ut & ex discordia Summarum, quae non conveniunt cum singulis Regum annis. Sed neque in Ordine Regum concordant diversi Eorum Catalogi. Magnus hiatus inter Reges Dynastiae XVII. *&* XVIII. *qui revera exstitit, sed ab Eusebio & Syncello praetermittitur, probatur ex Josepho & Africano. Agnovit eum Marshamus, sed ad turbandas Dynastias male adhibuit. Josephus quoque a Manethone saepius dissentit. Syncellus itidem minus consentanea sibi invicem scribit. Series Regum illius, consulto contracta ab ipso, & ad suam Hypothesin accommodata. Vana ergo est illa Series, nec tantum meretur auctoritatis, quantum ei tribuunt Marshamus & Pezronius. Graecorum & Arabum Series Aegyptio-*

rum Regum diversissimae ab illis Manethonis, Eratosthenis, & Syncelli. Chronologia Aegyptiorum ex principiis idoneis constitui nequaquam potest. Mera enumeratio Regum cum solis Regni annis est res nullius fere utilitatis, quod recte agnovit Syncellus in Regibus Eratosthenis, & Cephalion in Assyriis Regibus Ctesiae. Ipse Marshamus quantopere in his saepe haesitet.

Manifestum ex his est, quam parum certae fidei tribui possit Chronologiis, quae ex solis hisce Annorum Numeris & Regum Nominibus constituuntur. Talis autem est haec Aegyptiorum Chronologia, quam tamen in ordinem certum ex iis unice principiis redigere studuerunt Viri Doctissimi. Quocirca videamus jam accuratius & disertius, quid fidei illa mereatur, seu quam parum etiam illa sibi constet in hisce Numeris Annorum, & Nominibus Regum, immo quam omnia istic occurrant turbata, confusa, corrupta, discrepantia, ut adeo nihil certi aut sinceri ex tam vitiatis & dissonis inter se Chronicis, sine ullo alio rerum

con-

connexarum, aut inter se comparandarum documento, confici possit. Conferamus primum ipsas Dynastias Veteris Chronici, quod memorat Syncellus *pag.* 51. & Manethonis, unde suas habent Africanus, Eusebius, sicuti ex His porro Syncellus; atque ita etiam in illis ipsis videbimus omnia incerta & discrepantia. Incipiendum autem a Dynastia XVI. quia Vetus Chronicon priora non expressit.

Vet. Chron. apud Syncell. *p.* 51.	Manethonis ex Africano	ex Eusebio
Dynastia. XVI. Tanitarum, octo Regum, annor. 190.	Dyn. XVI. Græcor. Pastorum, Regum 32. ann. 518.	Dyn. XVI. Thebanorum, Regum 5. annis 190.
Dyn. XVII. Memphitarum, Regum 4. ann. 103.	XVII. aliorum Pastorum, & Thebæorum, Regum 43. utriusque generis, ann. 153.	XVII. Phœnicum Pastorum, Regum 4. ann. 103.
XVIII. Mem-	XVIII. Dios-	XVIII. Dios-

 phi-

phitarum, Regum 14. ann. 348.	politarum, Regum 16. ann. 263.	pol. Regum 16. ann. 348.
XIX. Dioſpolitarum, Regum 5. ann. 194.	XIX. Dioſpolitarum, Regum 6. ann. 209.	XIX. Dioſp. Regum 5. ann. 194.
XX. Dioſpolitarum, Reg. 8. ann. 228.	XX. Dioſpolitarum, Regum 12. ann. 135.	XX. Dioſp. Regum 12. ann. 178.
XXI. Tanitarum, Regum 6. ann. 121.	XXI. Tanitarum, Regum 7. ann. 130.	XXI. Tanit. Regum 7. ann. 130.
XXII. Tanitarum, Regum 3. ann. 48.	XXII. Bubaſtitarum, Regum 9. ann. 120.	XXII. Bubaſt. Regum 3. ann. 49.
XXIII. Dioſpolitarum, Regum 2. ann. 19.	XXIII. Tanitarum, Regum 4. ann. 89.	XXIII. Tanitarum, Regum 3. ann. 44.
XXIV. Saitarum, Regum 3. ann. 44.	XXIV. unius Saitæ, ann. 6.	XXIV. Saitæ unius, ann. 44.
XXV. Aethiopum, Regum 3. ann. 44.	XXV. Aethiopum, Regum 3. ann. 40.	XXV. Aethiopum, Reg. 3. ann. 44.

XXVI.

XXVI. Memphitarum, Regum 7. ann. 177.	XXVI. Saitarum, Regum. 9. ann. 150.	XXVI. Saitarum, Reg. 9. ann. 168.
XXVII. Persarum, Regum 5. ann. 124.	XXVII. Persarum, Regum 8. ann. 124.	XXVII. Persarum, Reg. 8. ann. 120.

Vide, Lector, quanta in his occurrat discrepantia, & adde, quod dein Eusebius *p.* 21. & Syncellus *p.* 103. post Regem Aegypti XXV. successisse memorant Dynastiam XVII. quae fuerit Tanitarum, Regum 4. qui regnaverint annis 254. quum in serie Dynastiarum illam videamus etiam ab ipso Eusebio aliis adscriptam. Quid ergo? quem potius sequemur, Manethonem, an Chronicon illud? at qua ratione, quo argumento, unum recipiemus, rejiciemus alterum? quum nihil utique circumstantiae habeamus Historicae, unde possimus ordinem illum & numeros examinare, & vel confirmare, vel refellere. Nam si quid usquam reperitur additum Dynastiis Manethonis, id vero maxima ex parte vel Africani est, vel Eusebii, ut quosdam tantum Reges ad Historiam Sacram suo ex arbitrio accommodent. Quod si nunc etiam ipsos Reges, eorumque Nomi-

 mi-

mina, & Seriem, & Regni Annos, inter se conferamus, longe adhuc deformior reperietur inconstantia, ac frequentior Nominum propriorum & Numerorum varietas, quod certissimum est multæ corruptelæ indicium. Exhibet nobis Syncellus Propriam quandam Seriem Regum Aegyptiorum a Mene usque ad Aegyptum a Persis subactam. Priorum Regum usque ad XXVI. nullos reperimus in Dynastiis Manethonis expressos, cum quibus eos conferre possimus. Sed & immanis est discrepantia inter numerum Regum, & annorum Summas utriusque illorum Chronologiæ, licet utraque ab eodem incipiat Mene. Nam inde usque ad primum XVII. Dynastiæ Regem Syncellus *pag.* 103. nobis refert tantum XXV. Reges, & spatium annorum IↃCC. quum ex primo Manethonis libro, & Dynastiis XI. colligantur ab Africano, & similiter ferme ab Eusebio, apud Syncellum *pag.* 59. & 60. Reges 192. & anni 2350. & dein ex quinque sequentibus Dynastiis addendi sint insuper Reges 173. & anni 1630. Deinde vero ab Rege XXVI. & Dynastia XVII. paulo melior quidem reperitur jam inter illos concordia in spatio annorum, Regumque numero, & apparet satis, eosdem plerosque Reges utrobique memorari, sed tamen etiam

istic

istic & deinceps deformem in modum maxima est varietas in omnibus, ut liquebit ex sequenti Serie Syncelli, & Dynastiis Manethonis apud Eundem ex Africano & ex Eusebio, ac Regibus Dynastiarum XVII. & XVIII. apud Josephum, inter se collatis

Re-

Reges Aegypti

Ex Serie Syncelli		Ex Josepho *lib.* 1. *contra Apion. p.* 1040, 1041. Reges Pastores.	
Rex XXVI	Silites annis. 19.	Salatis. ann.	19.
	Bæon. 44.	Bæon.	44.
	Aphachnas. 36.	Aphachnas. & mens. 7.	36.
Dyn. 17.	Aphophis. 61.	Aphophis.	61.
Rex XXX	Sethus. 50.	Janias. & mens. 1.	50.
	Certus. 29.		
	Aseth. 24.	Assis. & mens. 2.	49.

Tenuere Aegyptum annis 512. hi Sex, & eorum Posteri, inter quos, & Reges reliquæ Aegypti ac Thebaidos, bellum postea ortum; & sic tandem eos oppugnavit & vicit Halisphragmuthosis, cujus Filius,

Amosis qui & Tethmosis. 22.	Tethmosis, post ejectos plane Pastores regnavit annis 25. & mensibus 4.

Ma-

Manethonis.

Reges Dynastiæ xv. ex Africano		Reges Dyn. xvii, ex Eusebio	
Saïtes.	19.	Saïtes annis	19.
Beon.	44	Beon.	43.
Pachnan.	61.	Aphophis.	14.
Staan.	50.	Archles.	30.
Archles.	49.		106.
Aphobis.	61.		
	284.		

Dynastiæ xviii.

Ubi Eusebius prorsus eadem habet, quæ Africanus, istic lineolas tantum quasdam notavimus.

Amos annis 25 - - - - - - - -

ex-

	ex Syncello	ex Josepho.	
	Chebron. 13.	Chebron.	13.
	Amephes. 15.	Amenophis. & mens. 7.	20.
	Amenses. 11.	Amesses femina. & mens. 9.	21.
	Mis-phrag-mutho-sis. 16.	Mephres. & mens. 9.	12.
	Misphres. 23.	Mephramuthosis. & mens. 10.	21.
Dyn. 18.	Tuthmo-sis. 39.	Thmosis. & mens. 8.	9.
Rex. XL	Ame-noph-this. 34.	Amenophis. & mens. 10.	30.
	Horus. 48.	Orus. & mens. 5.	36.
	Achen-cheres. 25.	Acenchres. & mens. 1.	12.
	Athoris. 29.	Rathotis.	9.
	Chenche-res. 26.	Acencheres. & mens. 5.	12.
	Acheres. 8.	Acencheres alter & mens. 3.	12
	Armæus Danaus 9.	Armais. & mens. 1.	4.

ex-

ex Africano.		ex Eusebio.	
Chebros.	13.	- - - - - - -	
Amenophthis.	21.	Amenophis.	21.
Amersis.	22.	- - - - - - -	
Misaphris.	13.	Miphris.	12.
Misphragmuthosis.	26.	- - - - - - -	
Tuthmosis.	9.	- - - - - - -	
Amenophis.	31.	- - - - - - -	
Horus.	37.	Orus.	36.
Acherres.	32.	Achencheres.	12.
Rathos.	6.	Athoris.	39.
Chebres.	12.	Cencheres.	16.
Acherres.	12.	Acherres.	8.
		Cherres.	15.
Armeses.	5.	Armes Danaus.	5.

ex

ex Syncello.	ex Josepho.	
Rameses Aegyptus. 68.	Ramesses. & mens. 4.	1.
	Harmesses Miamum. & mens. 2.	66.
Amenophis. 8.	Amenophis. & mens. 6.	19.

Anni omnium sunt 393. ut ait ipse Josephus, licet hæc Summa singulorum Regum annos in unum collectos superet annis plus quam sexaginta. Sequitur primus Dynastiæ XIX. Sethosis, qui & Ramesses, & Aegyptus, in quo desinit Josephus.

In Serie Syncelli post Amenophin nominantur Hi Reges, quorum nullum in Dynastiis Manethonis reperitur vestigium. Post Eos autem sequuntur dein istic Reges, qui congruunt iterum, multa licet cum varietate, cum Regibus Manethonis Dyn. XIX. & sequentium.

Rex I.	Thuoris.	17.
	Nechepsos.	19.
	Psammuthis	13.
	- - - - annis.	15.

ex-

	ex Africano.	ex Eusebio.
Rameses.		1. Ammeses Aegyptus. 68.
Amenoph.	19.	Memophis. 40.
	263.	348.

Reges Aegypti ex Syncello.	Dynastia xix. ex Africano.	Dyn. xix. ex Eusebio.
Dyn 19. Certus. 16.	Sethos. 51.	Sethos. 55.
Rampsis. 45.	Raphaces. ann. 61.	Rapses. 66.
Amenses vel Amenemes. 26.	Ammenephthis. 20.	Ammenephthis. 40.
Ochyras. 14.	Ramesses. 60.	
Amedes. 27.	Ammenemmes. 5.	Ammenemes. 26.
Thuoris, qui Polybus Homeri. 50.	Thuoris Polybus. 7.	Thuoris. 7.
	209.	194.

	ex Syncello.	ex Africano.	ex Eusebio.
Dyn. 20. Rex LX.	Athotis. Phusanus. 28. Cencenes. 32. Vennephes. 42.	Dynastia XX. o o o Ann. 135.	Dynastia XX. o o o Ann. 178.
Dyn. 21.	 Susakim. 34. Psuenus. 25. Ammenophes. 9. Nephecheres. 6. Saites. 15. Psinaches. 9.	Dynastia XXI. Smedes ann. 26. Phuneses vel Phusenes. 46. Nephelcheres. 4. Amenenopthis. 9. Osochor. 6. Pinaches. 9. Susennes. 30. 130.	Dyn. XXI. Smendes. ann. 26. Psusennes. 41. Nephercheres 4. Ammenophthis. 9. Osochor. 6. Psinaches. 9. Psusennes. 35 130.

ex-

	ex Syncello.	ex Africano.	ex Eusebio.
		Dyn. XXII.	Dynastia XXII.
Dyn. 23.	Petubastes. 44.	Sesonchis. 21.	Sesonchosis. 21.
	Osorthon. 9.	Osoroth. 15.	Osorthon. 15.
		Tres Anonymi. 25.	
		Tacellothis 13.	Tacellothis. 13.
		Tres Anonymi. 42.	49.
		120.	
Rex. LXX.	Concharis *forte pro* Sesonchosis. 21.	Dyn. XXIII. Petubastes. 40.	Dyn. XXIII. Petubastes. 21.
Dyn. 22.	Osorthon. 15.	Osorthon. 8.	Osorthon. 9.
	Tacelophes. 13.	Psammus. 10.	Psammus. 10.
		Zet. 31.	
		89.	44.

ex Syncello.	Dyn. XXIV.	Dyn. XXIV.
Bocchoris ann. 44.	Bocchoris ann. 6.	Bocchoris ann. 44.
	Dyn. XXV.	Dyn. XXV.
Sabaco. 12.	Sabbaco ann. 8.	Sabbaco ann. 12.

ex Syncello.	ex Africano.	ex Euſebio.
Sebechon. 12.	Seuechus. 14.	Seuechus. 12.
Taraces. 20.	Tarcus. 18.	Taracus. 20.
	40.	44.
	Dyn. xxvi.	Dyn. xxvi.
Amaes. 38.		Ammeres. ann. 12.
Stephinathes. 27.	Stephinates. ann. 7.	Stephanathis. 7.
Nacepſes. 13.	Nerepſos. 6.	Nechepſos. 6.
Nechaab. 8.	Nechao. 8.	Nechao. 8.
Pſammitichus. 14.	Pſammiticus. 54.	Pſammitichus. 45.
Nechaab II. 9.	Nechao II. 6.	Nechao II. 6.
Pſammutis. 17.	Pſammuthis. 6.	Pſammuthis. 17.
Vaphres. 34.	Vaphris. 19.	Vaphris. 25.
Amoſis. 50.	Amoſis. 44.	Amoſis. 42.
	Pſammacherites. Menſ. 6.	168.
	Anni 150. menſ. 6.	

Manifeſtum ex his, memorari ab omnibus eandem fere Regum Seriem, ſed maxima cum discrepantia & varietate. Nam quod ad Reges ipſos, in una Chronographia nonnullos reperies omiſſos, alios additos, cujus

jus *contrarium* in altera animadvertes. Ordo quoque Regum sæpe est perturbatus plane, in primis post Reges Dynastiæ XVIII. seu post Regem *Seriei* XLVIII. Nec fere dubito, quin Rex LVII. *Amedes* sit idem, qui in Dynastia XXI. primus est, & ibi nominatur *Smedes*, quum & Nomen in una tantum litera, & spatium Regni uno tantum anno, discrepet. Atque idcirco collocandus in ista *Serie* foret *Amedes*, seu potius *Smedes*, post Thuorin, non ante eum; plane uti mox Reges Dynastiæ XXII. reperimus in ista quidem *Serie* positos post Dyn. XXIII. Reges, sed itidem male sine dubio. Videtur autem Syncellus ex uno *Smede*, primo Dynastiæ XXI. Rege, duos fecisse, *Ameden* hunc, quasi Dynastiæ XX. Primum, & *Susakim*, quasi Dyn. XXI. Primum. Quid jam de Numeris annorum, unde Chronologia ipsa est constituenda, dicam? Quidquamne potest dari inconstantius aut corruptius? Sæpe utique unius Regis diversi plane Anni a tribus, vel quatuor Auctoribus, si Josephum addimus, sunt expressi. Sæpe inter ipsos, Africanum & Eusebium, qui ex uno Manethone sua pariter excerpserunt, magna tamen in his deprehenditur discrepantia. Taceo, quod sæpe apud Eosdem Summæ annorum cujusque Dynastiæ neutiquam

congruant cum Numeris annorum, singulis Regibus istius Dynastiæ adscriptorum. Neque vero universa utriusque Chronologiæ Summa satis sibi constat. Nam in hoc intervallo ex *Serie Regum* Aegypti summam habemus annorum 1509. at ex Dynastiis Manethonis apud Africanum exoriuntur anni 1469. apud Eusebium 1262.

Sed & ex Josepho constat, non expressa omnium Regum Nomina, nec Annos, atque adeo hiatus in *Serie* illa & successione statuendos, licet Chronicon Regum Aegyptiorum Syncelli, & Eusebius, hiatum nullum admittant. Nam successorem proximum dant Amosin primum Dynastiæ XVIII. Regem Regibus Pastoribus Dynastiæ XVII. qui apud Josephum sunt Sex numero, at in Chronico Syncelli Septem. Verum diserte Josephus *lib.* 1. *contra Apion. p. m.* 1040. hos Sex ait fuisse *Primos* ex Pastoribus Reges, *qui semper magis magisque desideraverint exscindere Aegypti radicem. Eos* autem, dein addit, καὶ τὲς ἐξ αὐτῶν γενομένες, *& qui ex iis orti sunt, tenuisse Aegyptum annis undecim supra quingentos.* Postea demum *Reges Thebaidis & reliquæ Aegypti consurrexisse in Reges* illos *Pastorum* generis, & *grave ac diuturnum inter eos conflatum tunc bellum.* Tandem

dem vero victos Pastores ab Rege Halisphragmuthosi, & reliqua Aegypto ejectos, ac redactos in urbem Avarin: In qua Urbe eos diu obsederit Thummosis, qui est ille, ceteroquin *Amosis* dictus, Halisphragmuthoseos F. sed qui, desperato tandem obsidionis successu, ad pactiones descenderit, ac dederit illis facultatem sine noxa exeundi Aegypto: illum autem Thummosin vel Tethmosin, post exitum Pastorum ex Aegypto, regnasse adhuc annis XXV. & IV. mensibus. Manifestus in his hiatus, siquidem illi Sex Reges Pastores tenuere Aegyptum per annos tantum 259. ex Josepho, 263. ex Chronico Syncelli, 284. ex Manethone Africani; atque adeo inde superest intervallum plus 200. annorum, ut expleamus summam illam annorum 511. quot Pastoribus tribuit Josephus. Dein etiam intervallum aliud belli πολυχρονίυ, *diuturni*, quo tandem ab Alisphragmuthosi victi fuerint Pastores, & conclusi in Abarim, agnoscere hic debemus. Denique etiam Tethmosis aliquandiu ante, quam Pastores Aegypto plane excederent, atque adeo diutius quam in Chronicis & Dynastiis scribitur, regnavit, siquidem diserte illo annorum numero, qui in Dynastiis illi tribuitur, regnasse traditur, *postquam* Pastores diu ab

 se

se obsessos pactionibus tandem excedere Aegypto jam adegerat. Quæ omnia satis liquido declarant, magnum sane annorum spatium debere ex Aegyptiorum Historiis relinqui in medio inter Reges Pastores Dynastiæ XVII. apud Eusebium, & Primum Regem Dynastiæ XVIII. quos Eusebius & Syncellus male tanquam sibi invicem proximos conjunxerunt. Marshamus *p.* 240. 241 [a]. animadvertit hanc lacunam, & in rem suam studiose convertit, siquidem Reges XXI. & XXIII. Dynastiæ, supra XVIII. Dynastiam retrahit, & ad explendam hanc lacunam adhibet, tantum quia *Tanitæ* dicuntur fuisse, æque ac Reges XVII. Dynastiæ, sed revera, ut sic posset Reges XVIII. Dyn. demittere usque post ultimum Eratosthenis Regem, eique tunc proximos hos dare Successores, & sic suam fabricari Chronologiam. Verum illud est hypothesi arbitratu suo constitutæ servire, & relictæ a Manethone Chronologiæ vim facere, siquidem ejus Dynastiæ illo jam tempore omnium consensu fuerunt successivæ; id quod confirmatur vel maxime ex *Serie Regum* Aegypti apud Syncellum, ubi successivo prorsus ordine memorantur Dynastiarum XVII... XXIII. Reges. Longe autem rectius Afri-

ca-

a *Pag.* 250. *Edit. Lips.* Add. *pag.* 311.

canus illos Reges, quos Eusebius & Syn*cellus* proxime ante XVIII. Dynastiæ Reges collocant, retulit ad Dynastiam Quintam decimam, quo modo sic satis spatii inter illos & Dynastiam XVIII. manet interjectum ad explendum hunc ex Josepho hiatum, qui etiam inde confirmatur clarissime.

Similiter Syncelli Chronicon Regum Aegypti inter Reges XVIII. & XIX. Dynastiæ interponit quatuor Reges, eisque tribuit annos 64. qui tamen & quorum tempus in Serie Regum Manethonis non exprimitur: quorumque etiam Marshamus nullam habuit rationem. Sed & de Josepho diserte ait Syncellus *pag.* 103. *extr. Eum in exponendis Regibus Manethoni, nec in propriis singulorum Regum temporibus, nec in summa eorum universa*, ὔτε κατὰ τὺς μερικὺς τῶν Βασιλέων χρόνυς, ὔτε μὴν τελείως ἐν τῇ τύτων ὁμαδικῇ ςοιχειώσει, *satis esse consonantem.* Neque vero Syncellus ipse consentanea sibi invicem ex Manethone profert. Nam *pag.* 52. ait, *Familiarum* 113. *per* 30. *Dynastias ab illo descriptarum tribus libris, usque ad annum circiter quintum decimum ante Alexandri M. imperium, tempus omne esse annorum* 3555. Et ne putes hunc numerum esse corruptum, initium ejus statuit in anno Mundi 1586. ac finem in

anno 5140. ex quo intervallo ipsi hi Anni 3555. emergunt. At vero ex Summis, quas videmus apud Syncellum singulis tomis Manethonis ab Africano subjectas, Primo 2300. Secundo 2121. Tertio 1050. exoriuntur anni 5471. Sed & hæ ipsæ Summæ, neque cum Eusebianis conveniunt, neque cum singulis Regum annis per singulas cujusque Tomi Dynastias.

Porro autem Seriem Regum Aegyptiorum exhibet Syncellus, in qua ille post Regem XXV. consentire aliquantulum deprehenditur cum Dynastiis Manethonis, quæ post Sextam decimam fuisse memorantur. Initium autem ejus ducit a Mene, quem & Mizraim fuisse putat, & ab anno Mundi 2776. quo dispersionem Hominum tradit factam. Desinit autem in Rege LXXXVI. Amasi, qui a Cambyse bello petitus, & in anno 4986. quod intervallum est tantum annorum 2210. Vide Syncell. *p.* 210 [a]. His jam si addas annos 154. a Cambyse usque ad Nectanebum, habebis annos 2364. quot etiam annos ille vult statui a Mene, seu Mizraimo, ac dispersione Gentium, usque ad Nectanebum, recisis ex ea, quam memoravit, Manethonis summa 3555. annorum, annis 1190. tanquam falsis, & elapsis, partim ante

[a] Add. *pag.* 91.

ante *Dispersionem*, partim etiam ante *Diluvium*. Vide Eum *p.* 52. 53. Liquet ex *hisce*, quam variæ, incertæ, corruptæ sint illæ Manethonis Dynastiarum reliquiæ, quam nihil certi, nihil Chronologici ex iis elici possit. Liquet etiam, quantum sibi in iis permiserit Syncellus, *qui* Seriem Regum suorum ab eodem Mene, a quo & Manetho suas Dynastias, incipiens, tot tamen annos suo arbitratu præcidit, ut Chronologiam Aegyptiam ad Sacram Judæorum accommodaret, eaque gratia primas XVI. Dynastias in 700. annos, & Regnum XXV. tantum Regum contraxit. Vide Eum *pag.* 103. Liquet denique vera, quam non animadverterunt Viri Eruditissimi, Origo horum XXV. Regum, atque adeo nullius esse momenti, auctoritatis, aut utilitatis illam istorum Regum *Seriem*, tanquam mero Syncelli arbitratu confictam vel contractam, dum paucos ex pluribus in illa Successionis Serie suo arbitrio retinuit: Frustra ergo esse Viros Doctissimos, qui, licet nesciant, *unde illos Reges hauserit, tamen gratissimam sibi obvenisse illam Seriem, ex qua spes in ordinem redigendi Aegypti origines prima emicuerit*, testantur. Sic enim loquitur Marshamus *pag.* 7. inanem prorsus spem tanti momenti ex re ab Syncello ad suam Hypothesin accommodata concipiens. Nec minus multa aut

aut magna inde elicit Pezronius, ætatem Menis & initium rerum Aegyptiacarum, aliter tamen, quam ipse Syncellus, inde eruens, & ex Veteri quodam Aegyptiorum Chronico acceptam existimans. Vide illum *Antiq. Temporum restituta Cap.* 13. *p.* 167. & *seqq.* sed & quæ Nos infra contra Eum de ætate Menis disputabimus. Adde jam hisce, quod Herodotus & Diodorus longe alios nobis Reges Aegypti memorent, atque aliam conficiant Chronologiam. Sed & Arabes prorsus aliam itidem Aegyptiorum Regum Seriem, quæ nihil commune habet cum Regibus Manethonis, Eratosthenis, & Syncelli, nisi quod *Menas* ibi quoque nominetur, sed octavus post Mizraimum, memoriæ prodiderunt. Vide Bocharti *Phalegum lib.* IV. *cap.* 38. *p.* 357 [a]. & Marshamum *pag.* 71 [b]. qui eam plane rejiciunt, sed nullo majori jure, quam nos, non prorsus quidem rejicimus, sed tamen nullius pretii putamus, Eratosthenis Catalogum, qui itidem nihil commune habet cum Manethonis, nec cum Syncelli, Regibus. Quorsum jam hæc omnia? Nempe ut liqueat clarissimum in modum, nulla nos habere certa principia aut fundamenta satis idonea, quibus insisten-

a *Edit. Francof.* 1674.
b *Pag.* 73. *Edit. Lips.*

ſiſtentes progrediamur ad Chronologiam Aegypti conſtituendam ex jejunis illis & perturbatis adeo, ac inconſtantibus, corruptiſſimisque Regum tribus vel quatuor Catalogis, qui nil fere niſi Nomina & Regni cujusque Annos, ſed diverſiſſimos, continent. Si haberent varias rerum circumſtantias, non ab Africano, Euſebio, vel Syncello alicubi, licet & hoc raro, per modum illuſtrandi, & ad Hiſtoriam Sacram referendi, ſed ab ipſo Manethone aut Eratoſthene, ſibi additas; vel etiam ſi haberent ſaltem cœleſtes & Eclipticas temporis deſignationes, ut Epocha & ſucceſſio Nabonaſſari, unde Ptolemæi Canon eſt formatus; tum vero aliquid nobis præberent adjumenti ad Chronologiam, ſi minus certam, ſaltem probabilem aut tolerabilem, contexendam. Nunc jejuni hi Catalogi in tam immodica inſuper discrepantia, confuſione, & corruptione, nihil ſubſidii, vel certe parum prorſus, eam in rem nobis adferunt. Agnovit hoc, ſi credimus Scaligero, Euſebius ipſe, qui *pag.* 25. commemoratis ordine 38. Regibus Thebanis, ſupervacuum & inutile ducit apponere aliorum 53. ab Apollodoro relatorum προσηγορίας, ὡς μηδὲν συμβαλλομένας ἡμῖν, *nomina, tanquam quæ nihil nos juvent.* Addit Syncellus

CAP. V.

Scaliger extollit valde Dynastias Manethonis, quæ tamen longe ultra & supra initium Mundi ascendunt. Fuerunt illæ, ex sententia ipsius Manethonis, per unam & continuam Seriem temporis altera alteri succedentes, at neutiquam plures simul exstitere. Eratosthenis Catalogus Regum Thebaidis. Multis eum laudat, & constanter sequitur Marshamus. At nihil ille juvare nos potest in Chronologia & Historia Aegyptiorum ordinanda. Menes non fuit Chamus, quod voluit Marshamus. Fuit longe recentior, & primus Aegyptiorum Regum, ut Assyriorum Ninus, in Historiam relatus. Chamus, ut & Mizraimus, nequaquam videntur ipsi in superiora Aegypti, aut ultra Nilum in fines Libyæ transiisse, atque ibi consedisse. Tempore anti-

antiquissimo plures Aegypti fuerunt Reges simul in diversis ejus partibus. Menes videtur primus totam tenuisse Aegyptum, sed quæ dein iterum inter ejus Filios & Successores est divisa. Error Marshami in connectendis ex Diodoro Menis & Sesostris temporibus, ut & Dynastia XVIII. *cum Eratosthenis Catalogo. Eosdem Reges, in numero Regum omittit, at in Summa Annorum retinet, ut suæ Chronologiæ inserviat. Abbas Sevinus ex Mene facit Mizraimum, sed itidem male. Menes cur* Διόνιος *dicatur ab Eratosthene. Hammon a posterioribus Græcis dictus fuit* Jupiter; *at alius ceteroquin est Jupiter Aegyptiorum.. Deorum Aegyptiorum Historia & Chronologia est omnium incertissima.*

Inter eos, qui Manethonis Dynastias Aegyptiacas valde probant & extollunt, vel præcipuus est Scaliger in *Canonibus Isagogicis.* Nam *nullas vetustatis reliquias cum istis comparandas esse putat, neque*

 feli-

felicius nobiscum agi potuisse, quam si integri Tomi Manethonis ad nos pervenissent, ut loquitur *pag*. 317. & ideo *majorem his Dynastiis se fidem habere, quam Herodoto, homini peregrino*, ait *ibidem*. Sed nescio quid sibi velit, quando eas exhibet & ita laudat, licet ex ejus ipsius computatione longe supra initium Mundi, immo plus sæculis XIII. supra, ascendant, & ideo novam sibi ille *postulare* Periodum. Julianam debeat, *ne tam pulchrum temporum vinculum interrumperetur*; quod fieret, si prioribus Dynastiis præcisis, incepisset Scaliger suum condere Canonem ab ea demum, in cujus tempus Mundi initium incidit. Rationem autem ejus rei hanc nobis exponit *pag*. 279. quod, *quia pulchro ordine digestæ sunt, & sub medium tempus cum Historia S. paria faciunt, illarum itaque memoria conservanda sit, & in priscarum originum Seriem digerenda*, Et *p*. 316. *quia ex eis illa, quæ in tempus Historicum incidunt, & veritati maxime consentanea sunt, & cum initiis temporis Mythici ita cohærent, ut sine maxima perturbatione interrumpi non possint*. In hisce ita ille loquitur, quasi ex istis Dynastiis ergo ante ipsum Mundi initium aliquod tempus agnosceret, & earum Chronologiam supra illud initium ascendentem probaret ex eo, quod quæ ex hisce

hisce Dynaſtiis in tempus Hiſtoricum deinde incidunt, veritati ſint conſentanea, atque ideo non interrumpenda, quod fieret, ſi rejicerentur antiquiora, ac poſteriora tantum reciperentur. At ſi falſa ſunt illa Mundi initio antiquiora, ut ſunt certiſſime, & ut nullum eſt ante hoc Initium tempus, quodnam ſtatui tunc in his poteſt *temporum vinculum*, quod interrumpi non debeat, quidve periculi ex illa *interruptione*? Deinde vero, quænam ſunt illa *veritati temporis Hiſtorici conſentanea*, & *quæ paria faciant cum Hiſtoria Sacra*, & *cum initiis temporis Mythici* tam pulchre *cohæreant*? Immo ubi ulla iſtic mentio *Diluvii*, *Diſperſionis Hominum* &c.? ubi ullum Hiſtoriæ Sacræ veſtigium, niſi quod ex conjectura per interpretationem ab Africano, Euſebio, aut Syncello, eſt additum? Ipſe Scaliger utique nulla nobis talia in Notis ſuis commonſtrat. Sed & nemo eum ſequitur in iſta computatione. Hoc tamen obſervari hic velim, quod ille unam & continuam temporis ſeriem in hiſce Dynaſtiis ex Manethone conſtituat, ſeu non exiſtimet quaſdam Dynaſtias ſimul exſtitiſſe, verum unam ſemper alteri ſucceſſiſſe, atque adeo temporis ordine unam eſſe altera priorem aut poſteriorem: quod & revera voluit Manethon, cui ſi

 quid

quidquam auctoritatis tribuendum in his est, auscultandum in eo utique erat. Quod vero non aliter, nec alio sensu, Dynastias hasce Manetho revera acceperit ipse, ac nobis reliquerit, liquet ex tota annorum summa, quam non modo singulis Dynastiis ordine subjicit, sed & ex omnibus, in unum contractis temporis spatium, conficit. Vide Syncellum *pag*. 52. D. & Summas singulis Manethonis libris subjectas. *p*. 59. 72. & 77. licet minores illæ summæ Universam, ut omnia istic in numeris sunt corrupta, non plane expleant. Marshamus tamen & Pezronius aliter, sed suo prorsus arbitratu, hasce Dynastias ordinant, variasque simul exstitisse asseverant, ut ita earum initium in tempus post Diluvium rejicere & qualemcunque ex iis Chronologiam contexere possint.

Sed videamus jam, qua via vel vi grassetur in hisce Marshamus, quodve arripiat, & quo jure, fundamentum suæ Chronologiæ. Præcipuum ex Catalogo sumit Thebanorum Regum, quem Eratosthenes Ἐκ τῶν ἐν Διοσπόλει ἱερογραμματείων, *ex Sacris Literis urbis Diospolitanæ*, sumsit, & jussu Regis Ptol. Euergetæ ex Aegyptia in Græcam transtulit linguam. Eum autem deinde in Chronica sua retulit Apollodorus, unde accepit

Syn-

Syncellus. Vide Hunc *pag*. 91. & 147. Illum ergo Catalogum arripuit Marshamus, *ejusque ductu tanquam filo Ariadneo tenebricosos millenorum amplius annorum anfractus fidenter se obivisse* jactat *p*. 297[a]. Atque ideo *venerandissimum antiquitatis monumentum, & ad stabilienda Aegyptiorum tempora inprimis necessarium* appellat *pag*. 3. *ad quod Dynastiæ reliquæ, omnisque Vetustissimi Populi Historia accommodari debeat*. *p*. 26. Quis hæc legens non maximum quid, & tanto hiatu dignum, exspectet? Et tamen nihil prorsus habet ille Catalogus, quod Historiam juvet, aut Chronologiam instruat, aut quod cum aliis Scriptoribus conferri queat, & ita ex iis confirmari. Nihil enim continet nisi mera Regum nomina & singulorum Regni annos, seu, ut ipse Marshamus, sed de Dynastiis, loquitur *p*. 29. *magnos annorum numeros* (addo, Regum ignotissimorum nomina) *præterea nihil*. Si maxime largiar, quod non recuso plane, tales Thebanorum Reges, eoque ordine, revera exstitisse, quis nobis asseverabit Numeros annorum non esse corruptos, æque ac in Manethonis sunt Dynastiis, ut supra ostendimus. Quin immo si neque in hisce aliquid esset vitii, quod tamen parum est

a *Pag*. 311. *Ed. Lips*.

probabile, quid aliud tamen haberemus, quam certam annorum summam, cujus nec principium, nec medium, nec finem, cum quo Chronologiæ universæ intervallo comparare debeamus, affirmare possimus, ut adeo videatur sane Marshamus hunc potissimum arripuisse Catalogum, quia cuicunque tempori aut Hypothesi adaptare eum poterat. At ipse Marshamus *pag.* 91 [a]. *si supponamus* (ex Dynastiis Manethonis) *obscuros aliquos Memphidis Reges per annorum sesquicenturiam pastoribus fuisse contemporaneos, quid de illis non fabulosum excogitari potest?* Eadem nos dicimus de ignotissimis Eratosthenis Regibus, de quibus quia nihil certi, nihilque Historiæ habemus, fingi quidlibet potest.

Unum tamen est, quod cum alterius, & Judaicæ quidem, Gentis Chronologia videatur posse conferri, ille certe confert. Scilicet Menem primum horum Thebanorum Regem putat Marshamus esse Chamum ipsum. Vide Eum *pag.* 22. 23. & 30. Id vero probat ratione seu argumento longe incertiore, scil. quod Sesostris fuerit Sesacus tempore Rehabeami, quodque tantum intervalli a Diodoro Siculo statuatur inter Menem & Sesostrim, quantum inter Chamum & Sesa-

cum

a *Pag.* 93. *Lips.*

cum in S. Scriptura intercedit. Ergo Menes fuit Chamus, ſed non aliter quam ſi Seſoſtris quoque fuerit ille Seſacus, quod prorſus negamus, & clariſſime in *ſeqq.* refutabimus. Euſebius quidem & Syncellus *p.* 53. & 91. Menem interpretantur eſſe Mizraimum Chami F. ſed ex conjectura, quia, ut diſerte tradit Herodotus II. 4. *Menes primus ex Hominibus regnavit*, & Diodorus Siculus *lib.* 1. *pag.* 29. *Poſt Deos ajunt primum regnaſſe in Aegypto Menam.* Sed ſub *Diis* continentur iſtic etiam *Heroës* vel Semidei, quos diſerte una cum Diis, ab *Hominibus* Regibus ipſe Diodorus paulo ante diſtinxerat. Neque aliter ex Manethone ipſi Africanus & Euſebius apud Syncellum *pag.* 54. & 55. Μετὰ Νέκυας τὲς Ἡμιθέες &c. h. e. *poſt Heroas Semideos, primum Regnum exſtitit octo Regum, quorum primus fuit Menes Thinites*, Jam vero Heroës vel Semidei, ut in ſuperioribus oſtendimus, ſunt *Meſtræi*, h. e. Succeſſores proximi Mizraimi, qui apud ipſum Syncellum diſertiſſime diſtinguuntur *pag.* 51. ab *Aegyptiis*, ſicuti *Dii* & *Heroës* apud Diodorum ab *Hominibus*. Si ergo *Meſtræi* exſtiterunt Reges ante *Aegyptios* & *Homines Reges*, quorum primus fuit *Menes*, certum utique Menem non eſſe ipſum auctorem & pro-
 geni-

genitorem Mestræorum, sed successorem, atque adeo non fuisse ipsum Mizraimum, multo minus Chamum, sed alium quemcunque Regem, qui longe post demum exstiterit. Confirmatur hoc ipsum etiam ex eo, quod Menes hic a Diodoro *d. l. primus quoque* dicitur *luxuriam & sumptuosam vitam instituisse* vel *docuisse* Aegyptios, unde postea *a Patre Bocchoridis fuerit exsecrationi subjectus*, *quæ Sacris Literis in templo Jovis Thebani fuerit mandata*, *qua ex re factum sit*, *ut Menæ gloria & honores ad posteriora tempora non perduraverint.* Eodem fere modo Plutarchus in *Iside* non longe ab initio tradit, traduxisse eum primum Aegyptios *a tenui victu* ad luxuriam. Si ita, manifestum tunc, exstitisse utique jam ante Menem Gentem Aegyptiam, quæ luxuriam ignoraverit, & tenui vixerit victu. Nec probabile ulla ex parte, Chamum vel Mizraimum jam tunc ulla luxuriæ cognovisse instrumenta, nedum ejus initia in suam induxisse familiam, aut Chamum, seu Hammonem, Deum Aegyptiorum, vel Mizraimum Gentis Progenitorem, fuisse exsecratione perpetua dehonestatos aut conspurcatos.

Sed & animadvertendum censeo, quod Menes ille dicitur omnium consensu *Thinites*, unde & in Dynastiis Manethonis pri-

ma est *Thinitarum*. *This* autem urbs sita fuit *in* Superiore Aegypto, ad Occidentalem Nili ripam. Jam vero cui tandem verisimile fiet, Mizraimum, nedum Chamum, transitis & relictis Aegypti inferioribus & pascuis plane regionibus, penetrasse usque in Thebaidem, seu in superiora plane Aegypti & in extremos ejus fines, immo transiisse etiam fluvium Nilum, & ultra eum in finibus Libyæ consedisse, unde *Thinites* diceretur. Notatum utique jam dudum a Viris Eruditissimis, Aegyptum inferiorem proprie in S. Scriptura dictam *Mizraim*, at Thebaidem *Pathros*, quæ diserte hoc suo nomine a terra *Mizraim* distinguitur Esaiæ xi. 11. & Jerem. xliv. 1. Vide Bochartum *Phalegi* iv. 27. *p*. 312. 313. & ipsum Marsham. *p*. 24. Nomen autem illud *Pathros* accepit a Filio Mizraimi, sic dicto. Quid aliud hinc colligemus, quam Mizraimum ergo consedisse, & condidisse gentem ac regnum in inferiore tantum Aegypto, seu in Terra *Mizraim* dicta, neutiquam in remotiore, in qua sedem fixerunt tandem ejus posteri per Filium Pathrosum, multo minus transiisse eum insuper Nilum, & condidisse istic pagum vel urbem *Thina*, unde *Thinites* diceretur. Adde ad extremum, quod in libro *Ju-*

chasim memorentur Historiæ Regum Arabiæ, in quibus *Mizraim*, Filius Chami, *primus* Aegypti fuisse Rex dicitur, at *Octavus* demum *Menes*. Vide apud Bochartum IV. 38. *p.* 357. Neque vero ex eo, quod Menes iste ab Herodoto, Diodoro, & aliis, dicitur *primus Rex*, sequitur, illum revera primum plane Regem istic exstitisse, non magis, quam ex eo, quod Ninus quoque, seu ejus Pater Belus (si talem tamen habuit Patrem) *primus* Assyriorum Rex passim appellatur, statuendum est, nullos ante Ninum vel Belum exstitisse revera Assyriorum Regulos. Contrarium de eo diserte docet Diodorus *lib.* II. *init.* eumque recte *primum in Historiam & Memoriam* posteritatis *traditum* exponit. Sic ergo & Menes *primus* fuit Rex post Mestræos vel Heroas, a quo in Aegypto, ut in Assyria a Nino, & postea in Babylonia a Nabonassaro, Historia & Chronologia qualiscunque cœpit. Forte accessit peculiaris etiam ratio, quod primus sibi totam fere Aegyptum subjecit, quæ antea diversos & complures simul habuerat regulos, cujusque pagi vel oppidi & familiæ Principes, æque ac Asia & aliæ regiones, de quibus id affatim probavimus in *Differt.* I. *de Rep. Romana.* Neque contrarium ex eo eliciendum puto,

to,

to, ut facit Vir doctus in Prolegomenis ad *Seder Olam p.* 126. & Stillingfletus in *Originibus Sacris* I. 5. quod Josephus Jacobi F. in Aegypto Genes. XLI. 41, 43. 44, 46, 55. & XLVII. 21. dicitur a Pharaone præfectus על כל ארץ מצרים *omni terræ Mizraim*, eamque *omnem terram perlustrasse, emisse omnem agrum Pharaoni, & plebem deduxisse in Urbes ab extremis utrimque finibus Mizraim.* Nam nulla est ratio, quo minus hæc de sola Aegypto inferiore, quæ & maxime *Mizraim* olim fuit dicta, sint accipienda, quæ si uni Regi subjecta, satis amplum pro ratione istius temporis fuisset Regnum. Et certe disertissime ait Artapanus in suo *de Judæis opere* apud Eusebium *Præpar. Euang.* IX. 27. *multos* simul tempore Mosis *Reges Aegypto præfuisse*, inque iis *Palmanothem* Heliopolitanum, qui *una cum reliquis Regibus* inimicus fuerit genti Hebræorum, & cujus *Filia nupserit Chenebroni Regi Memphiticæ regionis.* Huic autem ex eodem Artapano Clemens Alex. *Strom.* I. *p.* 344. successorem videtur tribuere *Nechephren*, qui tempore Exitus Rex fuerit. Verum nihil Ego in his de temporibus Josephi & Mosis temere affirmem, quum jam Menem, quem vixisse ante eos crediderim, totam sibi Aegyptum latius sump-

tam

tam subjecisse putem, & ideo ab illo tanquam primo totius Aegypti Rege Chronologiam & Historiam Aegypti apud Profanos incipere. Et sane Eusebius apud Syncellum *pag.* 55. de Mene, *ille expeditionem extra fines* sui regni *suscepit*, *& illustris est habitus*, *sed ab Hippopotamo est raptus* & consumptus. Non conveniunt hæc profecto in Chamum aut Mizraimum, sed in Regem, qui victor vicinos Reges aut Populos sibi subjecit, & inde *illustris* adeo evasit, ut ab eo Historia Aegypti & Epocha inciperet. Sed & confirmatur hoc ipsum ex eo, quod Menes simul a Manethone Primus Dynastiarum & proprie Thinitarum Rex, ab Eratosthene Thebanorum Regum Primus, & ab Eusebio & Syncello in eorum *Serie Aegypti Regum* Primus quoque memoratur, ut adeo Primus Aegypti superioris & inferioris, vel Mizraimi & Thebaidis simul, Dominus fuisse videatur. Sed tamen post ejus mortem Aegyptus denuo in plura Regna inter ipsius Liberos est divisa, id quod ex ejus Unius Successoribus in Tribus diversis Regnis Thinitarum, Thebanorum, & inferioris Aegypti prorsus verisimili probari argumento potest. Satis ex hisce omnibus jam liquere arbitror, perperam ergo Menem statui fuisse ipsum Mizraimum

mum aut Chamum, quibus haud dubie fuit longe posterior, licet priorem multis annis Abrahamo fuisse dicat Josephus VIII. 2. quod vix crediderim, & licet, quando proprie vixerit, decerni nequeat, quum Chronologia Aegyptiorum sit incertissima, ut diximus, & fallacissima [a].

Quapropter neque Marshami argumento ex ea petito tribuendum vel minimum censeo, & tanto minus; quia nihil in eo cohæret. Nempe ait Diodorus *lib.* I. *p.* 29. *posteros Menæ* LII. *numero tenuisse regnum Aegypti per* 1400. *annos, sub quibus nihil scriptura dignum evenerit*. Herodotus porro II. 101. nihil (λαμπρότητος) *splendoris* aut *gloriæ ante Sesostrim* fuisse in Aegypto tradit. Ergo Sesostris secundum Marshamum vixit 1400. annis post Menem. Nonne egregius hic est nexus, egregium argumentum? Deinde vero an voluit illud ipsum Diodorus, immo an non plane contrarium dicit? Certe enim ille

[a] Vir Doctissimus, qui non ita pridem sermone Gallico composuit Historiam Antiquarum Gentium, in Historia Aegyptiorum Part. III. scribit, *Menem putari eumdem fuisse, ac Mizraim Fil. Chami, nec sine ratione:* Et, *satis convenire, Mizraim & Menem, quem omnes Historici primum Regem Aegypti fuisse memorent, eumdem esse.* Non videtur hæc legisse, etsi ante annos prope XX. quam illa scribebat, in lucem edita fuerant.

ille post istos Menæ posteros non *Sesostrim* statim, sed *Busiridem* vixisse ait, cujus octavus ἀπόγονος Busiris II. condiderit Urbem Thebas; Cujus itidem octavus ἀπόγονος *Uchoreus* exstruxerit Memphin; Ejus autem ex Filia Nepotem, *Aegyptum* Nili F. regioni dedisse suum nomen; Postea vero & XII. quidem γενεαῖς, *sæculis generationum*, Regem fuisse *Myrin*; Post hunc vero, septem iterum γενεαῖς, exstitisse demum *Sesosin*, vel *Sesostrim*, eumque ipsum tamen diu ante Bellum Trojanum vixisse, siquidem eodem ordine progrediens Diodorus, postea demum memorat Protea, qui illo Belli Trojani tempore Rex Aegypti fuerit [a]. Ita vides, Lector, quam temere illi anni ex Diodoro arripiantur Ma arshamo, licet reliqua illius Auctoris prorsus sint ipsius Hypothesi adversa, id quod etiam Carpentarium (*de l'Excellence de la Langue Franc.*) observasse deprehendo. Vides inter Menem & Sesostrin longe plures ex Diodori sententia fuisse Reges & annos, multas immo γενεὰς, quæ si non singulæ, tum vero tres earum simul conjunctæ, notant sæculum vitæ, seu centum annos. Vides denique vel sic a Diodoro, Sesostrin poni ante Bellum Trojanum, post quod eum demit-

a *Lib.* I. *pag.* 32. & *seqq.*

demittit Marshamus. Quamvis autem hosce tantum LII. Reges & 1400. Annos inter Menem & Sesostrin, neutiquam confirmet Diodorus, sed disertissime longe majorem numerum Regum, & Annorum, statuat, nihilominus tamen Marshamus hunc numerum Regum & Annorum mordicus tenet, & miris rationibus probare nititur *pag.* 299 [a]. *Numerabant*, ait, Sacerdotes Aegyptii *a Mene ad Sesostrim* (at hoc est falsissimum. Vide ipsum Diodorum *pag.* 29... 34.) *Regum* LII. *Annos* MCCCC. *Ex Eratosthene numeravimus post Menem* XXXVI. *Reges. Decima Octava Dynastia habet Reges* XVI. *Sunt omnes Reges* LII. *Rursus Eratosthenes tribuit suis Regibus annos* 1050. *Manetho suis* (XVIII. Dynastiæ.) 333. *Sunt omnes anni* 1383. *Desunt de rotundo illo numero* (1400) *a Sacerdotibus putato Anni* 17. Hujus generis sunt rationes & demonstrationes Marshami. Nam quid, quæso, ad Diodori Annos & Reges pertinent Anni & Reges Eratosthenis & Manethonis? Sed quid plura? Omnia sunt falsa, & aliena: Falsum ergo & illud, quod ex iis colligitur. Falsissimum certe, quod Diodorus, seu Sacerdotes apud Diodorum, a Mene ad Sesostrim LII. tantum Reges & Annos 1400.

a *Pag.* 313. *Edit. Lips.*

1400. numeraverint. Falsissimum itidem Sesostrim fuisse Sesacum, seu vixisse demum tempore Rehabeami, quod ille vult, & nos refutabimus accurate *Capp.* VIII. & IX.

Sed neque bona fide in his videtur agere Vir Nobilissimus; nam ut numerum Regum & Annorum ex Eratosthene ad suam accommodet Hypothesin, Thebanis tribuit post Menem Reges XXXVI. At Syncellus, ex quo solo habet horum Regum omnia, Reges XXXVII. memorat. Ultimum enim Regem, connumerato jam Mene, dicit XXXVIII. Sed omisit (Vide Eum *pag.* 147.) unum, ut videtur, incuria quadam, qui ordine debuit fuisse XXXVI. Hunc etiam Marshamus omittit & plane non adnumerat, ut possit conficere illos Diodori LII. Reges; Et tamen illius ipsius ignoti Regis rationem mox habet integram in Annorum numeris. Etenim Goarius Syncelli Editor interposuit suo loco hunc Regem, sed sine nomine, eique tribuit probabili conjectura ex Annis Mundi, qui proximis, ut reliquis omnibus, Regibus adscribuntur, XIV. annos. Jam vero hosce annos Marshamus quoque computavit, quando confidenter adeo, & bis quidem, *pag.* 299. affirmat *Eratosthenem attribuere suis Regibus* 1050. *annos*, & *Era-*

to-

Eratosthenis Seriem exhibere annos 1050. quos non exhibet, nisi addantur illius omissi Regis anni XIV. Quæ ergo hæc disputandi ratio est, eodem in loco Regem illum in numero Regum prætermittere, quasi plane non exstitisset, at in summa Annorum ejus tamen annos computare, & sic Regem omittere, at non Regnum ejus? Deinde vero eandem varietatem animadvertimus in Chronico hoc argumento, quod ad ipsum attinet Menem. Eum enim prætermittit itidem in Regum numero, dum *post Menem numerat Reges* XXXVI. ut additis aliis XVI. conficiat, quem volebat, numerum LII. Regum. At in annorum 1400. summa Menis quoque annos atque adeo Regnum adnumerat. Nam omisso Mene, & altero ignoto Rege, ex Thebanis his Regibus XXXVI. oriuntur tantum anni 974. His jam si addantur anni XIV. ignoti Regis, & anni LXII. qui Meni tribuuntur ab Eratosthene, sic demum inde emergent anni 1050. At quæ causa tantæ varietatis? Nulla omnino, nisi arbitrium merum, & Hypothesis Viri Doctissimi. Nam certe Diodorus de utraque re, Regum numero & Annorum Summa, eodem prorsus modo loquitur, & utrumque pariter, excluso Mene, tribuit posteris ejus, ut supra vidimus.

dimus. Quapropter, ut abſolvamus tandem illum Menem, ex hisce, quæ disputavimus, perſuadeo mihi, neminem amplius crediturum Marshamo, Menem fuiſſe ipſum Chamum; quo ſubverſo concidit tota illius Chronologia.

Hæc jam ſcripſeram, quando incidi in *Ephemerides Pariſienſes Menſis Junii anni* 1710. Vidi ex iis Reverendum Abbatem Sevinum, duabus Diſſertationibus id egisſe, ut probaret Menem fuiſſe ipſum Mizraimum. Præcipuum, quo utitur, argumentum, & ad quod omnia recidunt, hoc unum eſt, quod ab Eratoſthene apud Syncellum *pag.* 91. Menes cognominetur Διόνιος, pro quo legi vult Διὸς ὑιὸς. Facile hanc Criſin concederem, niſi repugnare ei videretur, quod Menes non dicatur ita *cognominatus*, vel non ita *a Patre ſuo deſcribatur*, ſed quod dicatur ejus nomen *ita interpretandum*, ὅ ἑρμηνεύεται Διόνιος, *quod exponitur* lingua Græca Διόνιος *Jovius*; & quod reliquorum Regum nominibus ſimpliciter talis quoque interpretatio addatur, quæ nullam ad eorum Patrem habet relationem, immo a deſcriptione paterna diſerte diſtinguitur. Nam ſic proximus, Ἀθώτης υἱὸς Μήνεως, οὗτος ἑρμηνεύεται Ἑρμογενής. Fuit ergo ille *Mineos* ſeu *Menis F.* at nomen ejus *Athothes* exponitur

tur Græce Ἑρμογενὴς, h. e. a *Mercurio ortus*, vel *edoctus*, ficuti apud Homerum Reges plerumque dicuntur Διογενεῖς, *ab Jove orti*, licet neutiquam fuerint *Jovis Filii*. Sed fuerit jam hic Menes Διὸς υἱὸς, at quis erit ille Jupiter? Vir Doctiff. affirmat *non esse alium, quam Jovem Hammonem*, *h. e. Chamum*. Ego vero id prorfus nego. Nam quod Hammon feu Chamus a Græcis pofterioribus *Jupiter* quoque fuit dictus, id ortum ex eo, quod illi foliti fuerunt peregrinorum Deorum nominibus fui Jovis nomen præmittere quafi prænomen. Sic *Jupiter Belus* dicebatur æque, ut *Jupiter Hammon*. Sic *Jupiter Cafius* apud Ach. Tatium; *Jupiter Menzana* Sallentinorum, apud Feftum in v. *October*; *Jupiter Anxur* Tarracinenfium; *Jupiter Trophonius* Lebadienfium. Vide, quæ notavimus de eo more ad Aeliani V. H. III. 45. 1. *extr*. Fuerit ergo Ammon a Græcis poftea *Jovis* quoque nomine honoratus, ficut iidem Urbem *Noammon* dixerunt Διόσπολιν, nihil hoc pertinet ad antiquas Aegyptiorum Genealogias, quæ Jovem Græcorum ignorabant. At ex Fabulis Regum Aegyptiorum, qui *Dii* & *Semidei* dicebantur, alia & longe fpeciofior reddi potuiffet ratio, quare Menes hic *Dionius*, vel *Jovis Filius*, fuiffet ap-

pellatus. Nempe proximus ille regnavit post *Deos* & *Semideos*, ut omnes tradunt. Semideorum autem ultimus plane fuit Ζεὺς, *Jupiter*, ſicuti ipſorum Deorum primus, *Vulcanus*, ut patet ex Serie & annis illorum apud Syncellum *pag.* 19. Quin inter hosce Deos & Semideos, *Ammon* ordine eſt tertius decimus, Jupiter vero ultimus, ut dixi, ſeu Sextus decimus, atque adeo illi, tanquam diverſi plane, ab ſe invicem manifeſte diſtinguuntur. His ergo Semideis, ſeu μετὰ Νέκυας τοὺς ἡμιθέους, cum proxime ſucceſſerit Menes, ut ex Manethone docet Syncellus *p.* 54. recte forſan illa ratione dici potuiſſet *Jovius* vel *Jove ortus* apud Eratoſthenem, qui & ipſe eum *primum*, poſt Deos ſcil. & Semideos, regnaſſe ait, apud Sync. *p.* 91. Per *Deos* autem intelligi Progenitores Hominum ante Diluvium, per *Semideos* vero Meſtræos ſeu progenitores Aegyptiorum poſt Diluvium usque ad Menem, quem ipſum Eratoſthenes, vel ex eo Syncellus, retulit demum ad ann. 124. poſt Diſperſionem Gentium, ſupra jam oſtendimus. Inde vero liquet Menem neutiquam fuiſſe ipſum Mizraimum, ſed aliquanto ſeriorem. Neque vero ex eo, quod a Mizraimo orta Gens Aegyptia, ſequitur, Mizraimum ergo fuiſſe eundem, qui Menes. Ille Pater,

&,

&c, si *quis* ita vult, Regulus fuit primus Mestræorum, at Menes post Mestræos fuit primus Rex, qui celebris in Historiis Aegyptiorum & potens evasit, plane sicuti Assur fuit Assyriorum Pater & Regulus primus, at longe postea demum Belus, vel Ninus potius, primus potens & celebris Rex. Sed neque ex eo colligendum, quod Mizraimi Filii, seu ortæ ex eo Familiæ, tenuerint deinceps remotiora Aegypti, Thebaidem & Libyam &c. Mizraimum ergo habuisse amplissimum Regnum, quod inter suos Filios diviserit, æque ac postea Menes, quum utique tempore Mizraimi terræ omnes ad Occidentem & Austrum Aegypti fuerint prorsus vacuæ, & in eas postea demum transierint quædam Mizraimi Familiæ ex inferiore Aegypto. Quod ad *Osirim* adtinet, fuerit ille idem, qui Menes, quod vel maxime Vir Doctiss. probare studet, non ideo tamen Menes erit idem, qui Mizraimus. Sed incertissima sunt omnia & diversissima, quæ Aegyptii de suis Diis tradunt, æque ac quæ Græci de Suis. Sicuti Horum Chronologiam constituere non possumus, sic neque Illorum certum tempus aut ætatem aut Synchronismum facile eruemus. Quin apud Syncellum *pag.* 19. ex Manethone *Osiris* & *Isis*, ut & *Typhon*, inter Deos re-

referuntur, sicuti *Horus* Osiridis & Isidis F. Semideorum primus numeratur longe ante Menem. Cum Manethone autem in ordine Deorum sic satis consentit Diodorus Siculus *lib.* 1. *pag.* 8. & 9. nisi quod *Horum* Deorum facit ultimum, non Semideum *pag.* 15. D. Sed recte ibidem paulo ante, καθόλε δὲ πολλή τις ἐςὶ διαφωνία περὶ τέτων τῶν θεῶν, *Ad summam autem magna est discrepantia de hisce Diis.* Nihil autem facilius, quam in tot tantisque fabulis de Osiride & reliquis Diis aliquid reperire circumstantiarum, quod ad hunc aut illum Regem accommodes. Ut adeo etiam hoc, quod Osiris & Menes fuerint iidem, valde sit incertum, multo autem magis illud, quod Osiris, & Menes, & Mizraimus fuerint iidem. Præeuntem quidem in his habet Vir Doctus Athanas. Kircherum, sed indignissimum, cui quispiam auscultet, quippe qui meras & insulsissimas nobis nugas passim venditat. Ille vero in *Oedip. Aegypt. To.* 1. *Syntagm.* 1. *cap.* 10. *pag.* 92. 93. Menam, Mizraim, Mithram, Osirin, Vexoren, & Uchorea (quem Diodorus Memphin ait condidisse, & quem Kircherus *Vechorium* vocat) fuisse prorsus eosdem tradit, & proinde ex iis omnibus facit Unum, & Dynastiæ sextæ decimæ, quam *Pastorum* dicit, Primum. Sed hæc

hæc & pleraque omnia Kircheriana ejus sunt generis, ut commemorari & refutari non mereantur, & ideo parcius a me in hanc scenam proferentur.

CAP. VI.

Marshamus perperam nectit quasi proximos Successores Regibus Thebanis Eratosthenis Reges Diospolitanos Dynastiæ Duodevigesimæ Manethonis. At eos fuisse tempore & ipso Regno diversissimos probatur. Syncellus perverse prorsus ab illo explicatur & vertitur. Thebanos a Diospolitanis distinguit Manetho & Eusebius. Syncellus sibi ipse parum constans. Diospolis in Aegypto Superiore fuit Magna & Parva, sed & Tertia in inferiore Aegypto, quæ est No-Ammon *Nahumi, a Sabacone vastata. Hujus autem Urbis videntur fuisse* Diospolitani *Reges in Dynastiis Manethonis.*

Si jam ad reliqua Marshami progrediamur, haud minor deprehendetur in iis audacia & temeritas quidlibet sine ulla

probatione adſeverandi. Omnia, quæ ſerviunt aliqua ex parte ſuæ hypotheſi, licet nullam ne ſpeciem quidem veri habeant, affirmat pro veris & certis; quæ adverſantur, rejicit & explodit, licet diſertiſſime tradantur ab illis Auctoribus, ex quibus omnia ceteroquin haurit, & haurire debet, nihil interim ſuorum liquido aut ſpecioſe probans. Etenim poſito jam, quod falſum eſſe oſtendimus, Menem fuiſſe Chamum, & computatis ab ejus initio 1050. annis ſecundum Eratoſthenis Catalogum Regum Thebanorum, ita pervenit ad tempus, quo Iſraëlitæ ſervierunt Jabino Cananæorum Regi, & quo Aegeus pater Theſei fuit Rex Athenarum, atque adeo ſubſiſtit pene integro ſæculi ſpatio ante Trojam captam. *Quo ergo nunc ſe vertet? quem ſibi* in ſeqq. *habebit Mercurium?* ut ipſe loquitur *p.* 297 [a]. Nam, *Manifeſtum eſt*, ait *nondum deſiiſſe Thebanorum Seriem, tum ex eorum rebus præclare geſtis, quæ narrandæ ſequuntur* (at hæ res aliorum ſunt Regum) *tum ex Joſepho & Africano, qui Reges plurimos exhibent ab Eratoſthene non nominatos.* At neque hi Thebani ſunt Reges, ſed prorſus alii. Quid ergo? Arripit ex mediis Dynaſtiis Manethonis Dynaſtiam XVIII. ejusque primum Regem Amoſin facit pro-

[a] *Pag.* 311. *Ed. Lipſ.*

proximum successorem ultimi Regis ab Eratosthene memorati. Si quæris, qua ratione? Nulla profecto alia, quam quia sic lubet & expedit, ut Hypothesin suam, qua ex Mene facit Chamum & ex Sesostri Sesacum, tueatur. Et tamen magnifice prorsus de hac re loquitur [a]: *Utcunque sit, nos quidem in Canone Regibus istis* (Eratosthenis) *Hos* (dictæ Dynastiæ) *subnectere tentavimus. Neque infeliciter res cessit. Ex ista enim dispositione emersit magna Historiæ Aegyptiacæ harmonia & duas fabricavimus Chronologiæ nostræ Validissimas Compagines, quarum altera vim recipit a complemento annorum illorum* 1400. (sed quod nos jam refutavimus clarissime) *altera a decessu Pastorum*, de quibus agemus postea. Exploremus ergo fundamentum istius *Harmoniæ*, seu Nexum hunc Regum Eratosthenis, & Regum Dynastiæ XVIII. Reges hi dicuntur *Diospolitani* a Manethone. Quia vero Thebæ Agyptiæ etiam *Diospoleos* nomine fuerunt ornatæ, Diospolitanos ergo Marshamus confidenter dicit esse *Thebanos*, atque ideo Diospolitanos hosce extra ordinem suum corripit & detrudit in illud tempus, quo succedere potuerint Thebanis Regibus Eratosthenis. Hoc unum est, quod in speciem quandam rationis adfertur.

 tur.

a *Pag.* 312. *Ed. Lips.*

tur. At vero Regnum illud Thebanorum disserte cum Eratosthenis Regibus dicitur ab Syncello *pag.* 147. λῆξαι, *desiisse*, & quidem in illo ipso anno, quo vivere desiit ultimus ille Rex. Quocirca LIII. illi Reges, quos Apollodorus Thebano Eratosthenis Catalogo ab se relato adjecit, ut ait Syncellus, sed quos enarrare nullum Hic operæ pretium duxit, non dubito, quin fuerint alterius generis Reges, ignoti seu extrarii, qui Thebaidem occuparint, & proprio Regno adjecerint, neutiquam vero illi Diospolitani. Hi enim si fuissent, *cur eos se omisisse simularet Syncellus*, ut ait Marsh. *p.* 298 [a]. nulla omnino est causa. Nam quare tandem eos hic omitteret, quum utique in sua *Serie Regum Aegypti* illos quoque expresserit, aut quare non vel verbo saltem significasset, eos esse Dynastiæ XVIII. Reges, seque eos nunc prætermittere, quia bis jam, in illa Dynastia & in illa *Serie*, eos nominasset, potius quam ut diceret, *se supervacuum ducere eos commemorare*, *QUIA nullam in partem juvare Lectorem queant*, quum tamen, si ille ex Apollodoro eos repetiisset, conferre saltem Lector eorum nomina & annos potuisset cum Manethone, & Regum Aegypti *Serie*. Vix etiam intelligebam, quid hoc

a Pag. 312. *Ed. Lips.*

hoc sibi vellet, quod ibidem ait Vir Nobilissimus: *Verisimile est, Apollodorum Regibus Eratosthenaeis, XVIII. hanc Dynastiam ex Manethone addidisse. Id enixe suadet Regum numerus ab Apollodoro editus. Utcumque sit, Nos quidem id tentavimus.* Numerus ille est Regum LIII. qui Numerus quid suadere hic posset, non facile videbam. Nam Reges Dynastiæ XVIII. sunt tantum XVI. qui numerus utique non convenit cum illo Apollodori, atque adeo hicce Numerus Apoll. non *suadet enixe*, sed dissuadet istam conjunctionem vel nexum. Sed neque duarum Dynastiarum, quæ sequuntur, & quæ solæ ex omnibus deinceps Dynastiis sunt itidem Diospolitanæ, numerus Regum si maxime addatur, neutiquam tamen conficitur eo Numerus Regum LIII. qui est Numerus Apollodori. Nam in Dyn. XIX. Reges sunt tantum VI. in Vigesima Reges XII. qui conjuncti cum illis XVI. dabunt nobis numerum Regum XXXIV. neutiquam LIII. Sed vix tandem perspexi latebras horum verborum, & occultos sensus, ex perversissima Syncelli verborum interpretatione ortos. Nempe Regum LIII. Apollodori Numerum confici vult ex ipsis XXXVII. Eratosthenis post Menem, & XVI. Dynastiæ XVIII. atque ideo in initio hujus *pag.* 298. verba Syncelli,

celli, τῶν δὲ τούτοις ἐφεξῆς ἄλλων ΝΓ Θηβαίων Βασιλέων ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Ἀπολλοδώρου παραδεδομένων τὰς προσηγορίας περιττὸν ἡγούμεθα παραθέσθαι, vertit simpliciter, nihil disputans aut probans, *superfluum duximus hic nominare CETEROS DEINCEPS ILLORUM* LIII. *Thebanorum Regum, quos idem Apollodorus tradidit.* Quasi ergo Apollodorus non *Alios* LIII. *Reges illis* prioribus addiderit, sed *ceteros illorum* LIII. ultra priores illos XXXVII. enarraverit. At ubi in Græco τὸ δεικτικὸν, *illorum?* ubi vel minimum vestigium aut indicium constructionis in ἄλλων ΝΓ Βασιλέων, ex qua vertere debeamus *ceterorum ex illis* LIII. *Regibus?* Sed aliter ea accepit Syncelli Interpres, & aliter accipienda ea, res ipsa clamat. Quapropter affirmari incassum & temere prorsus, ut nihil gravius dicam, Hunc Apollodori Numerum *suadere*, & *enixe* quidem, istam successionem & connexionem Regum Eratosthenis, ac Dyn. XVIII. certus sum.

Deinde quum XVIII. hanc Dynastiam ex Manethone habeamus, æquum est, ergò, ut observemus, quinam Manethoni potissimum sint vel intelligantur *Diospolitani* Reges. Quod vero non intellexerit ista voce *Thebanos*, ex eo satis liquet, quod, si fides Eusebio, manifeste distinxit utrosque

que, tanquam diversi generis Reges, siquidem Eusebius ex Manethone varias nobis *Diospolitanorum* memorat Dynastias, inque iis XIII. & XV. at XVI. *Thebanorum* nomine designat, XVIII. vero, XIX. & XX. iterum *Diospolitanorum*. Quis non ex eo collegerit, diversos ergo Manethoni fuisse *Diospolitanos* & *Thebanos*? Syncellus ex Africano aliter ordinat has Manethonis Dynastias, & accusat Eusebium *pag.* 62. 63. At vero Hic adeo sibi constans in hoc negotio est, ut *pag.* 18. *Chron. Gr.* tradat *apud Aegyptios exstitisse* XVI. *Dynastiam, in qua regnarint Thebani annis* 160. *in quibusdam vero exemplaribus* 190[a]. Sed & dein in *Canone* suo, quem a tempore primo Abrahami incipit, hoc ipsum repetat *pag.* 89. & istic initium Aegyptiæ quoque Chronologiæ ab hac XVI. Dynastia *Thebanorum* deducat, & post exactos 190. annos transeat ad Dyn. XVII. *Pastorum* [b], ac post eam demum adhibeat XVIII. *Diospolitanorum* [c]. Syncellus contra adeo parum sibi

a Et *ibid. pag.* 15. Sed cum hoc discrimine, quod quinque hujus Dynastiæ Reges fuisse, eosque CXC. annis regnasse dicit, sine mentione varietatis Scripturæ. Sic quoque in *Canone pag.* 89.

b In *Canone pag.* 97. ubi tamen non dicit hanc Dynastiam *Pastorum* fuisse; sed dixerat in *Chron. Gr. pag.* 16.

c In *Chron. pag.* 16. & *Canon. pag.* 101.

ſibi conſtat, ut ipſe *pag.* 103. & 104. Euſebio jam conſentiens, *primos* Reges *Paſtores*, quos & *Tanitas* vocat, *Dynaſtiæ* XVII. *apud Manethonem*, tribui quoque tradat, eodemque ordine, quo apud Euſebium fere fit, Reges Dynaſtiæ XVII, XVIII, XIX. ab Joſepho (*lib.* I. *contra Apion. p. m.* 1039. &c.) exponi affirmet. Et tamen in hac controverſia decidenda egregius eſt. Nam *Thebanos* Euſebii una cum Paſtoribus quibusdam ad Dynaſtiam XVII. refert *pag.* 61. ex Africano, ſed qui appellet illos Θηβαίȣς Διοσπολίτας, quos nusquam alibi apud eum reperies, certo indicio, hosce ergo ab reliquis Διοσπολίταις, ſimpliciter ita nominatis, fuiſſe diverſos, h. e. fuiſſe Thebanos, quum reliqui fuerint alterius Urbis aut Gentis.

Tertia jam ratio, quare Diospolitanos Reges cum Marshamo habere pro *Thebanis*, & nexum, quo Diospolitanos XVIII. Dynaſtiæ Reges Thebanis Eratoſthenis una & continua ſerie ſucceſſiſſe putat, admittere nequeam, hæc mihi eſt, quod Diospolitani iſti fuerint Aegypti proprie dictæ Domini & Reges, ab Thebanis in ultima Aegypto verſus Aethiopiam ſitis, diſtincti, ſiquidem apud Euſebium pariter & Syncellum, in iſtorum *Aegypti Regum* Catalogo recenſentur, & illo ipſo quidem

tem-

tempore, quo apud eosdem Auctores adhuc durat Regum Thebanorum Eratosthenis successio seu Catalogus, atque adeo secundum illos, ex quibus tamen Solis omnia istorum Regum habemus, simul exstiterunt per plus quam ducentos annos ultimi Reges *Thebani* & Primi Novem aut Decem Reges Dynastiæ XVIII. *Diospolitani*, quod certissimum est diversitatis argumentum.

Quarta denique ratio est, quod Amosis vel Thetmosis, primus Regum Dynastiæ XVIII. non *Amuthantæo successit*, ultimo Regum Thebanorum, ut temere pronunciat Marshamus *pag.* 300 [a]. sed Patri suo Alisphragmuthosi, si fides Josepho *lib.* I. *contra Apion. p.* 1040. de cujus tamen in hisce, aut de rerum ab eo hic traditarum, *Fide dubitare piaculum esset*, ut ipse ait Marshamus *p.* 297. *extr* [b]. & quem ideo in annis singulorum Regum unice sequitur, quia non Annos tantum, sed & Menses excurrentes singulis adscripserit, atque adeo *paulo accuratius, quam Alii, Reges illos ex Manethone recensuerit.* Accedit jam, quod hic Amosis Rex Diospolitanus tenuit Heliopolin in inferiore Aegypto, quod nos docet Porphyrius *lib.* II. περὶ

Ἀποχῆς

a *Pag.* 315. *E. L.*
b *Pag.* 312. *E. L.*

Ἀποχῆς §. 55. & Pastores ex Abari seu Pelusio in infima Aegypto ejecit, teste ibidem Josepho.

Clarissimum ergo est ex his omnibus, Diospolitanos Reges Manethonis non esse proprios Urbis Thebanæ Reges. Sed dices: Qui ergo erunt tandem Diospolitani? quum tamen Thebæ fuerint revera tandem quoque *Diospolis* dictæ. Nimirum fuisse illi quibusdam videntur Reges Urbis ultra Nilum, versus Libyæ fines, sitæ, quæ dicebatur *Diospolis parva*, ut jam tradidit Doctissimus Abbas Pezronius in *Antiq. Restit. Cap.* 13. *p.* 196. 197. Post quem observavit hoc ipsum Auctor Dissertationis in *Memoriis Trivultiensibus Anni* 1702. *Mens. Sept. pag.* 174. *Ed. Amstelod.* Verum is temere accusat Marshamum, quasi ab eo abjicerentur omnes Reges alterius Diospoleos, hoc prætextu, *qu'il n'y en a jamais eu, qu'une, sçavoir la Ville de Thebes*, quasi nulla unquam Diospolis exstitisset, nisi una, scil. Urbs Thebarum; *Mais par malheur pour Marsham*, pergit, *rien n'est plus constant dans l'ancienne histoire, que l'existence d'une autre Diospolis*, nihil certius in Historia, quam exstitisse & alteram Diospolin. Sed parcius ista, quisquis es, mi Censor. Oportebat certiore ingredi gradu, qui ad alium prodit erroris

tam

tam manifesti insimulandum. Nusquam enim id dixit Marshamus, ne in *pagina* quidem 92 [a]. abs te annotata. Neque vero id ignoravit Vir tam Doctus, ut liquet apertissimum in modum ex *pag.* 381 [b]. ubi inter Nomos inferioris [c] Aegypti refert *Diospoliten*, & *ejus Metropolim parvam*. Hujus ergo Urbis & Nomi fuisse potuissent Reges Diospolitani, a Thebanis diversi. Neque enim *parva* fuit Urbs, nisi respectu Thebarum, quæ maxima erat. Liquet id vel ex eo, quod & Nomus ab ea quoque denominabatur; cujus ipsa fuerit Metropolis, ut diserte nos docet Ptolemæus. Sed & præter hanc Diospolin *parvam* in superiore Aegypto, *Magnæ* isthoc cognomine oppositam, alia insuper fuit istius nominis Urbs in inferiore Aegypto, & in ipso ejus Delta, supra Mendetem, non modo memorata ab

a *Pag.* 94. *E. L.*
b *Pag.* 400. *Ejusd.*
c Voluit scribere *Superioris*: nam paullo post Diospolin *parvam in Superiore Aegypto* fuisse dicit. Et sic recte Marshamus ex Ptolemaeo *Pag.* 107. Διοσπολίτης νόμος ἄνω τόπων. καὶ Μητρόπολις Διόσπολις μικρά. Ab hac & Nomo illius Ptolemaeus *pag.* 108. distinguit Diospolin *magnam* & Nomum Thebarum: Θηβῶν νόμος. καὶ Μητρόπολις Διὸς πόλις μεγάλη, αἱ Θῆβαι.

Strabone *lib.* XVII [a]. sed & a Diogene Laërtio in *Demetrio Phalereo*, ubi Vide Menagium V. 78. Eadem dicitur ab illis Auctoribus sita esse ἐν τοῖς ἕλεσι [b], *in paludibus*, vel *fuisse* dicuntur περὶ αὐτὴν λίμναι, *circum eam lacus*: Unde apparet esse eam, quae in S. Scriptura *No-Ammon* h. e. *Jovis habitatio*, Nahumi III. 8. appellatur, quoniam *& illa ibi* traditur *habitare in fluminibus*, *circum eam esse aquae*, *& Mare propugnaculum ejus*. Minime enim illa conveniunt in Diospolim superioris Aegypti, seu Thebas, longissime a mari, & variis Nili ostiis remotas. Vide Bochartum *Phaleg.* I. 1 [c]. Jam vero Urbs ista compara-

a *Pag.* 802.

b Hoc in Suida est *v.* Δημήτριος Φανοστράτου; alterum in Strabone.

c Bochartus ibi adversus Drusium, qui cum Veteribus quibusdam No-Ammonem *Alexandriam* interpretatur, disputans scribit *Noammon* apud Nahumum & de Diospoli, quae *in Delta inferioris Aegypti* erat, & de Diospoli *magna in superiore Aegypto* posse accipi. Deinde *IV. Phal.* 27. nihil haesitans *magnam* Diospolin esse definit. Hoc sequitur Spanhemius *Geogr. Sacr. & Eccles. pag.* 91. *Edit. Lugd. Bat.* 1701. & contra Perizonium tuetur Jamesonus in *Spicileg. Antiquit. Aegypt. Cap. II. pag.* 37. Dicit *totam Nahumi descriptionem aptissime accommodari* Diospoli magnae: *nam eam ad ripas Nili loco palustri, a quo etiam nomen Thebarum acceperit, sitam fuisse: ex adversa parte paludem habuisse, quae juxta*

paratur Ninevae, quae rogatur, *an Melior sit quam No-ammon, adeo munita fluminibus & lacubus & mari Urbs, quam firmaverint Aegyptus & Aethiopia*, vel potius *Arabia* (*Custh*) *Putaei & Libyes, quae tamen vastata sit.* Vastata autem videtur ab Sabacone Aethiope, qui vixit & floruit paulo ante Nahumi prophetiam, ac Aegyptum

 infe-

juxta morem Scripturae a Nahumo Mare *vocetur: ac denique Diospolin Delticam nunquam inter insignes Aegypti urbes numerari.* In his mihi nihil esse videtur, quod praecipuam aliquam vim ad alteram sententiam evertendam habeat, nisi fortasse quod postremo loco ponitur. Etenim *Diospolis in Delta* Aegypti itidem, ut *magna*, ad Nilum sita erat. Et quidem loco palustri, ut circum quam stagna ac paludes fuisse testentur Veteres, quod de *magna* proditum esse non ostendit Jamesonus: nam ex verbis Aristotelis *I. Meteorol.* 14. ad quae provocat, hoc colligi non potest. Nec satis firmum est argumentum ab *etymo* nominis Thebarum. Non describam, quae de eo tradidit Relandus *Lib.* III. *Palaestinae, v. Thebae*, quaeque non ignorare poterat Jemesonus. Verum si interim adsentiamur Bocharto *I. Chan.* 16. Cadmum *Thebis Boeotiis* nomen imposuisse a voce, quae Phoenicibus *lutum, coenum* (*paludem* de suo Bocharto addit Jamesonus) significabat, eo quod regio circumquaque propter copiam aquarum Thieme admodum cutosa esset; an ex eo sequitur, vel Thebas Aegyptias palustri loco sitas fuisse, vel Graecos hanc urbem, quae Aegyptiis *No Ammon* erat, ob eamdem caussam Thebas vocasse, ob quam Cadmus Boetias ita appellarat? Quae potro

inferiorem occupavit, ejusque tunc Regem prorsus celebrem, Bocchorim, vivum cepit & concremavit. Bocchoris vero erat Saites. Sais porro Urbs & Diospolis pariter erant intra Delta. Regem autem ipsum quum tam duriter tractaverit victor, non mirum est, praecipuas tunc ejus Regni Urbes quoque ab eodem vastatas,

porro de *palude ex adversa parte Diospoleos magnae* dicuntur, inania sunt, quamdiu nullo testimonio Scriptorum veterum comprobantur. Postremo argumento plus tribuendum arbitror: quia omnino probabile videtur Prophetam *Nino*, quae maxima, opulentissima ac celeberrima Urbs, & caput regni Assyriorum erat, exemplum *No Ammonis* proponentem ante oculos habuisse Urbem Aegypti, in quam eadem omnia, quae in *Ninum*, convenirent: quod de *Thebis Aegyptiis*, sive *Diospoli magna*, non de *Deltica*, verum est: etsi hanc quoque non obscuram fuisse ex eo quodammodo colligi licet, quod ei a Graecis itidem nomen *Diospolis* inditum fuit. Quod autem Nahumus mare *propugnaculum No Ammonis* vocat, id ex sententia Bocharti *Phal.* I. 1. satis commode de *Diospoli magna* exponi potest, quamquam haec multo longius a mari & variis Nili ostiis remota erat, quam *Deltica*. Et, si jam concederetur Perizonio quod de hac a Sabacone vastata suspicatur, quod verum esse posse se non inficiari dicit Jamesonus *pag.* 42. tamen eadem probabilitate conjici posset etiam *magnam*, utpote Aethiopiae propiorem, ab eo, antequam in inferiorem Aegyptum penetraret, eversam fuisse; si statuamus, quod Perizonius videtur facere, eum ab illa parte Aegyptum intrasse.

ſtatas, & earum cives in ſervitutem abductos. Satis ex hisce perſpicitur, fuiſſe antiquam & olim potentem Urbem, ut eſſe debuit, quæ Ninivæ, potentiſſimæ Aſſyriorum Urbi, in exemplum proponitur. Quapropter putem, hanc potiſſimum eſſe eam, cujus Reges fuerint, qui apud Manethonem *Diospolitani* dicuntur, Partim quia antiquiſſima, & olim potentiſſima fuit Urbs, Ninevæ quippe, ut dixi, comparata, licet dein, quum vaſtata jam eſſet graviſſimum in modum, minus potens fuerit aut celebris, & ideo nullos amplius proprios Reges in Dynaſtiis Manethonis habuiſſe reperiatur, ſed & adſcripta tandem fuerit Buſiriti Nomo: Partim etiam quia reliquæ Urbes pleræque, a quibus Dynaſtiæ Manethonis denominantur, in inferiore fuerunt Aegypto, veluti *Memphis*, *Heraclea*, ſeu *Heracleopolis*, *Tanis*, *Sais*, *Xois*, *Bubaſtus*, *Mendes*, *Sebennytus*. Utcunque ſit, ſatis ex his omnibus liquet, nullo prorſus idoneo ſatis fundamento niti *validiſſimam* illam, ut ait *p.* 298. *compaginem* Chronologiæ Marshamianæ, qua Reges Diospolitanos Dynaſtiæ XVIII. nectit una & continua ſerie Regibus Thebanis Eratoſthenis. Quin ſi maxime Diospolitani illi fuiſſent Thebani, quod non fuerunt, ut clariſſime oſten-

 dimus,

dimus, vel sic difficillimum foret probatu, nec probari posset, illos ita proximo gradu his successisse, quod non nisi mera ex conjectura, aut sua ex hypothesi, solis asseverationibus sine ullis rerum argumentis concinnata, pronunciat Vir Doctus. Certe Eusebius & Syncellus, ut diximus, Diospolitanos illos jam memorant 235. annis ante, quam hi Thebani Eratosthenis desierunt. Vide Syncellum *pag.* 147.

CAP. VII.

Manethonis Dynastiæ an in Unum tempus complures simul conferri possint ac debeant. Marshamus id facit, sed male, & temere accusat Africanum in eo, in quo ipse errat. Dynastiarum ordinem & ætatem miris modis præter sententiam ipsius Manethonis conturbat & pervertit. Memphiticum Regnum cum Thebano coaluisse non videtur satis recte ab illo probatum. Eodem nomine & ordine aliquot Reges in diversis Dynastiis & Chronicis Aegyptiorum occurrunt,

quod

quod suspectæ est fidei. Africanum, Eusebium, Syncellum, ex quibus solis Manethonis Dynastias habet Marshamus, accusat libertatis nimiæ, qua tamen longe majorem sibi indulget. Plures quidem Reges simul, sed extra Dynastias Manethonis, fuerunt, at inde non sequitur, plures simul exstitisse Dynastias.

Ita vero subvertimus & confutavimus plane hunc quoque nexum Diospolitanorum Regum Dynastiæ Duodevicesimæ cum Thebanis, quo itidem vel maxime nitebatur, ut jam docuimus, Chronologica Marshami Series, & quo proinde abjecto, hæc quoque concidat plane, necesse est. Jam vero operæ erit pretium, ut videamus, quomodo cum ipsis tandem Manethonis Dynastiis suam conciliare studeat Chronologiam, quum intervallo, quod a Mene incipit, & per Seriem Thebanorum Regum Eratosthenis extenditur usque ad Amosin, primum Dynastiæ XVIII. Regem, tribuat spatium tantum ℞ pro annorum, at vero ex XVII. Dynastiis Manethonis, ab eodem principio intra illud

 tem-

tempus, oriantur anni circiter 3800. Contrahit ergo hanc longè majorem ſummam Dynaſtiarum in illud Thebanorum Regum ſpatium, atque adeo Dynaſtias illas, non ſemper poſteriorem priori ſucceſſiſſe, ſed multas ſimul exſtitiſſe, pronunciat, licet apud Africanum & Euſebium continuam earum ſeriem conſtanter ſervari, atque ita ſingularum Dynaſtiarum ſummas annorum identidem in unam majorem redigi videamus, & licet etiam ex *Serie Regum Aeg.* apud Syncellum liqueat, Dynaſtias illas, ex ſententia Manethonis, certe a Septima decima usque ad ultimam, revera alteram alteri ſucceſſiſſe, & ſimul cum ipſo tempore ad finem ſuum usque progreſſas. Conceſſerim tamen lubens quasdam ſimul forſan exſtitiſſe, ſi omnes vere exſtiterint, partim quia immodica ceteroquin eſt in prioribus Dynaſtiis annorum ſumma, partim quia Syncellus in *Serie Regum Aegypti* a Mene itidem, usque ad primum Dynaſtiæ ſeptimæ decimæ Regem exhibeat nobis tantum Reges XXV. & Annos Septingentos, quod ſi recte ita foret factum, in concordiam cum Dynaſtiis illis prioribus redigi nequiret, niſi earum plures ſimul exſtitiſſe ſtatuerentur. At Nos aliam & certiorem ejus *Seriei* rationem ſupra *Cap.* IV. jam dedimus. Sed

&

& quod tandem reperiemus in hisce tam obſcuris & ignotis noſtri judicii principium? Nullum enim omnino habemus: atque ideo mallem Ego quidem illas penitus rejicere, tanquam ab Aegyptiis ad extollendam ſuam antiquitatem confictas, de quo jam ſupra egimus, & denuo agemus infra: vel certe ſingularum ſummas contrahere in congruens modeſtiori aliorum Chronologiæ ſpatium; potius, quam eas tam ſoluto arbitratu, quo in his utitur Marshamus, ad meam redigere hypotheſin.

Exemplo ſit, quod Dynaſtias ille Tertiam & Quartam, quæ ſunt Memphitarum, retrahit in æquale Primæ & Secundæ tempus, ac Memphitici quoque Regni Auctorem conſtituit Menem, h. e. Chamum ex illius ſententia, quum Manetho ipſe, ſi fides Africano & Euſebio, primum illis Regem dederit Necherophen, ſub quo jam *Libyes ab Aegyptiis defecerint*, quod certe ad Chami aut Mizraimi tempora referri nequit. Perſpexit hoc ſatis ſuperque Vir Acutiſſimus, & ideo Necherophen, Primum Regem Memphitis pro arbitrio adimit, & rejicit ad finem Regni Thinitarum, cujus ita *poſtremum* eum facit, & quod *cum eo* (Necherophe) *finem acceperit*, accuſans ultro Africanum,

 qui

qui *Necherophem de calce Thinitarum in caput Memphitarum transposuerit loco Menis*, hac scil. ratione, *ne Hujus* (Menis) *repetitum nomen immensam Dynastiarum concatenationem suspectam faceret pag*. 84. 85 [a]. At quis jam Palæmon, & ex quo principio, componet hasce lites? Nam neque ex Manethone ipso, neque ex aliis Scriptoribus, confutari a nobis nunc potest Africanus, quem insuper sequuntur Eusebius & Syncellus. Accedit quod Memphis ab Herodoto quidem II. 99. dicitur condita a *Mene*, at ab Diodoro Sic. *lib*. I. *p*. 32. C. ab *Uchoreo*, qui multis ætatibus regnaverit post Menem. Et forsan hic ipse *Uchoreus* Diodori est *Necherophes* Manethonis, prout maxima in Nominibus Propriis scribendis occurrit apud diversos Auctores Varietas. Adde quod inter Aegyptiorum Regum Nomina reperimus etiam *Nunchoreus*, & *Nachores*, mediæ quasi Scripturæ inter utraque modo dicta. Tribuit illud Plinius *Nat*. *Hist*. XXXVI. 14. Sesostridis Filio; Hoc eidem *Chronici Paschalis* Auctor *pag*. 48. Vide infra *Cap*. XVII. *princ*. Nobis enim satis nunc est, ostendisse Nomina Aegyptia, quæ, si spectemus consonas, spectandas potissimum in Linguis Orientalibus, quasi vinculum quoddam haberi

[a] *Pag*. 87. *Ed*. *L*.

haberi possint ad *Necherophis* & *Uchorei* nomina in Unum redigenda Nomen & Hominem. Porro ab ipso Manethone *Athotes* Menis F. regiam in ea Urbe exstruxisse traditur, unde sequeretur Memphim, non Meni modo, sed & ejus Filio Athoti, fuisse subjectam, & longe postea demum exortum istic per Necherophen peculiare Regnum, cujus Reges ad familiam Menis nihil pertinuisse reperiuntur, vel certe Marshamum pro Necherophe non Menem modo, sed & Athotin debuisse Memphitarum Dynastiæ præmittere.

Deinde vero Dynastias VII. & VIII. quæ itidem sunt Memphitarum, plane rejicit Vir Nobiliss. *p.* 90. 91. tantum propter *discrepantiam numerorum* inter Africanum & Eusebium, quasi non illa in plerisque reperiretur Dynastiis: sed & quia Africanus Regum nomina istic non expressit; nam *in Vacuis*, ait, *hujusmodi Dynastiis non immerito suspecta est Africani fides*, *pag.* 91 [a]. quasi non sæpius id fecerit quoque Eusebius, ut nomina Regum non exprimeret, cujus tamen fides in his salva est, quum utique illa Regum nomina expressa plerumque sint ab Africano; & quasi non Diodorus quoque Reges Aegypti

[a] *Pag.* 93. *Ed. L.*

gypti in familias, seu in γενεὰς, & posteros Menis, Busiridis, Aegypti vel Nili, &c. dividens, itidem Numerum Regum seu Γενεῶν, ac Annorum cujusque familiæ seu posteritatis summam, tantum expresserit, neutiquam vero singulorum Nomina. Ille tamen Memphitarum Regnum tunc desiisse jam censet, & cum Thebano penitus coaluisse, licet non Manetho modo has posteriores eorum memoret Dynastias, sed & Vetus Chronicon apud Syncellum *pag.* 51. etiam longe seriores (scilicet XVII. XVIII. & XXVI.) eorum fuisse tradat; & licet, quum jam Sexta eorum Dynastia cum Thebanis secundum Marshami sententiam coaluerit, utrorumque tamen Regum Nomina, horum ab Eratosthene, illorum ab Africano, diversa deinceps adhuc referantur. Ex quibus proinde liquet, nullum esse argumenti nexum inter istam Regnorum coalitionem & suppressionem Nominum, neque rejiciendas esse Dynastias, quia Regum nomina non sint in iis expressa. Quin tantum abest, ut Regnum Memphiticum desierit, & ita *cum Thebano coaluerit*, ut e contrario, si credimus Diodoro Siculo *lib.* I. *p.* 32. D. Thebanum desierit, & cum Memphitico coaluerit, siquidem ait, post Memphin ab Uchoreo conditam *sequentes Reges fere*

om-

omnes in ea, relictis Thebis, habitasse, & ideo ab illo tempore cœpta ταπεινῦσθαι τὰ περὶ τὰς θήβας, αὔξεσθαι δὲ τὰ περὶ τὴν Μέμφιν, *imminui Thebana, & augeri Memphitica.* Sed etiam hæc incerta plane arbitror, quum Eratosthenes longum adeo Thebanorum Regum nobis reliquerit Catalogum ex Sacris Libris istius Urbis collectum. Memphiticos autem Reges non modo in Manethonis Dynastiis etiam seriori tempore reperimus, sed & apud Artapanum Mosis, apud Herodotum Trojani Belli tempore, apud Eundem & Diodorum etiam aliquanto post: quæ omnia satis probant diversa fuisse Regna. Unum tamen, fateor, & satis quidem speciosum in istam coalitionem hic occurrit, quod Dynastia hæc Sexta Memphitarum Reginam nobis memoret, *Nitócrin*, quæ successerit Regi Mentesuphi per *annum* tantum *Unum* regnanti, sicuti Hic Phiopi, qui *centum annis* regnaverit. Idem vero deprehenditur in Regibus Thebanis Eratosthenis, in quibus Rex Vigesimus, Apappus Maximus, regnavit annos *Centum*, Successor ejus Achescus Ocaras *ann. Unum*, denique *Nitocris* ista *ann. Sex*, cui Memphitica illa Dynastia tamen tribuit *Duodecim.*

Adeo speciosum hoc est ad eliciendum inde Synchronismum, vel coalitionem,

Rgni

Regni Thebani & Memphitici, ut mirer illud non pro præcipuo probandæ suæ Chronologiæ principio a Marshamo ostentatum; utque Pezronius id avide arripuerit, licet ceteroqui multum in ordinandis Dynastiis a Marshamo discrepet, Necherophen retineat, & Memphitis asserat. Sed & securius in hisce, quicquid speciem quandam habet, immo etiam quod nullam habet speciem, arripitur, quia aliunde, sicuti confirmari nequit, sic neque refutari, quum hi Reges cum extera Historia nusquam comparati, aut ad certum ejus tempus relati, reperiantur. Discrepant tamen Eorum ipsorum inter se non Nomina modo, sed & Ætas, in Dynastia & Eratosthêne apud Syncellum, ex quo uno utrosque habemus. Nam quod a Marshamo & Pezronio in idem plane conferuntur tempus, id vero oritur ex eo, quod Dynastias suam ad Hypothesin mero suo arbitrio conformarunt. Magis etiam notandum, quod priorum Regum, & dein eorum, qui sequuntur hosce Tres, omnia prorsus sint diversa & aliena ab se invicem, ut adeo etiamsi fuerint maxime Tres illi ejusdem temporis, & iidem plane Homines & Reges, vel sic nihil inde juvetur Memphitarum & Thebanorum in reliqius Regibus Chronologia, quum utrorumque

nec

nec initia nec progressus habeamus ita exploratos, ut cum aliis Historiis conferre possimus, neque sciamus quando, quomodo, & quamdiu, Thebani & Memphitæ in unum coaluerint Regnum, quibus illi ipsi Viri Docti, contra quos hic disputamus, duplex & diversum ceteroqui tribuunt. Potuit ergo fortuitus fuisse, nisi suspectus figmenti potius haberi debeat, ille duorum Regum & Reginæ in eosdem Regni annos eodem ordine in utraque Chronologia concursus. Certe similia in hisce Chronicis reperimus, quorum rationem reddere non possumus, & quæ ideo suspectæ sunt fidei. Sic enim in *Serie* Regum Aegypti Rex LIX. & duo sequentes sunt *Athothis*, *Cencenes* & *Vennephes*, quæ eadem Nomina eodem ordine, immo & iisdem singulorum, utique apud Eusebium, Regni annis, sunt etiam Regum Dynastiæ omnium Primæ, & proximorum Menis successorum, ut adeo neutiquam ex fortuito rerum quarundam concursu Synchronismus continuo statui debeat.

Sed prolixior forem, quam par est, si omnia referrem. Elephantinorum Dynastiæ, quæ est Quinta, nullam Marshamus in sua Chronologia habet rationem, & abdit, in quem vult, locum. Magis etiam

negligit reliquas omnes Dynastias post Sextam, nec ullum iis tribuit locum, sive jam fuerint Memphitarum, sive Heracleopolitarum, sive Diospolitanorum, sive Xoitarum. Nempe rationibus suis qui accommodaret eas, non reperiebat. Duodecimam vero, quæ est Diospolitanorum, ad ipsam Undevicesimam & ejus Tempus demittit, & eandem pene putat utramque, tantum quia in utraque autumat designari Sesostrin. Quin ut quasi verbo rem conconficiat, Africanum ipsum, suæ Hypothesi non satis consentaneum, plane abjicit & explodit. *Sane maximus*, inquit *pag.* 5. *Manethonis interpolator, Africanus vetustiores suas Dynastias, si quid video, ex mero suo ipsius arbitrio disposuit: Si penitius inspiciamus, alias illarum, frustula tantum esse Dynastiarum, alias reperiemus meros esse numeros*. Et, *Africanus, abdicatis Dynastiis Manethonis, suas ex ingenio plerumque confinxit. pag.* 92 [a]. *eamque*, addit, *utriusque* (Africani & Eusebii) *esse licentiam, quæ Dynastiarum fidem labefactare possit*. Confer etiam *pag.* 297. & 439. 440 [b]. Ego vero Dynastiarum fidem exiguam prorsus duco, certe in Numero Regum & Annorum, neque negaverim magnam esse negli-

a *Pag.* 44. *E. L.*
b *Pag.* 311. 465. & *seqq. E. L.*

gligentiæ culpam penes illos, qui ex uno Auctore toties nobis tam discrepantia exhibent, ut faciunt Africanus & Eusebius: sed tamen Africanum eas confinxisse, & quasi ex Manethone haustas lectoribus suis obtrudere voluisse, cum Manethonis libri etiam diu postea superessent, atque adeo illius mala fides palam fieri mox omnibus deberet, quo tandem argumento quis persuaserit? Minime vero hæc a Marshamo jactari debuissent, quippe qui ex reliquiis Africani & Eusebii (adde, si videtur, & Josephi in Dynastiis XVII. XVIII. XIX. ex ejus *libro* I. *contra Ap.*) a Syncello ad nos propagatis, atque adeo ex illorum, & Syncelli hujus, cui nihilo magis parcit (Vide *pag.* 7. & alibi passim) fide, ac suis illorum interpretationibus & conjecturis Chronologiam suam unice consarcinavit, sed ita, ut ipse revera ad arbitrium suum omnia commutaverit, & in quem voluit locum, tempus, ordinem, contulerit. Certe in omnibus hisce servasse debuisset & ipse legem, quam Eusebio ponit *p.* 297 [a]. *Neque fides*, ait, *Eusebio, Africani descriptori, habenda est, idonea non data ratione discrepanti.* An ergo habenda erit illa Marshamo, sine ulla data ratione affirmanti quamplurima contra eos, quos in Chrono-

a *Pag.* 311. E. L.

nologico hoc opere sequi potissimum debuit? Eadem vero vi & via grassatur quoque in Dynastiis reliquis post XVIII. & XIX. quas tuetur & retinet. Ubique in Africanum invehitur, qui *nihil sani de Regibus Thebanis*, seu Diospolitanis, *retulerit, abrupta, inania, inepta sint ejus omnia*, nisi quod repente XVIII. & XIX. *Dynastiæ Africani longe melioris notæ sint.* Vide *pag.* 440 [a]. Porro Dynastias XXI., & XXIII. quæ sunt Tanitarum, ex suo loco & ordine expungit, & partim ad tempus, quod elapsum est ante Dyn. XVIII. partim ad hujus ipsius Dynastiæ tempus refert: XXII. omittit in Canone suo, licet *eam inter Thebanos & Aethiopas stationem suam servare, non incongruum* pronunciet *p.* 445 [b]. Saitarum quoque Dynastiæ, quæ est XXVI. & ultima ante Persas, initium producit supra Vigesimæ Quintæ tempus, & plures tunc iterum Dynastias simul exstitisse asseverat, licet apud Syncellum in *Serie Regum Aegypti*, omnes ultimarum Dynastiarum Reges sibi invicem continuo vertentis temporis ordine, subinde tamen aliquantulum turbato, successisse, certe nullas simul exstitisse liqueat. Plures quidem Reges tunc in diversis Aegypti partibus simul regnasse, veluti Bocchorin, Anysin,
&

a Pag. 467. *b Pag.* 472. *E. L.*

& Nechon Patrem Psammetichi, non negaverim, sed quum Anysis æque ac Gnephachtis, qui Bocchoridis fuit Pater, nulla in Dynastiis Manethonis habeatur ratio, non sequitur ergo inde, etiam ipsas Dynastias, contra manifestum Manethonis & Syncelli ordinem ac sententiam, plures simul exstitisse. Fuisse enim Reges in Aegypto etiam extra hasce Dynastias, nullum est dubium, & constat satis ex Thebanis Regibus Eratosthenis. Ast hic tantum agitur de Dynastiis, quarum Reges Manetho & Syncellus una & continua temporis serie ita memorant, ut qui singulis successerint. In illa autem *Serie* Regum quam maximam Marshamus ipse Syncello fidem habet, quod ad antiquissimos & primos xxv. Reges. Vide omnino Eum *pag*. 7. ubi ait, *gratissimam sibi obvenisse primam hanc Syncelli Dynastiam, ex qua spes in ordinem redigendi Aegypti origines prima emicuerit*, licet nesciat, *unde illam hauserit* Syncellus. At nos supra *Cap*. IV. *pag*. 49. &c. jam ostendimus, veram illorum xxv. Regum originem & inanissimam esse spem Marshami inde conceptam. Sed tamen si in *Serie* eorundem Regum, & ejusdem Scriptoris, qua antiquissima est, & in tempus ἄδηλον plane abdita, tantum fidei habuit Syncello, non

debebat postremo tempori ejusdem *Seriei* omnem abrogare fidem, quippe quod plerumque priori longe certius esse solet, & illustrius. Quare haud facile quis credet Marshamo [a], potuisse ipsum *totum illud Tempus quod Græcis* Μυθικὸν *nominatur, filo Historico obire, at quum jam ad intervallum illud devenisset, quod illis Historicum dicitur, obmutescere* debuisse *orationem suam*, quia *Recentiora Vetustioribus incertiora sint; quæ occurrunt* post Dynastiam demum XIX. *omnia abrupta esse atque devia*. Sed nimis diu in refutando versamur: Et satis liquido jam, ut arbitror, agnoscetur a Lectoribus meis, subruta esse prorsus Chronologiæ Marshamianæ validissima illa, quæ putabat, fundamenta. Ostendimus enim Menem neutiquam fuisse Chamum; falsissimum esse, a Diodoro annos 1400. inter Menem & Sesostrim statui: illos ipsos tamen annos non confici ex Regibus Thebanis Eratosthenis, & Diospolitanis Dynastiæ XVIII. nullum etiam esse nexum inter illos Reges, nec ejusdem fuisse Urbis & Successionis. Denique demonstravimus & illud, in quam necessitatem fuerit redactus turbandi, vel, si mavis, suo arbitratu disponendi, omnes Manethonis Dynastias, tantum ut Hypothesi eas

a *Pag.* 471. *E. L.*

eas suæ accommodaret, omnia pronunciationibus, & asseverationibus meris conficiens; quam rationem si quis sequatur, næ ille qualemcunque Chronologiam ex quocunque Auctore facillime constituet.

CAP. VIII.

Sesostrin fuisse Sisacum Aegypti Regem tempore Rehabeami, pro fundamento suæ Chronologiæ ponit Marshamus. Josephum affirmat illud quoque sensisse, in quo plerique eum sequuntur. Josephus explicatur, & pro diversis habuisse Sesostrin & Sisacum, ostenditur. Non ignoravit ille Sesostrin, & ejus ætatem Rehabeami & Sisaci tempore antiquiorem. Josephus erroris accusans Herodotum notatur. Sesostris si domuit Syriam Palæstinam eo tempore, quo Israëlitæ servierunt aliis Gentibus, nihil tunc mirum est, ejus victoriæ in Scriptura S. nullam fieri mentionem. Error Clerici, Marshamum temere

mere sequentis. Conringii sententia Sesostrin quoque ad tempora Rehabeami, & Bellum Trojanum infra illa demittentis refutatur.

Superest nunc, ut de Sesostri agamus, quem Marshamus ad tempora Rehabeami longe infra Trojanum Bellum rejicit, & cujus ætatem quoque inter præcipua suæ Chronologiæ ponit fundamenta, quippe in qua manifestum habere se putat Historiæ Aegyptiacæ & Judaicæ Synchronismum, dum Sesostrin affirmat fuisse Sisacum illum, qui Rehabeami tempore Judæos vicit, & Hierosolyma oppugnavit. Vide Eum *pag.* 22. & 299 [a]. At probatio istius Κρινομένυ plane deficit. Nam quod Menem statuit fuisse Chamum, & quod ab illo usque ad Sesostrim numerandi sint anni 1400. quæ ille pro argumentis præcipuis vel unicis suæ opinionis attulit, falsissima esse, prorsus liquido, ut opinor, jam declaravimus. Sed falsa illa esse, etiam ex eo nunc ostendemus, quod Sesostridis ætatem, in qua desinit ex ipsius sententia illud 1400. annorum intervallum, male ad hæc demum tempora Vir Nob. referat, contra Veterum & Recentio-

[a] *Pag.* 313. *E. L.*

tiorum ferme omnium ſententiam. Nam in *Serie* Chronologica, uno confutato, ut concidant & reliqua, neceſſe eſt. Sic igitur Seſóſtride ad alia tempora relato, vel ſaltem ex hisce temporibus excluſo, collabuntur quoque illa, quæ de Mene & 1400. annis a Marshamo affirmantur; ſicuti viciſſim, Mene aliter accepto & 1400. illis annis abjectis, refellitur quoque, quantum inde elicitur, hæc Seſoſtridis ætas.

Verum putat ſe Sacras Literas, & Joſephum maxime, conſentientes habere: Scilicet quia Scriptura Sacra 1. Regum XIV. & 2. Paralip. XII. tradit, Siſacum Regem Aegypti cum magno exercitu ſuscepiſſe expeditionem contra Regem Judæorum Rehabeamum, & occupaſſe munitas Judææ Urbes, ac tandem progreſſum Hieroſolyma adegiſſe Rehabeamum ad ſerviendum ſibi, h. e. ad tributum ſibi pendendum, & abſtuliſſe Sacros & Regios theſauros. Eadem exponens Joſephus *Antiq.* VIII. 4. quia agnoſcere debuit Aegyptium Regem ἀμαχητὶ, *ſine pugna*, viciſſe & ſubegiſſe Judæos, & Rehabeamum admiſiſſe illum in ipſam Urbem Hieroſolyma, διὰ τὸν φόβον, *per metum*, credidit ergo ea, quæ Herodotus de Seſoſtride narrat *lib.* II. *cap.* 102. & de Syria Palæſtina *cap.* 106. (quod nempe

in iis populis, quorum Urbes ceperit facile & ἀμαχητὶ, erexerit statuas, in quibus, ad illud declarandum, membrum muliebre effingi curaverit, quodque tales ejus statuas viderit in Syria Palæstina) ea inquam originem suam trahere ex hac Sisaci in Judæos ἀμαχητὶ ab illo subactos expeditione; male autem fecisse Herodotum, qui has res in Syria Palæstina gestas tribuerit Sesostridi. Hæc ergo arripit Marshamus, & inde conficit *p.* 358 [a]. Josephum jam *animadvertisse* Sesostrin Herodoti esse ipsum Sesacum Sacræ Scripturæ. Et disertius *p.* 22. *Aetas Sesostris, Græcis omnino incognita, in Sacris Ebræorum* διφθέραις *conservatur. Qui Græcis* Sesostris, *idem Aegyptiis* Sethosis, *Ebræis* Sesac, vocatur. Existimavit id Torniellus quoque, & arripit pro vero, ut & Scaliger, sed qui eo nomine Josephum erroris accusavit. Sequitur hunc Carpentarius de *l'Excell: de la Langue Franc. p.* 901. tradens *Josephum fuisse primum, cui venerit in mentem, Sesacum & Sesostrim esse Eundem.* Neque aliter Bochartus *Phalegi* IV. 21. *Si Josepho credimus, Sesostris est Sesac, Roboami æqualis.* Denique Stillingfletus in *Originibus Sacris* I. 5. 8. *Sesostris, qui ex sententia Josephi fuit Sesacus.* Et sic plerique Alii.

Sed,

a *Pag.* 376. *E. L.*

Sed, pace dixerim Virorum insignium, omnes in eo errant, dum hunc errorem Josepho tribuunt, qui longe aliud sensit, & probe scivit diversos fuisse hos Reges. Verba ejus sunt *d. l.* de Susaco vel Sisaco, περὶ ȣ πλανηθεὶς Ἡρόδοτος τὰς πράξεις Αὐτȣ̃ Σεσώςρει προσάπτει, *de quo in errorem lapsus est Herodotus, dum Ejus res gestas Sesostridi tribuit*. Neutiquam hinc sequitur pro eodem Rege utrumque ab Josepho habitum; quin immo pro diversis habitos palam est, quorum alteri alterius res gestas per errorem tribuerit Herodotus. Si credidisset Josephus, quod volunt, utrumque fuisse revera eundem, & tantum nominari ab Herodoto *Sesostrim*, qui *Sisacus* nominatur ab Hebræis, simpliciter absque *erroris* crimine id memorasset, quum exigua sit discrepantia inter *Susacus* vel *Sisacus*, & *Sesostris*, & in omnibus ferme S. Scripturæ nominibus Propriis, quæ & apud Græcos Scriptores occurrunt, longe major reperiatur [a]. Ipse Josephus hunc ipsum Susa-

H 5 kum

[a] In alia omnia it Jamesonus in *Spicileg. Antiquit. Aeg.* cujus animadversiones ad singula Perizonianae disputationis capita ipsis illius verbis adscribendas duxi. *Cap. XIII.* §. 2. praefatus Perizonium efficacissime contra Marshamum demonstrare *Menem* minime esse *Chamum*, e quo fundamento probare nititur Marshamus *Sesostrim* atque *Schisakum* fuisse unum &

kum de *B. Jud.* VII. *cap.* 18. vel in Græcis, *cap.* 47. Ἀσωχαῖον vocat, nisi potius scripserit, quod crediderim, Σασωχαῖος; sed vel sic satis magnum erit nominis ejusdem discrimen in eodem Auctore inter Σέσακον & Σασωχαῖον. Sed & *lib. Antiq.* IX. 14. Regem Aegypti *Soam* nominat Josephus, quem Herodotus II. 141. 142. *Sethon* vocat. Et tamen mox X. 1. Herodo-

& eundem, ita pergit: Sed quamvis Marshami argumenta non valeant, in hac re tamen fortuito felix est, & casu in veritatem incidit: *nam revera Sesostris non alius est a Schisako.* Deinde post descriptum totum locum Josephi, Nemo est, inquit, qui non videt in *Schisako* Herodoti *Sesostrim*; quamvis Herodotus eum *Sesostrim*, non *Schisakum* vocat. Confer Herodot. *Lib. II. Cap.* 102. & 106. cum eis, quæ ex Josepho protulimus, & abunde constabit eundem Regem & ab Herodoto & Josepho memoratum; licet non sub eodem nomine, quod nihil est, ut ipse Flavius observat. Sed ut breviter dicam, *rotunde affirmo juxta Josephi mentem, non alium quam Schisakum, habendum pro celebri Herodoti Sesostre.*

Doctissimus Perizonius postquam agnovisset magnos viros omnes in ea sententia fuisse, quod Josepho *Sesostris* sit *Sesacus*, Roboami æqualis, sic pergit: *Sed, pace dixerim Virorum insignium, omnes in eo errant --- qua & apud Græcos scriptores occurrunt, longe major reperiatur.* Contra primo non asseritur Josephum nescisse alii Regi antiquiori, vero an fictitio, non nunc disputatur, ab Herodoto, Manethone, & forsitan aliis adscriptas fuisse res magnas, quem nunc

rodotum quoque commemorat, Historiam Sennacheribi, contra Aegyptios & Sethonem profecti, aliter, quam fiat in Scriptura S. narrasse, & erroris insimulat eum, quod Sennacheribum vocet *Arabum* Regem, quum debuisset *Assyriorum* dixisse, id quod in nostris tamen Herodoti codd. *cap.* 141. additum recte reperitur, ut adeo hæc ipsa accusatio sit levissima vel potius teme-

nunc *Sesostrin*, nunc *Sethosin*, & aliquando aliter appellabant. Sed hoc duntaxat quæritur, an Josephus crediderit aliquem alium Ægypti Regem fuisse, qui præter *Schisakum*, qui Hierosolyma ceperit, reliquum Asiæ invaserit & magnam partem ejus subegerit, & Europam quoque tentaverit: Id negamus, pernegamus. Non quidem credidit Flavius Herodotum putasse *Sesostrim* esse eundem hominem, qui vocabatur *Sesakus*, & cepit Hierosolyma; probe scivit Josephus Halicarnasseum ne fando quidem vel de *Schisako*, vel de hac ejus expeditione Hierosolymitana, audivisse. Sensus igitur Josephi *Lib. VIII. Cap.* 4. est, quod Ægyptii Sacrificuli, atque ejusdem furfuris alii per maximam mendaciorum auxesin, Schisakum in fictitium suum *Sesostrim* transformaverunt: qui vel nunquam, vel certe nunquam in tali magnificentia, quali eum fuisse comminiscuntur, extitit. Et me arbitro, haud leve hujus rei documentum est, quod ne γρὺ quidem de *Schisako*, qui res scribunt Ægyptiacas, nobis tradunt. Hinc, ut confido, apparet, ea, quæ Perizonius hic protulit, esse exceptiones levissimas, ne dicam cavilla, tanto viro indigna.

§. *III.*

temeraria. At de Nomine *Sethonis*, quod tamen in S. Scriptura nusquam Regi temporibus Hoseæ & Ezechiæ, seu Salmanassari & Sennacheribi, tribuitur, nullam movet Herodoto controversiam. Quin & alibi, quando de ipso Rege constat, Nominis diversitatem simpliciter, utpote rem usitatissimam, verbo tantum exprimit. Sic x. 12. Βαλτάσσαρον (a Daniele sic nominatum) τὸν καλέμενον Ναβοάνδηλον, (vel potius Ναβονάδηλον, h. e. *Nabonadium* Ptolemæi) παρὰ Βαβυλωνίοις. Darium quoque Medum ibidem ἕτερον παρὰ τοῖς Ἕλλησι καλεῖσθαι ὄνομα, *alio nomine apud Græcos* Scriptores *appellatum* ait. Quocirca si ex sententia Josephi Herodotus in eundem convenisset Hominem & Historiam, ac tantum nomen Hominis ex *Sisaco* Hebraico leviter flexisset in *Sesostrin*, tum vero simpliciter dixisset Josephus, Sisacum hunc ab Herodoto Sesostrim dici, certe neutiquam existimasset illud nota aut accusatione *erroris* dignum, quum frequentissimum id fuerit, ut Græci nomina Orientalium paulo aliter flexerint ac pronunciaverint. Sed longe aliud est, Nomen Regis alicujus, de quo convenit, paulo aliter flectere, aliud res gestas alicujus Regis adscribere Regi alteri, qui alio nomine est insignis, qui magnus est & certus in Histo-

rico

rico *error*. Hinc vero jam patet, quis etiam verborum, quæ mox apud Josephum *d. l.* (VIII. 4.) sequuntur, & respiciunt superiora, sit sensus: *Hujus*, inquit, *expeditionis meminit etiam Herodotus*, περὶ μόνον τὸ τȣ̃ Βασιλέως πλανηθεὶς ὄνομα, *in solo Regis* (Susaki) *nomine errans*, atque tradens, *alias illum complures Gentes invasisse*, *&* ita *Syriam* quoque *Palæstinam sibi subjecisse sine pugna*, *in quibus manifestum est illum Judæorum Gentem voluisse designare*. Vult dicere; Quum Gens Judaica ab nullo alio Aegyptio Rege legatur subacta, quam ab hoc Susaco, qui ἀμαχητὶ eam subegit, ideo quæ Herodotus de Syria Palæstina, per quam Judæam potissimum intelligere illum diserte censet Josephus, itidem ἀμαχητὶ ab Aegyptio Rege victa narrat, in hanc Susaci Historiam omnino congruere, neque adeo in ipsa illum errare Historia, sed *tantum in Rege nominando*, dum pro Susako *nominavit* alium Aegypti Regem Sesostrim. *Res* gesta est ita, ut refert ex Herodoto Josephus, sed non ab Rege, qui dictus fuerit *Sesostris*, sed ab illo, qui dictus fuit *Susakus*, ut adeo in *Re* ipsa non erraverit Herodotus, sed in *Solo* Rege, ac *Regis Nomine*. Nempe τὸ ὄνομα τȣ̃ Βασιλέως non notat hic certi & agniti utrimque *Regis Nomen*, in quo sit *erratum*, sed ipsum *Re-*

gem

gem diversum, dum pro vero *Rege* alius per *errorem* nominatur. Et ita passim Ὄνομα apud Græcos adhibetur. Johannes *Apocal.* XI. 13. *occisa* ait *septies mille*, ὀνόματα ἀνθρώπων, *nomina Hominum*, quod quid aliud potest notare, quam ipsos simpliciter *Homines?* Quin ipse ita Josephus *lib.* I. *c. Apion. p.* 1052. ubi incusat Manethonem, quod confinxerit fabulam Leprosorum, unde Judæi fuerint orti, & *addiderit* Ἀμένωφιν Βασιλέα, Ψευδὲς Ὄνομα, *Amenophin Regem, Falsum Nomen.* Non enim, neque istic, de *Nomine* Certi Regis disputat, sed ipsum Regem dicit *Falsum*, confictum, suppositum; unde & mox *ibidem*, ἐμβόλιμον Βασιλέα eum dicit, h. e. *Regem suppositum, insiticium*; atque idcirco Manethonem addit, non ausum fuisse ejus Falsi Regis Annos Regni exprimere, quod in aliis Regibus fecerit. Similiter *pag.* 1057. Chæremonem ait in istius fabulæ scenam produxisse ταυτὸ ὄνομα τῦ Βασιλέως, ὅπερ ὁ Μανεθὼς, Ἀμένωφιν, καὶ τὸν υἱὸν αὐτῦ Ῥαμεσσῆν, *idem Nomen Regis, quod Manetho, Amenophin, & Filium ejus Rhamessen.* Vult dicere, illum Fabulam hanc retulisse ad eundem Regem, ad quem retulit Manetho. Sed longe adhuc disertius *pag.* 1058. *in fine*, ubi Lysimachum similia de Judæis tradentem, nugas tamen has ad

Boc-

Bocchorim, longe recentiorem Regem, quam fuisset ille Amenophis, detulisse tradit, ὗτος δὲ (ait) ὐ τὸν αὐτὸν ἐκείνοις ἔυρεν εἰπεῖν Βασιλέα, καινότερον δ' ὄνομα συντέθεικε: *Hic vero non Eundem, quem illi, Regem invenit, quem hic memoraret, sed recentius Nomen confinxit, composuit.* Manifeste hic *Recentius Nomen* est ipse Bocchoris, *Rex* longe *recentior* Amenophi. Nec enim ille Amenophin appellavit *Bocchorin*, sed alium & recentiorem Regem, Bocchorin scilicet, pro Amenophi antiquiore, in hac Fabula commemoravit, ut ex tota liquet Josephi narratione. Sed & ita Aelianus *Var. Hist.* XIII. 28. de Servo, τῷ ὀνόματι τῦ Δεσπότυ δίκας ἐκδίσας, *Domino pœnam dans*, quem scil. deseruerat. Vide istic, quæ notavi. Ita vero Josephi verba de Rege ipso, qui ab Sisaco fuerit diversus, at non de Nomine Unius ejusdemque Regis, quod *erroris* ille non accusasset, esse interpretanda, liquet jam clarissime, neque tantum ex jam dictis, sed vel maxime, ex eo, quod Josephus minime ignoravit celebrem illum Sesostrin, neque illius res gestas, licet forsan fabulis exornatas crediderit, neque ætatem, Susaco hoc longe antiquiorem [a]. Nam certe in *lib.* II.
con-

[a] Patet præterea Perizonium revera concedere in sententiam eorum hominum, quos refutare

contra Apionem, qui res Aegyptiorum extulerat majorem in modum, & Judæorum abjecerat, ait *p. m.* 1068. ἀλλὰ Σέσωςρις αὐτὸν, ὁ μυθευόμενος Αἰγύπ̓τυ Βασιλεὺς, ἐτύφλωσεν, *ſed Seſoſtris illum excæcavit, Aegypti Rex, cujus res Fabulis ſunt aſperſæ*, vel *immodice celebratæ*. Μυθευόμενος enim iſtic non notat confictum plane Regem, qui nunquam exſtiterit, ſed talem, cujus res geſtæ in vanum & falſum ſunt detortæ & fabuloſis circumſtantiis exornatæ. Sic Hiſtorici quoque, qui res, quas narrant, immodicum augent, μυθολόγοι paſſim dicuntur. Porro autem *lib.* 1. *cont. Ap. p.* 1041. res geſtas Seſoſtridis ex Manethone commemorat, & in longe aliud & antiquius Rehabeamo tempus refert. Verum quum Seſoſtris variis nominibus a diverſis Scriptoribus deſignetur, a pleriſque ex Herodoto *Seſoſtris*, a Diodoro *Seſoſis*, ab Juſtino *Vexores*, vel itidem *Seſoſis*, a Manethone *Sethoſis*, Dicæarcho *Seſonchoſis*, ab aliis *Rhamſes* vel

tare contendit, ex his ejus verbis: *Vult dicere; Quum gens Judaica ab nullo alio Aegyptio Rege legatur ſubacta --- neque ætatem, Suſaco hoc longe antiquiorem.* Hæc dico, & plura quæ non recitabo, demonſtrant Perizonium revera probare ſententiam Bocharti, aliorumque magnorum virorum, quos refellere maximo niſu conatur. Hæc de mente Joſephi. *Ibid.* §. *III.*

vel *Ramesses*, idcirco iſtic ex Manethone ſub nomine *Sethoſis*, *qui & Rameſſes* fuerit *dictus*, ejus expeditionem in omnem *Aſiam* nobis narrat Joſephus, additque eum etiam *Aegyptum* fuiſſe appellatum, ſicuti Fratrem ejus Armain, *Danaum*. Unde colligit arripiens hanc ætatem Sethoſios, ſeu Seſoſtridis, & ejus Fratris, ſuorum ergo majorum exitum ex Aegypto ſecundum ipſius Manethonis Chronologiam, longe eſſe antiquiorem Seſoſtride, & Danao, qui fuerint Fratres, atque adeo ætate æquales. Manifeſtum ex his, Joſephum ſatis habuiſſe exploratum, celebrem illum Aegypti Regem, qui Aſiam ſuis victoriis peragraverit, fuiſſe antiquiorem *Siſaco*, quo utique longe etiam antiquior fuit Danaus. Sed &, ſi maxime nihil horum ſciviſſet aut crediſſet Joſephus, tum vero vel ſic nihil tamen ad ætatem veram Seſoſtridis ex Eo, ſeu ex illo ejus loco (VIII. 4.) conſtituendam elici poſſet. Nam nihil aliud ex Joſepho extundi ad ſummum queat, quam Siſaci res ab Herodoto adſcribi Regi cuidam incerti temporis, & ſibi ignoto, & fabuloſo, quem *Seſoſtrin* ille vocet. Nihil enim Joſephus de ætate celebris iſtius Seſoſtridis definit, nihil quærit, nedum ut affirmet, Siſacum hunc eſſe illuſtrem illum Seſo-

Sesostrin, quem Herodotus & alii celebrent. Satis ex his liquet, quam inani argumento ex hoc Josephi loco ætas Sesostridis eruatur, & ad Sisaci & Rehabeami tempora rejiciatur. Ceterum ipsa etiam Josephi disputatio isthæc contra Herodotum non magni sane est ponderis. Nam etiamsi Sisacus Rex Aegypti ὑποχειρίους sibi reddiderit Judæos ἀμαχητὶ, id vero non impedit, quo minus etiam alius antea id potuerit fecisse; atque adeo non sequitur, Herodotum ergo, quando similem Syriæ Palæstinæ ἀμαχητὶ itidem subactæ Historiam de alio Rege, seu de Sesostride, refert, errasse, & male ex hac Sisaci Historia suam Sesostridis exornasse, seu res hujus Sisaci ad Sesostrim suum transtulisse. Verum in hanc accusationem Josephum induxit, quod nullus alius Aegypti Rex in Judæorum aut Israëlitarum Annalibus legatur illos subegisse, atque adeo neque Sesostris, cujus proinde Historiam vel plane rejiciendam credidit, vel ex hac Sisaci assumptam. At vero non omnia antiquitatis ultimæ diligenter adeo sunt annotata, ut ad seram posteritatem pervenerint. Sed & potuerunt Sesostridis res accidisse tempore Judicum, vel potius Servitutis, qua Israëlitæ Palæstinis reliquis, vel aliis, fuerunt subjecti. Quo pacto una cum suis

Domi-

Dominis transiissent in potestatem Sesostris, atque adeo non fuisset illa victoria Sesostris de Israëlitis proprie parta, sed de omnibus Palæstinis: quod ipsum, & quia Servitus Aegyptiaca non diu duravit, nec Israëlitis fuit propria, idonea satis causa erat, quare in Annalibus Israëlitarum victoria Sesostris non legatur usquam memorata [a]. Verum non adeo disputamus

 nunc

[a] Si roges Perizonium, quando *Sesostridis* res contingere potuerunt? Respondet, *Sesostridis res accidisse* (immo respondet, *sed & potuerunt accidisse*) *tempore Judicum --- non legatur usquam memorata*. Et Cap. XVI. ponit *hanc expeditionem Sesostridis incidisse in illud tempus, quo Israëlitæ servierunt per xx. annos Jabino Regi Chananæorum*. Ad quam sententiam convellendam sufficit si observetur, illos populos, a quibus Israëlitæ toties in servitutem redacti sunt, perpetuo mansisse Israëlitarum Dominos, donec miraculose harum Gentium potentia contrita sit. Sed si Sesostris Syriam totam & circumjacentes Gentes subjugasset, Dominos, & subditos Israëlitas pari servitute involvisset; cujus contrarium ex toto *Judicum Libro* patet. Quid? An Israëlitæ in pari conditione cum Dominis suis a Sesostri relicti fuissent statim in pristinum, mansuete instar pecorum jugum relapsi essent: Quis hoc credet? Præterea nequaquam videtur Jabinus, qui 900. ferreos currus habuit, fortissimæ Respublicæ Philistæorum, Amorei, aliique Gigantææ staturæ & robustissimi homines, qui procul dubio Moabitis, Cananæis, Madianitis, Ammoni-

tis,

nunc contra Josephum, quam contra Marshamum, & qui eum sequuntur, ut probemus, ex Josephi loco sæpius dicto nihil

tis, Philistæis, vel quibusvis aliis Israëlitarum hostibus, lubentissime sese aggregarunt, ἀμαχητὶ, sine pugna, a Sesostre fuisse subacti. Quamvis, inquit Dominus, Hamos. *Cap. II. comm. 9. ego perdiderim Emoraum a facie ipsorum, cujus altitudo similis erat altitudini cedrorum, & robustus erat ut robora &c.* Erant etiam reliquiæ haud exiguæ illus gentis tempore Samuelis *Lib. I. Cap. VII. comm.* 13. Et profecto constat ex Scripturis, Gentes Chananæorum, Amoræorum, &c. adeo fuisse fortes, adeo valentes, ut non nisi vi divina ab Israëlitarum facie pelli potuerint. Et Jabinus, in cujus dominatum super Israëlitas, præ aliis Vir Doctus statuit Sesostris victorias incidisse, dicitur *Judic. IV. comm.* 3. vehementer Israëlitas oppressisse xx. annos. Sed quomodo potuit ille dici oppressor eorum, eo tempore, quo alius illum, non minus quam ille illos oppresserit, & pariter in ambos dominium habuerit: me plane fugit. His adde *Canticum* Deboræ *Judic. V.* in quo procul dubio memoraretur vel Sesostris ingressus, & victoria contra Chananæos, & ceteros populos, qui Israëlitas tunc temporis captivos tenebant; vel ejus egressus, unde aliqua Israëlitarum status mutatio in vel mitius, vel asperius contingeret, sed nihil tale in toto hoc cantico refertur. Denique luculenter narratur, quot annos servierint ipsorum afflictoribus, diserte nominatis; & rursus quot annos Terra quieverit: de Sesostre autem nihil. Quare miror eos, qui S. Literas admittunt, amplecti tam putidas fabulas, Divinis ora-

nihil posse elici ad constituendam Sesostridis ætatem. Quapropter ablegamus Cl. Clericum, quo dignus est, quando mo-

oraculis plane contrarias. *Ibid.* §. *IV.*

Opponit se Vir doctus *Cap. XVI. Quum*, inquit, *Cananæi, Israëlitarum tunc Domini --- si tributum sibi penderent.* Sed nemo ut spero, qui attente legit quæ mox protulimus, credet Perizonii inanibus conjecturis dicam an hariolationibus, Sacræ Paginæ plane repugnantibus. Porro Vir doctus sibi imposuit, fidem adhibendo Justini otiosis nugis; nam revera nunquam erat prævalens Princeps, quin Gentes quas subegerat, omni conatu & studio, vel vi vel fraude sub suo imperio retinere sategerit. Non est quod sim prolixus commemorando exempla; appello omnium seculorum monumenta, sed etiamsi Sesostris susque deque habuisset Regiones longinquiores, vel eas se & posteros suos posse retinere desperasset; Palæstinam tamen Regionem tum ditissimam, tum Aegypto maxime propinquam, & proinde suis rebus imprimis commodam, omni cura retinere studuisset. Sed audiamus quale fulcrum sententiæ suæ reperiat in Justino. Justinus autem *l.c.* collato cum *Libro II. Cap.* 3. Perizonii *Sesostrim*, quem ille *Vexorim* appellat, facit mille quingentis annis antiquiorem Nino. Et Nini posteris dat 1300. annos *Lib. I. Cap.* 2. quorum ultimus Sardanapalus, qui putatur a Ctesiæ defensoribus vixisse tempore Elishæi Prophetæ, vel Regis Amasiæ. His collatis, habebis Perizonii *Sesostrim*, multo ante diluvium universale regnantem. *Ibid.* §. *V.*

Sed quod magis obest Viro docto, *Vexoris* a Scythis turpiter fugatus est. *Quos* (nimirum

re suo res ipsas neutiquam examinans aut intelligens, ex aliis tantum, quæ speciosa sibi videntur, repetit, & ad I. Regum XI.

Scythas) *cum tanta celeritate venire Rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in Regnum se recepit. Scythas ab Aegypto paludes prohibuere: inde reversi Asiam perdomitam vectigalem fecere - His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi Tributi Finem Ninus Rex Assyriorum imposuit.* Hæc Justinus *Lib. II. Cap.* 3. Hæc consectaria, licet omnino legitima, Vir Doctissimus puto, si in vivis esset, minime salvis suis principiis, admittere potuisset. Objici hic poterit Idumæos & Philistæos nullam liberationem per expeditionem invenisse *Sesostridis*, sive *Schisaki* contra Rehoboamum; sed in statu servitutis, in quo fuerant, remansisse. Et revera id Perizonius, aliud agens, videtur innuere, *Reperiuntur*, inquit *Cap. IX. alios habuisse sibi subjectos, Idumæos Judæi, Philistæos Josaphatus, Moabitas Israëlitæ.* Sed e contra affirmo Idumæos & Philistæos & reliquos, qui sub jugo Judaico fuerant, ingruente Sesostride erexisse cristas, & nequaquam sub jugum reductos, donec Jehosaphato, & populo supplicante *II. Paralip. Cap. XX.* fuerint pessundati. Nec obstat quod dicatur *I. Reg. Cap. ult. comm.* 47. *Non fuisse Regem in Idumæa, sed præfectum.* Nam hæc subjectio Idumæorum non poterat contingere nisi post hanc cladem & lanienam Idumæorum; ut attente consideranti patebit. Si hæc solutio non arridet, ad manum est alia, nimirum, *Schisakus* non læsit Israëlitarum regnum, ad illud igitur objectio non spectat, & Judæam reliquit *Schisakus* initis pactioni-

XI. 40. hæc notat. *Hunc* (Sisacum) *eundem esse, ac celeberrimum illum Herodoti Sesostrin existimavit Josephus, quod & MULTIS PROBAVIT Marshamus ad Seculum* XIV. *quem vide. Scio esse, qui eum confutare aggressi sint, sed nituntur levibus conjecturis.* Similiter ad *Caput* XIV. 25. 26. ex Marshamo *Sisakum & Sesostrin*, pro eodem Rege ostentat, sed addit manifestæ veritatis vi coactus, *videri Sesostrin Regum Judæ imperium nequaquam minuisse, sed contentum ablatis thesauris, ab eorum ditione postea abstinuisse.* At vellem Vir Clariss. vel unum ex *Multis* illis protulisset argumentum, quo *probatum* dedisset Marshamus, Sisacum & Sesostrin fuisse *Eundem.* Ego certe ad Sæculum XIV. longam quidem rerum a Sesostride gestarum aut institutarum expositionem, at nullum ejus generis reperi argumentum, præter illud, quod ex dicto Josephi loco est petitum. Neque vero talia in eo repererunt Viri Docti, qui post Marshamum de his rebus ege-

 runt;

ctionibus cum Rehoboamo, ut ingentem pecuniae summam acciperet, nullo tributo annuo imposito, nulla liberatione alienigenarum gentium pacta: Sed relictis rebus ut antea fuerant. Vide *II. Chron. Cap. XII.* Vindicavimus, ut opinor, argumentum a Scripturæ silentio ductum, quo demonstremus falsitatem Perizonii Sententiæ. *Ibid.* §. *VI.*

runt; non Doctiss. Abbas, Ivo Paulus Pezronius, qui *Antiquitatem Temporis* illustravit; non Franc. Blanchinus Veronensis, qui *Historiam Universalem* Italice conscriptam edidit; non Natalis Alexander in *Historia Ecclesiastica Veteris Test.* non Carpentarius in Libello jam dicto; non Auctor Dissertationis Gallicæ in *Memoriis Trivultiensibus Anni* 1702. *Mens. Septembri, artic.* 2. non denique Eruditissimus nostræ Academiæ nuper Theologus, Frid. Spanhemius F. qui, quod vel maxime hic notandum arbitror, primis in Edd. *Historiæ Ecclesiasticæ, an.* 1675. & 1683. Marshamum secutus, *Sisacum apud Herodotum & Historicos esse Sesostrin, Sethosin, Sethon, Asiæ dominatorem* pronunciarat. At postea ultimis vitæ annis in majore opere, accuratius, ut fere fit, re pensitata, *Fallunt*, ait, *qui Sesacum volunt fuisse Sesostrim, & in iis Marshamus. Hunc enim longe antiquicrem statuunt omnes Græci &c* [a]. Omnes ergo illi deseruerunt ultro in hisce Marshamum.

Huic vero præiverant ea in re Torniellus & Conringius, quos tamen ille non nomi-

[a] *Pag.* 176. *Edit. Lugd. Bat.* 1701. Et *pag.* 309. Rameffem *non improbabiliter censeri eundem cum Graecorum antiquissimo illo* Sesostri, Sethoosi, Setosi, *ingenti apud Marshamum metachronismo, qui cum* Sesaco *confundit, tempore Rehabeami.*

nominat, & forte non viderat Posteriorem, qui tamen in *Adversariis Chronologicis cap.* 18. duo non plane negligenda hanc in rem adfert argumenta, sed quorum prius jam refutavimus contra Josephum disputantes; scilicet quod nullius Aegyptii Regis, qui in Palæstinam moverit, præter Sisakum, & dein Nechon, mentio fiat in Sacro Codice, neque verisimile sit, Sesostridis expeditionem absque calamitate Gentis factam, eamque in S. Codicibus silentio præteritam. Sed, ut jam ostendimus, potuit res gesta fuisse tempore alicujus Servitutis Israëliticæ, quæ multiplex, & diutina sæpe fuit; Syria autem Palæstina dicitur a Sesostride *ἀμαχητὶ* subacta, h. e. facile & ultro tributum pollicita Aegyptio Regi, atque ita Israëlitæ, sine ullo majore, aut sibi proprio, motu, cum omnibus Palæstinis pariter & cum suis Dominis, tanquam appendix quædam, ad comiter venerandam Regis Aegyptii, qui ad reliquos Asiæ populos properabat, Majestatem facile accesserunt: quod ita si factum fuit, ut sane videtur, tum nihil profecto mirum, si in Libro Judicum nusquam id reperiatur annotatum, quia ad Gentem Israëliticam proprie non pertinebat. Nec enim crediderim unquam, quod vult Blanchinus, Cuscha-

num Mesopotamiæ fuisse Sesostrim, sed de quo postea. Alterum Conringii argumentum ex eo ducitur, quod post Sesostrin usque ad Sethon, qui tempore Sennacheribi fuerit Rex Aegypti, decem ab Herodoto memorentur Reges, qui facile spatio sui regni explere potuerint intervallum 300. annorum, quod ipse statuit inter tempora Rehabeami & Ezechiæ, seu Sennacheribi. At Herodotus tribus tantum Regibus, ex illis Decem, adscribit annos regni, quibus solis conficitur spatium annorum 156. porro autem a morte Rehabeami usque ad mortem Ezechiæ anni intercedunt, non 300. sed tantum 260. Sic conjectura illius, Septem reliquis Regibus longe minus spatium (104. tantum annorum) relinquit, quam Tribus ab Herodoto tribuitur [a]. Sed præterea Herodotus

[a] Dicit Perizonius hoc esse argumentum Conringii, cujus libro nunquam fuit mihi copia utendi, & ad illud ita respondet: *At Herodotus tribus tantum Regibus - longe minus Spatium* (104. *tantum annorum*) *relinquit.* Sed revera vice confutationis, Conringii argumentum confirmat; nam quid magis probabile est & ordinarium, quam quosdam Reges magis diuturnum, quosdam magis breve habere Regnum? Equidem ista consideratio quod totidem annorum numerus, vel propemodum idem sit inter Rehoboamum, & Ezechiam, vel Senacheribum, qui est inter Sesostrim & Sethonem, suadet

tus diſerte Seſoſtrin collocat ante Regem, qui fuerit Belli Trojani tempore, & idcirco Conringius hoc quoque Bellum demittit infra tempora Rehabeami, id quod confirmare nititur ex iis, quæ Virgilius de Aenea & Didone cecinit. At utrumque eſt abſonum plane, & a vero alieniſſimum, quum Epocha B. Trojani ſit notiſſima, & Rehabeami initia ſuperet plus 200. annis, ut oſtendit Petavius. Ipſe autem Herodotus in hac Hiſtoria *cap.* 145. a Bello Troj. ad ſe usque elapſos ait circiter 800. annos; jam vero inter mortem Rehabeami, infra quem abjicitur illud bellum, & Herodoti natales ne quingenti quidem integri intercedunt anni. Ex Poëtis vero, aut ex Aeneide Virgilii, qui ornare eam voluit rebus Carthaginienſium ludibrio exponendis, licet ab Aeneæ tempore alieniſſimis, prout Poëtis quidlibet audendi magna eſt poteſtas; inde ergo Chronologiam velle conſtituere non decet Conringium, Virum ceteroquin Egregium.

CAP. IX.

ſuadet validiſſime Schiſakum eſſe Aegyptiorum Seſoſtrim, nec præter eum alium unquam habendum. *Ibid.* §. *VII.*

CAP. IX.

Sesostrin antiquiorem tempore Rehabeami, seu Bello Trojano, faciunt uno consensu omnes Græci. In eo male erroris accusat Græcos Marshamus. Si Sesostris vixisset post Bellum Trojanum, non ita prorsus silentio eum involvisset Homerus. Nec ignoravissent eum reliqui Græci Asiatici, inter quos se devictos reliquerat victoriæ suæ monumenta. Asiam tempore Rehabeami jam inhabitabant Aeoles & Jones. Inde orti sunt Primi omnium fere artium Græci Scriptores. Reportasset quoque Sesostridis memoriam Lycurgus ad Europæos Græcos, qui non diu post Rehabeami tempora vixit. Manetho quoque Aegyptius Sesostrin Bello Trojano longe antiquiorem facit. Hausit ille non a Græcis, sed ab se, comparationem Sesostris & Armais

cum

cum Aegypto & Danao. Herodotus quoque & Diodorus Siculus, qui sua de Sesostri ab Aegyptiis Sacerdotibus acceperunt, itidem eum ante Bell. Trojanum collocant. Sisaci Historia in Scriptura S. neutiquam congruit cum Sesostri. Nulla post Rehabeamum mentio Aegyptii imperii, quod satis diuturnum facit Marshamus, in Regnorum Judæ aut Israëlis Historia. Memnonem nominat Homerus, quod male negabat Marshamus. Neutiquam autem vixit ille longe post B. Trojanum. Assyriorum imperii successio non patitur ad tam sera tempora demitti Expeditionem & Imperium Sesostris.

Ita excussimus & depulimus argumenta, quibus & Marshamus & Alii Sesostrin ad tempora Rehabeami rejiciunt, & pro Sisaco nobis obtrudunt. At nunc videamus, quam minime opus sit, ut, quod ait Clericus, *levibus conjecturis nitantur*, qui Sesostrin longe diversum & longe antiquiorem Sisaco statuunt. Nec enim *leve* est, quod in eam rem

rem consentiunt omnes omnino antiqui Scriptores [a]. Ipse Herodotus, ut diximus, Sesostrim ante B. Trojanum ponit. Idem facit Diodorus Siculus, nisi quod longe majus, & pene immodicum, inter Illum & hocce Bellum interponat spatium. Diserte itidem Strabo *lib.* I. *pag.* 38. & *lib.* XVII. *p.* 804. idem affirmat [b]. Aristoteles

a Accedamus jam tandem ad Perizonii palmarium argumentum, quo probat Sesostrin fuisse omnino diversum a Schisako, & antiquiorem. *At nunc videamus*, inquit - *omnes omnino antiqui Scriptores.* Verum, ni fallor, ipsi Authores, quos ut faventes sententiæ suæ adducit, eam plane profligant. Horum primus est Herodotus. Atque verum est quidem Sesostrim ab Herodoto locatum haud multos annos ante bellum Trojanum, uno Rege Pherone interposito inter eum & Protea, qui cladi Iliacæ erat synchronos: vide Herodotum *Lib. II.* & *sequentibus.* Sed an idem dicit Diodorus? minime vero, teste ipso Perizonio. Num cum dixisset Herodotum ponere Sesostrim ante bellum Trojanum, hæc addit: *Idem facit Diodorus - interponat Spatium.* Ingenue hæc agnoscuntur a Perizonio. Videsis Diodorum *Lib. I. pag.* 34. & *Sequentibus.* Hæc insuper habet Siculus ad rem nostram haud parum facientia: *Quandoquidem vero de Rege isto non Græci solum Scriptores inter se discrepant, verum etiam Sacerdotes Ægyptii, & qui carmine laudes ejus celebrant, non consentanea inter se narrant, nos verissimilia & cum restantibus in Ægypto signis maxime congruentia referre conabimur. Ibid.* §. *VIII.*

b Verum est Strabonem dicere Sesostrim vixisse ante excidium Trojæ, sed quandiu non dicit. *Ibid.*

les vero *Politic.* VII. 10. longe antiquiorem *ipso* Minoë, qui Cretensibus primus leges *tulit*, fuisse ait [a]. Porro Argonauticorum Scriptores, Apollonius Rhodius, & *V*alerius Flaccus, immane spatium inter Sesostrin & Jasonis atque aliorum Argonautarum expeditionem in Colchos, statuunt. Videndus est insuper Scholiastes Apollonii ad *lib.* IV. *v.* 272. [b]. Jam vero Arrianus apud Photium *cod.* 58. Seso-

a Sed Minos fuit Filius Europæ, sororis Cadmi, qui vixit tempore Joshuæ, vel paulo post; nam Doctissimus Vossius *Lib I. de Idololatr. cap.* 14. evincit raptum Europæ præcessisse raptum Helenæ, ducentis quasi annis. Jam si Sesostris vixerit *longe ante Minoëm*, certe ad Patriarcharum tempora, vel saltem prope illa collocabitur. Græca Stagiritæ ita habent: *πολὺ γὰρ ὑπερτείνει τοῖς χρόνοις τὴν Μίνω βασιλείαν ἡ Σεσώστριος*, quæ sic reddit Interpres: *multis enim saeculis Sesostris regnum Minois regno antiquius est.* Juxta igitur Aristotelis mentem Sesostris poterit collocari prope, si non supra Diluvium universale. *Ibid.*

b Hoc immane spatium apparebit consulenti Scholiasten pene tria millia annorum, ita ut Sesostris statuatur supra Diluvium universale. Nec his dissimilia habet Flaccus *Lib. V. v.* 419. *&c.* Sed quod Perizonii causam funditus destruit, Flaccus dicit, si ego illum capio, Sesostrim fuisse victum & fugatum a Colchide, saltem clade territum,

- - - Ut prima Sesostris
Intulerit Rex bella Getis, ut clade suorum
Territus. Ibid.

Sostrin æqualem facit Jandysi Scythæ. Idem tradit Jornandes in *Geticis cap.* 6. nisi quod Taunasin vocet Scytham, eumque & Sesostrin simul ante Amazonas floruisse narrat. Denique Justinus ante Ninum exstitisse Sesostrin memorat, quod & facit Agathias *lib.* II. *p.* 51. Eum longe ante navigationem Jasonis, etiam ante imperium Assyriorum, ac tempora Nini & Semiramidis, victoriis suis Asiam peragrasse tradens. Quidni & Aelianum V. H. XII. 4. superioribus addam, qui ab ipso *Mercurio* παρ' Ἑρμȣ̃ Sesostrim jura didicisse ait, atque ita Mercurio Aegyptio æqualem facere videtur, qui certe Rehabeami tempore antiquior statui debet. Idem vero & Alii tradiderunt, ut inde appareat pervulgatam hanc esse sententiam. Certe Chronicon Paschale *pag.* 47. diserte ait *in temporibus Regni Sesostrios exstitisse Hermen Trismegistum.* Verum iste Auctor simul tam vetustum facit Sesostrin, ut *post eum* demum addat *regnasse Pharaonem, a quo reliqui Reges Aegyptii fuerint orti*, dicti quippe ab eo *Pharaones.* At hoc ipso declaratur, quod tamen falsum est, Sesostrin fuisse antiquiorem Abrahamo, quippe cujus tempore jam exstitit Rex Aegypti, qui *Pharao* vocatur. Breviter tantum Auctores ipsos memoro, quia Marshamus rem ip-

sam

sam ultro confitetur, quando *pag.* 127 [a]. *extr. vulgarem hunc esse Græcorum errorem ait, qui Sesostrin Bellum Trojanum præcessisse crediderunt.* Gravius Græcos accusat *pag.* 357 [b]. *Sesostrin Græci, quasi B. Trojano & Minoë vetustiorem ad Danai tempora perperam retulerunt, & prochronismis immensis illius res gestas depravarunt.* Durum enimvero & protervum, ita uno veluti halitu difflare in re Antiqui temporis omnem Antiquitatis consensum tanquam levissimi ponderis. Ferri tamen utcunque id posset, si quæ idonea aut valida in contrarium adferri potuissent argumenta, quæ nulla, nisi levissima & vanissima, potuerunt [c].

a *Pag.* 132. *Ed. Lips.*
b *Pag.* 375. *Ejusd. Ed.*
c *Jam vero*, pergit Perizonius, *Arrianus apud Photium - - - nisi levissima & vanissima potuerunt.* His authoritatibus, modo veræ sunt, suam sententiam plane subvertit Eruditus Perizonius. Promisit se defensurum quod Sesostris regnaverit Theocratia in Israële durante; sed omnes hi authores, demto uno Herodoto, de quo inferius, uno pene ore Sesostrin non modo collocant supra tempus Joshuæ, sed supra Mosen; imo eorum plures supra Abrahamum: alii vero supra Diluvium ipsum universale. Sed qui potuit Vir doctissimus vocare hoc antiquitatis consensum, cum ne duo ex Authoribus ab eo citatis unum tradant? Si igitur Sesostrin istum militem gloriosum & erraticum un-

Sed quid? si jam liquido insuper declaravero, Græcos in ætate Sesostridis vix potuisse errare, si quidem ille tam sero tempore vixisset? Brevi enim tempore, certe non valde longo, post Rehabeamum floruit Homerus, cujus natales Herodotus ad tempora refert, quæ Salomonis regno respondent, alii ad seriora, seu ad Josaphati aut Jorami regnum, demittunt. Vide Marsham. *p.* 412 [a]. &c. et me ad Aelian. *Var. Hist.* XIII. 14. Quis credat, Eum qui in Asia minore natus, istic aut in proximis insulis pleramque vitæ partem egit, & quidem proxime, postquam Sesostris ex Marshami sententia Asiam illam minorem cum adjacentibus insulis, æque ac reliquam, subegisset, suæque

unquam extitisse inficiemur, non consensum omnis antiquitatis, sed Ægyptiacas & Colchicas fabulas difflamus. Noritne Vir magnus, consentientibus omnibus antiquis, nihil pene certum inter Paganos ante primam Olympiadem; longe minus ante cladem Ilii? Regem, cui nomen Sesostris erat, olim præfuisse Agypto haudquaquam negamus: eum autem ita ut perhibetur dominatum fuisse, per orbem terrarum incertissimum, imo falsissimum esse, asserimus; quod Authores a Perizonio collecti abunde evincunt. Historia vel fabula verius de Sesostre, omnino similis est ei de Ctesiana Monarchia Assyriaca, quarum neutra in re habet ullum fundamentum. *Ibid.*

a Pag. 436. *Ed. Lips.*

que istic victoriæ monumenta reliquisset, nullam tamen ejus rei in suo Poëmate facturum fuisse mentionem vel minimam? quum ceteroqui soleant Poëtæ res illustres, quæ suo tempore jam acciderant, in Poëmata sua antiquioris licet Historiæ, lubenter conferre per modum allusionis aut præsagii, vel etiam Deos in scenam inducere futura isthæc quasi prædicentes, ut de Aenea & ejus posteris fecit Homerus, de Romanis identidem Virgilius: ac præterea Homerus, ex proximis, utique secundum Marshamum, Sesostris Successoribus Memnonem, minus celebrem utique quam Sesostrin, tamen memoraverit, ut infra hoc in *Capite* ostendemus: hunc autem Memnonem ipse Marshamus magis celebratum dicit a Græcis, quia Poëtæ tunc jam *efflorescebant*, quasi non & paulo post Rehabeami tempora vixisset jam Homerus. Deinde Asia Minor illo jam tempore facta erat Græca per Colonias Aeolicam & Jonicam, aliquanto ante Rehabeami ætatem istuc ductas. Græci ergo erant, Aeoles & Jones, quos istic vicit Sesostris, & in quibus monumenta suæ victoriæ usque ad tempora Herodoti (Vide Eum II. 106.) residua reliquit, Statuas scil. inter Ephesum & Phocæam, & inter Sardes & Smyrnam. Quin ex his ipsis Statuis colligit Herodotus *cap.* 103. pervenisse Sesostrin

in Europam quoque, sed non ultra *Thraciam & Scythiam*, siquidem eo usque, & non ulterius, illæ ejus *statuæ supersunt*, φαίνονται ϛαθεῖσαι αἱ ϛῆλαι [e].

Hic

[e] Multis contendit Perizonius, *si Sesostris idem fuit cum Schisako id non potuisse latere Homerum; & si scivisset, ejus in suo poëmate meminisset.* Sed revera duo falsa pro veris supponit. Primo Homerum mentionem fecisse rerum ante se recenter gestarum, quod certe nunquam facit. Meminit quidem ille aliquoties rerum, quæ contigerunt ante B. Trojanum, sed quæ contigerunt post illud longo aliquo spatio temporis; nequaquam. Meminit quidem inter alias res Trojanas, per modum vaticinii a Neptuno editi posterorum Æneæ, quod Poëtæ propositum spectabat; sed quid hoc ad res Schisaci? quæ non ad Poëtæ thema spectabant, quæ nec Græciæ nec Asiæ minoris rebus affines erant. Denique non valde illustres fuisse videntur, quamvis fabulatores res magnificentissimas ex eis procuderint. Secundo Homerum & Ethnicos reliquos libere & cordate Judaicarum rerum meminisse, quod eos, præsertim antiquiores, nunquam fecisse notum est. Jam non potuisse Homerum meminisse Schisaki, quin simul meminisset Judæorum, æque certum est. Addo tertium. Scilicet Schisakum, parum si quid omnino, victorias suas extendisse ultra Judæam videri: quare quamvis Homerus meminisset rerum tempore Rehoboami gestarum, quas nunquam tamen tangit, haud mirum est si res Schisaki silentio transit. Ex adverso Homerus varias res gestas ante B. Trojanum, nec non personas insignes, qui ante illud vixerant, tangit. Nam memoria Cadmi, Argonautarum, aliorumque, qui ante B. Trojanum floruerunt, ab eo

Hic jam utar ipsius Marshami argumentis & verbis. *Si in Græciam*, inquit pag. 361 [a]. *perrexisset Sesostris, clariorem rerum suarum famam apud posteros reliquisset; neque illius tempora Græcis inter* Μυθικὰ *habenda essent. Athenienses, Lacedæmonii, Corinthii aut virtutis aut infortunii memoriam conservassent.* At nunc Græci, *exterarum rerum studio nequaquam tenebantur, quod essent adhuc literarum rudes; Homerus, nondum natus, omnem Græcorum* ἱστοριογραφίαν *longe præcessit. Ne miremur igitur, maximas has, quas narramus Aegyptiorum res gestas, tanta ignorantia fuisse pene obrutas.* Eadem ergo ratione, qua ille putat, si Sesostris in Græciam Europæam penetrasset, clariorem Eum rerum suarum famam apud posteros Græciæ istius relicturum fuisse, quoniam illa conservasset memoriam rerum apud se gestarum: Ego idem prorsus de Græcia Asiatica affirmo, quæ si maxime non statim literis res tantas mandasset, memoriam tamen earum fideli traditione

ab eo conservatur. Ergo si Sesostris non solum per Asiam minorem, sed & Thraciam, nam utraque Græciæ vicina est, victoriis suis ante B. Trojanum illustris fuisset, Homero quoque innotuisset; inque poëmate suo, adsentiente quoque Perizonio, earum meminisset. *Ibid.* §. *X.*

a Pag. 380. *E. L.*

ad posteros propagasset, maxime quum penes se complura haberet istius victoriæ monumenta, & imperium illud Sesostridis in Asiam per successores ejus usque ad Olympiadum initium, ex Marshami sententia, duraverit. Fuerit nondum natus tum Homerus. At certe natus fuit paulo post, neque diu postea, manente adhuc illius imperii fama & potentia, vixit jam Lycurgus, ac dein Thales Milesius. Sed loquitur ita Vir Doctissimus, indecoro prorsus errore, quasi Græci hoc jam tempore tantum in Europa exstitissent, non item in Asia minore, aut quasi Græci Europæi res antiquissimas prius & potius memoriæ prodidissent, quam Græci Asiatici, quod plane in contrarium se habet. Nam omnes bonæ malæque artes & scientiæ, etiam ipsæ Literæ, quæ ultra XVI. Cadmeas Alphabetho Græco dein accesserunt, ex Asia seu Jonia ad Athenienses & reliquos Græcos devenerunt. Sed & antiquissimi, si non plane omnes, at plerique omnes, Lingua Græca Scriptores cujuscunque artis & disciplinæ, ex Asia minore aut vicinis seu Asiaticis insulis fuerunt orti. Hi in Poëtis sunt Homerus, etiam Hesiodus, tum Archilochus, Sappho, Alcæus, Aliique. Primus Sapientum Septem fuit Thales Milesius, unde

&

& antiquissima Philosophorum Graecorum secta *Jonica* fuit dicta, cui proxima fuit temporis ratione Pythagorica a Pythagora Samio orta. Adde his Aesopum Phrygem, fabularum moralium conditorem. Primus dein Medicorum, Hippocrates Cous, in Asia maxime vixit & scripsit, ut vel ex dialecto ejus liquet. Historici quoque primi fuerunt fere Asiatici; dico *fere*, quia Acusilaus & Theagenes, qui etiam inter primos numerari possunt, fuerunt, ille Argivus, hic Rheginus. Milesii fuerunt Cadmus & Hecataeus; dein Hellanicus Mitylenaeus, & Herodotus Halicarnasseus, vetustissimus eorum, qui ad nostram usque aetatem supersunt. Si ergo Sesostris illo demum tempore minorem illam & littoralem Asiam victoriis suis peragrasset, atque in ipsas insulas Cycladas, ut ait Diodorus, maris Aegei, aeque ac in Europam, vel certe in Thraciam, penetrasset, Asiatici illi Graeci, qui primi coeperunt res gestas metro prosaque conscribere, aliquid haud dubie tam celebris expeditionis ex majorum suorum sive traditione sive scriptis scivissent, certe haud minus, quam Europaei, si ad eos Sesostris pervenisset. At vero nihil vel fando de ea cognoverant, & Herodotus inter illa, quae ab solis Aegyptiis

didicerat, totam hanc Historiam refert, & ideo Omnes Græci in ea rejicienda ad remotissima vetustatis tempora, si credimus Marshamo, peccarunt. Quin & ad Græcos Europæos tam illustrium rerum in Asia, immo & in Thracia, tunc gestarum pervenire debuisset notitia, siquidem Lycurgus dudum intra centum ab illo tempore annos vixit, & Asiam peragravit, & ex ea Homeri Carmina in Europam intulit. Retulisset haud dubie etiam tantæ victoriæ de Græcis Asiaticis memoriam, si illa tantum septuaginta vel circiter annis antea fuisset parta, & duratura sui monumenta passim reliquisset.

Neque vero soli Græci in vetusta adeo tempora, longe supra Sisakum, produxerunt Sesostrin, sed ipsi etiam Aegyptii. Certe enim Manetho, si Africanum sequimur & Eusebium apud Syncellum *p.* 59. 60. in Dynastiam XII. eum retulit, atque adeo antiquiorem fecit ipso initio Canonis Eusebiani, in quo proinde Sesostris non occurrit [a]; at si Josephum in *lib.*

[a] Recte ergo inter fictorum inventa relegandus: siquidem Eusebii Canon ab Abrahamo incipit. Manetho quoque apud Josephum *Lib. I. contra Apionem pag.* 1042. ait *Sethosin*, qui ei idem est cum Sesostre, *floruisse septingentos annos ante Ilii excidium.* Et dum probat Perizonius *pag.* 155. nihil

1. *contra Apion. p.* 1041. sequimur, collocat eum Manetho in Dynastia xix. quippe cujus primum Regem *Sethosin*, ut eum appellat, sed qui ab aliis dicitur Sesostris, ejusque Fratrem Armain, eosdem fuisse tradit, quos Græci *Aegyptum* & *Danaum* vocarunt: Danaus autem in Græciam venisse fertur tribus sæculis ante B. Trojanum. Sed ait Marsh. *p.* 367 [a]. *Manetho ex Græcorum Mythologia, non ex Aegyptiorum Scriniis Armain hunc* (Sesostridis Fratrem) *Danaum fuisse tradit, unde tanta est*

nihil hausisse ex Græcis Manethonem, hæc habet: *Quin & ipse apud Syncellum - in Seriadica terra positis.* Jam procul dubio Virum doctum haud latuit, ea unde profitetur Manetho hausisse sua, esse putidas fabulas confictas, ad Ægyptiorum antiquitatem supra modum extollendam, & congrue ad suum hoc institutum Manetho collocat Sesostrin in 12. Dynastia apud Syncellum *pag.* 59. Σέσωστρις ἔτη μή. ὃς ἅπασαν ἐχειρώσατο τὴν Ἀσίαν ἐν ἐνιαυτοῖς ἐννέα &c. *Sesostris annis* 48. *Hic novem annorum spatio totam Asiam subjugavit cunctasque Thraciam usque regiones: & devictæ nationis memoriam erecturus, quos generosos comperisset virorum genitalibus: imbelles muliebribus effictis arguebat. Idem post Osirim ab Ægyptiis primo repositus est loco.* Jam audi Syncellum *pag.* 62. Σημειωτέον πῶς ὁ Εὐσέβιος &c. *Observa Eusebium privato sibi fine præstituto, Reges ab Africano in decimam quintam Dynastiam relatos, decima Septima vixisse asserere. Una enim omnium voce fertur, sub*

At

a *Pag.* 386. *E. L.*

apud Græcos Aegyptiorum temporum confusio. At quis Græcorum ante Manethonem scripsit, Sesostrin & Armain Fratres fuisse Aegyptum & Danaum, quos Græci memorant? Certe non Herodotus, licet Danaum cum Lynceo *Chemmitas* ex Aegypto dicat II. 91. Diodorus vero Siculus, Manethone quidem longe recentior, sed tamen diserte Regem Aegyptum Nili F. a quo Regio *Aegyptus* fuerit dicta, non modo diversum, sed & XIX. γενεαῖς antiquiorem Sesostri fuisse tradit. Neutiquam ergo

Aphophi Joseph potestatem in Ægyptum exercuisse. At cum nesciret, quo eum loco reponeret Eusebius; Aphophim a 15. in 17. transtulit, & ex annis 61. ipsi debitis solos 14. assignavit. Juxta igitur omnium collectiones ex Manethone plura sæcula regnavit Sesostris ante Josephi descensum in Ægyptum: Et ista videtur agnoscere Vir eruditus. Nam *Cap. XVI.* hæc habet: *Multo autem magis nos turbat in hac Sesostridis ætate constituenda - - longo prorsus præmittitur intervallo.* Paratum tamen habet *ibidem* huic vulneri emplastrum: *Crediderim*, inquit, *Africanum ad nomen Sesostridis - - in Dynastiis Manethonis occurrunt.* Sed an habet fundamentum fidei suæ Perizonius? nullum plane. Unde didicit Africanum addidisse ad nomen Sesostris, qui longe superius vixit, descriptionem Sesostris Herodotei? Nusquam quidem, sed hypothesei δυλεύειν oportebat. Rursum objicit Manethonem apud Josephum *pag.* 1047. Sed hunc discussimus antea, & monstravimus nihil prodesse Viro docto. *Ibid.* §. *XI.*

ergo ex *Græcorum* fabulis hausit, sed sui ex animi sententia illam Sesostris & Armais cum Aegypto & Danao comparationem, sive veram, sive falsam. Nam illud me non sollicitat, dummodo constet, Sesostrin etiam ex Manethonis sententia fuisse Trojano Bello longe antiquiorem: quod constat, quando videmus illum ab eo ad Danai tempora referri. Dein Manetho non Græcus fuit, sed Aegyptius, immo *Sacerdos & Scriba sacrorum adytorum* (ἀδύτων) *quæ in Aegypto sunt*, ut ipse se describit in Epistola ad Ptol. Philadelphum apud Syncellum *p.* 40. Ille vero utpote Aegyptius Sacerdos neutiquam secutus est in rebus suæ Gentis Herodotum aut Græcos Scriptores, sed e contrario *sæpe Herodotum in Aegyptiacis arguit, ut ex inscitia errantem.* Quin & ipse apud Syncellum *d. l.* sua se hausisse jactat *ex Sacris Libris a Trismegisto Mercurio conscriptis*, vel *ex columnis in Seriadica terra positis.* Tantum abest, ut quidquam debeat *Græcorum Mythologiæ*, aut eam sequi sustinuerit. Manifestum ex hisce, præcipuum rerum Aegyptiacarum Scriptorem, non erroribus Græcorum abreptum, sed ex suæ Gentis annalibus & adytis antiquitatem Sesostridis affirmare, æque ac Græcos. Taceo jam Herodotum & Diodorum Siculum, quæcunque de rebus & ætate Seso-

Sesostridis nobis reliquerunt, non accepisse a suis majoribus, sed, ut diserte testantur, ab Sacerdotibus Aegyptiis, ut adeo illorum quoque in his rebus auctoritas, non suæ Gentis, sed Aegyptiæ, fide & scientia nitatur. Ita ergo utriusque Gentis consensu confutatam habemus clarissime Marshami & Clerici de recente adeo Sesostridis ætate sententiam.

Videamus nunc etiam, utrum & quæ Judæi, seu Sacri Scriptores tradunt de Sisaco, conveniant in Sesostrim, an vero ejus Historiæ adversentur. Posterius Ego certum & liquidum puto. Nam Sesostris omnium consensu *unam & continuam expeditionem per novem annos* in Asiam suscepit, ac tum demum in patriam, cujus procurationem Fratri interim mandaverat, rediit. At Sisakus tantum contra Judæam & Hierosolymam profectus dicitur, eaque subacta & spoliata rediisse. Diserte Josephus VIII. 4. Καὶ τῦτο ποιήσας ἀνέστρεψεν εἰς τὰ οἰκεῖα, *& quum hoc fecisset, revertit domum*, seu *in patriam*. Confirmatur hoc etiam ex re ipsa: nam nihil aliud deinde in S. Historia de hoc Sisako occurrit, nihilque mali tunc ab eo aut ab Aegyptiis passi leguntur Israëlitæ ab Judæis jam separati. Inane est, quod Marshamus *pag*. 358 [a]. Israë-

[a] *Pag*. 376. *E. L.*

Iſraëlitarum Regem *priſtina clientela tutum, nihil mali pertuliſſe* ait, *novumque ſuum Regnum Aegyptiaca potentia ſtabiliviſſe.* Et Clericus eadem confidentia ad 1. Regum XIV. 25. *Mali nihil a Siſako, cujus cliens erat, paſſus eſt.* Cliens fuit Siſaki in exilio ſuo, quum fugeret Salomonem; at de Regis & Regni Iſraëlitici clientela ſub Siſako, aut Hujus auxilio contra Rehabeamum, aut denique ullo tunc inter Aegyptios & Iſraëlitas fœderis, æqui, an iniqui, nexu, ne γρῦ quidem legimus. Sed & ut Vara Vibiam ſequitur, quum Seſoſtridis ætatem & imperium ad tempora Rehabeami demiſiſſet Marshamus, debebat etiam ejus Succeſſores, non minus potentes, ſi Marshamo credimus, Amenophin, ex quo facit *Memnonem*, & Rameſſen, cui tribuit celebrem illam obeliſci inſcriptionem, quam Ammianus Marcellinus *lib.* XVII. *cap.* 4. exhibet, ad ſeriora quoque referre tempora. Tribuit illis *totius Orientis imperium, quod Seſoſtris ſucceſſoribus ſuis tradiderit*, *pag.* 438 [a]. Extendit ergo hanc potentiam Aegyptiorum, & *univerſale imperium* ut loquitur *p.* 431 [b]. usque ad tempora Amaziæ aut Uziæ, Judæ Regum, ſeu ultra Lycurgum usque ad Olympiadum Epocham. Jam vero ullumne usquam vel

a Pag. 462. *b Pag.* 455. *E. L.*

vel minimum tantæ potentiæ vestigium in Historiis Regum Judæ & Israëlis invenitur? Reperiuntur alios habuisse sibi subjectos, Idumæos Judæi, Philistæos Josaphatus, Moabitas Israëlitæ: at ipsi post Rehabeamum nullis ante Assyrios servisse, aut tributum pependisse, certe non Aegyptiis, cum quibus toto hoc intervallo nihil illis fuit commercii. Satis, ut arbitror, apparet, isti ætati & imperio Sesostridis ac Successorum, etiam Sacram & Judaicæ Gentis Historiam refragari æque ac Græcam & Aegyptiam, ut adeo ad Marshami & Clerici sententiam penitus convellendam quid amplius requiri possit, nesciam.

Sed & quam absonum est, quod de Amenophi seu Memnone, inter proximos Sesostridis successores Marshamus ait *p*. 405[a]. *Hæc Memnonis in Asiam* (ubi dicitur *p*. 400[b]. *Gentes a Sesostri subjugatas invisisse & ordinavisse, Phrygiam obambulavisse, & de Asia pacata, stabilitoque Sesostris imperio, superbum deportasse triumphum*) *expeditio apud Græcos multo celebrior fuit, quam altera Sesostris, vel quod recentior erat, vel quod Poëtæ jam tandem in Græcia efflorescebant. Hesiodus & Homerus Memnoni fuerunt coætanei. Homerus quidem Memnonem omnino non nominat. Hesio-*

a *Pag.* 430. b *Pag.* 424. *Ed. L.*

Hesiodus autem Tithoni & Aurorae F. ac Regem Aethiopum appellat. Et tamen *p.* 406 [a]. *Graecos* posteriores Memnonem *non sine magna temporum imperitia ad Bellum Trajanum retulisse* addit. Si Memnon, *celebrior apud Graecos* fuit, quia *recentior*, non ergo aetatem ejus penitus ignorarunt. Et quomodo potuissent ignorare, si Memnon *per Joniam Phrygiamque exemplo Sesostris duxisset exercitum*, ut ait *p.* 408 [b]. eo tempore, quo vixissent Homerus & Hesiodus, & Lycurgus: nec multis sane annis ante Archilochum, dein Thaletem Milesium ac ceteros Septem Sapientum, denique Pythagoram & Aesopum? An credibile est, tam turpiter a tempore tam illustris imperii Graecos aberrasse, si tam prope illius aetatem attigerint? Sed & falsum, Homerum *omnino non nominasse Memnonem*. Nominavit enim *Odyss.* Λ. 521. ubi Ulysses in inferis locis Achilli res gestas Filii ejus, Neoptolemi, seu Pyrrhi, exponens inter alia dicit, Κεῖνον δὴ κάλλιϛον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον *Illum sane* omnium *pulcherrimum post divinum Memnona vidi*. Similiter *Odyss.* Δ. 188. Τόν ῥ' Ἠοῦς ἔκτεινε φαεινῆς ἀγλαὸς υἱὸς, *quem* (Antilochum) *occidit illustris splendidae Aurorae Filius*. Hic autem est *Memnon*, ὁ Αἰθίοψ δηλαδὴ Μέμνων, ut notat

a Pag. 431. *b Pag.* 432. *E. L.*

notat istic Eustathius. Vide, Lector, quam putidum sit, illius Hominis, quem ipse Homerus ad Trojanum Bellum retulit, ætatem demittere ad trecentos post illud Bellum annos, quod tempus Homero fuit vel æquale vel posterius.

Supervacuum pene est, ut addam, in re jam satis demonstrata, etiam novum argumentum. Etenim si Rehabeami tempore demum vixit Sesostris, & tantum imperium suis Successoribus, ultra sæculi integri spatium reliquit possidendum, quid dicemus tunc Assyriorum imperio accidisse? Certe enim vetustior illo tempore fuit Ninus & Semiramis, atque adeo viguit tunc saltem Assyriorum nomen & potentia. Porro autem tradunt Diodorus Siculus *lib.* II. *p.* 77. & Vell. Paterc. 1. 6. sed disertissime omnium Cephalio apud Syncellum *p.* 167. ita successisse Assyrios Reges semper prioribus, ut esset παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος τὴν ἀρχὴν, καί ἔχων ἧτταν (sic edidit Scaliger in Eusebianis *p.* 32. Syncellus habet ἧττον) ὐδεὶς αὐτῶν ἐτελεύτησεν, *Filius a Patre excipiens regnum, & nemo illorum cladem passus*, vel *minus possidens, fuerit mortuus* [a]. Immodica quidem hæc sunt

a Hic Perizonius vibrat quasi Achilleum argumentum. *Supervacaneum pene est*, inquit, *ut addam - - fuerit mortuus.* Sed hæc plane antea refu-

sunt haud dubie, inprimis quod de *clade* dicitur, sed tamen demonstrant nobis, Veteres uno consensu tradidisse, Assyriorum

L

refutavimus. Miror porro tantum Virum adeo misere sese in istoc luto inquinasse, & tam densum Authorum agmen quasi pro se allegasse, quorum pene singuli ipsius causam plane jugulant, ut subeat animum illud Comici,

Faciunt na intelligendo, ut nihil intelligant.

Haec sunt, quibus Perizonium impugnat Jamesonus. Non lubet mihi singula argumenta excutere. Sed quemadmodum forsitan non omnes illius sententiam de tempore expeditionis Sesostris probabunt, ita neque huic omnes de omnibus, quae se liquido demonstrare putat, adsensuros mihi persuadeo. Scribit *hoc Cap.* omnia, quae de Sesostri prodita sunt, *ficta esse*, & *Cap. seq.* Sesostris, Tearconis, Nauocodrosori, id est, Nabuchodonosori, ut putant Docti (quamquam non plane adfirmat falsa esse, quae de hujus rebus gestis tradita sunt) & Indathyrsi longinquas expeditiones a Strabone, qui eas *Lib. XV. p.* 687. ex Megasthene refert, *inter fabulosas saltem incertas & parum notas numerari.* Equidem nihil in Strabone invenio, unde id intelligi possit: Sed cur, quae de Sesostri tradiderunt Veteres, ei incredibiliora visa fuerunt, quam quae de Attila & Tamerlane, quos ei suggerere potuerat Perizonius, recentiore memoria relata sunt? An hos quoque numquam exstitisse, vel non fuisse *praevalentes Principes* dicet, quia *vel gentes, quas subegerant, sub imperio suo retinere*, *vel imperium in eas ad posteros propagare non potuerunt*, quemadmodum §. 5. de Sesostri argutatur? Nonnulla

rum imperium, ex quo semel florere coe-
pit, nunquam fuisse interruptum, ante-
quam funditus deleretur. At vero si hoc
Reha-

ad Perizonium con-
nulla quoque ex his, quae mihi admodum levia ac fri-
futandum adfert, Ut quum eodem §. 5. &
vola esse videntur. Scriptorum testimo-
9. quia hic quorumdam ostendendam uti-
niis ad Sesostris antiquitatem Sesostris ante, vel
tur, quos si quis sequatur, debuit, inde conficit
prope Diluvium vixisse *Sesostrin supra, vel certe pau-*
ex illius rationibus Neque enim ne-
lo post Diluvium collocari posse. Ctesiae de antiqui-
sciebat Perizonium fabulas Assyriorum, & alio-
tate ac diuturnitate regni annorum inter Se-
rum de immani illo numero rejicere. Ejus-
sostrin & Bellum Trojanum, de Minoe habet.
dem generis est, quod §. 8. *ducentis quasi*
Vixerit, ut vult, hujus mater Quid tum? ait ex
annis ante raptum Helenae. qui Sesostrin
eo consequitur *juxta Aristotelis,* facit, &,
πολλοῖς χρόνοις Minoe antiquiorem *mentem Se-*
quod inde intelligi vult, Perizonii *Diluvium*
sostrin posse collocari prope, si non supra Minois,
universale? Atqui inter hoc & aetatem Chro-
quam hic ponit Jamesonus, ex communi Nec in-
nologia X. circiter saecula intersunt. Perizonio multum
telligo quid sit, quod §. 6. a Scythis,
obesse dicit, quod Justinus Vexorem quod
& §. 9. *illius causam funditus destruere,* ac
Valerius Flaccus Sesostrim a Getis victum quae
fugatum scribant. Aeque inania sunt; voluit
porro *eod.* §. 9. disputat. Perizonius Hoc
ostendere, Sisacum non esse Sesostrim. au-
cum aliis argumentis, tum hoc *Cap. IX.* con-
ctoritate veterum Scriptorum probat, qui fu-
sensu Sesostrim Bello Trojano antiquiorem
isse

Rehabeami tempore demum vixisset Sesostris, interruptum palam utique fuisset per Sesostridis & Successorum imperium adeo late patens. Quocirca etiam Nino antiquiorem, ut jam supra ostendimus, statuunt Sesostrin Justinus & Agathias. Verum satis superque jam declaravimus, quod unum adhuc dum agimus, falsissimam esse Marshami, & qui eum sequuntur, sententiam, Sesostrim ad Rehabeami tempora demittentium, & pro Sisaco nobis obtrudentium. Consequens his est, falsam ergo esse etiam Chronologiam Marshami, hac Sesostridis aeque ac Menis aetate, tanquam praecipuo aut unico fundamento, subnixam, qua potissimum gratia totam hanc disputationem suscepimus, id unum adhuc spectantes, ut ostendamus, Chronologiam Aegyptiacam, nec Marshamum recte constituisse

L 2

isse tradunt, quo utique posterior fuit Sisacus. An *Theocratia in Israële durante* vixerit, hic nec quaerit, nec se defensurum promittit. Attigerat hoc *Cap. priore*, sed ex professo tractat *Cap. XVI.* Et quid tandem Jamesonus consensui huic antiquitatis, & testimoniis veterum Scriptorum, qui monumenta expeditionum Sesostris diu post illius aetatem superfuisse scribunt, opponit? *Aegyptiacas*, inquit, *& Colchicas fabulas difflamus.* Haec est prona & facilis ratio omnia, quae in priscorum temporum Historia impedita sunt, nullo negotio expediendi; sed quae secet nodos, non solvat.

stituisse, nec posse ex iis, quæ supersunt, Aegyptiæ antiquitatis reliquiis accurate constitui.

CAP. X.

Abbas Pezronius ex Dynastiis Manethonis certam quoque Chronologiam constituere conatur, sed mirifice earum ordinem turbat, dum plures simul exstitisse censet. Statuit sub ipsis Pastoribus, qui Memphin dicuntur occupasse, aliam & propriam Memphitarum tamen Dynastiam. Multum tribuit Seriei Regum, *quam Syncellus nobis reliquit, & tamen sæpe ab ea discedit sola sui arbitrii ratione. Series illa multum discrepat a Veteri Chronico. Pezronius mutat annos Regum pro lubitu. In Regibus Dynastiæ* XIX. *recedit ab aliorum omnium Chronologia. Reges* XII. *Syncelli ad unam refert Dynastiam, qui ad diversas Dynastias sunt referendi.* Taracus *Rex Aethiopiæ* po-

potentissimus. Videtur idem fuisse, qui Sabaco *Manethonis, licet Hic ab eo distinguat* Taracum. Seuechus *videtur esse idem qui* Sua, *vel* Soa, *Scripturæ S. ac* Sethon *Herodoti. Herodotus male videtur Sethonem rejicere ad tempora post Sabaconem, inque eo refutatur. Taracus videtur oppressisse Seuechum, ad cujus auxilium contra Senacheribum venerat. Manetho omittit plane Anarchiam &* XII. *Regulos ante Psammetichum. Pezronius, contrà suam ipsius sententiam, etiam Dynastias ultimi temporis plures simul ad idem tempus refert.*

Idem tamen tentavit Doctissimus Pezronius in Libro, quo *Antiquitatem Temporis* illustrare conatur, *Cap.* 13. atque ea in re adeo sibi ipse applaudit, ut jactet se ita Dynastias Manethonis ordinasse, ut nihil opponi possit. Vide Eum *p.* 192. & 233. addens, *quod alii præstare non potuerint, unde multi Dynastias Manethonis rejecerint tanquam suppositas & fabulosas p.* 174. Quin &

& ex iis ita ab se constitutis probare dein Chronologiam Sacram Graecae Versionis contendit. Neque vero sumit sibi tam incerta, immo falsa & absona, principia, quam fecit Marshamus, de Mene & Sesostride, quorum illum rectius demittit ipse ad inferiora tempora, hunc ad vetustiora producit. Sed arripit tamen pro certis, quae vellem probari certius possent. Nempe *Amosin*, Regem Dynastiae XVIII. Primum, tenuisse Aegypti regnum, quando Moses cum Israëlitis ex Aegypto tantum quod exierat. At Syncellus illos exiisse censet sub sexto demum Rege Dynastiae XVIII. qui *Misphragmuthosis*, sed & *Amosis*, fuerit dictus. Marshamus vero longe ante, seu duobus vel tribus saeculis ante hosce Reges, Exitum Israëlitarum ponit. Sed accipiamus pro vero, quod lubens fecerim & ipse, *Amosin* fuisse illius temporis Regem, quo Moses floruit: at quomodo conciliabimus hoc, & in concordiam redigemus, cum annorum numero, qui ex Dynastiis, & ante & post hunc Amosin, in unam summam conjunctis exoritur?

Videamus itaque, quam ille hanc ad rem conficiendam ingrediatur viam. Ex XVII. Dynastiis, prout eas ex Manethone Africanus, & Eusebius, atque ex his Syn-

cellus

cellus *nobis* exhibent, collectos reperiemus annos ante Amosin supra quatuor *millia*, quum ipse Pezronius, qui in Sacris *amplissimam* sequitur Graecae Versionis *Chronologiam*, tamen a Diluvio usque ad *Exitum* ex Aegypto annos constituat tantum 1687. atque ideo a Mene Dynastiarum primo Rege usque ad Amosin tantum annos 1030. qui longe subsidunt infra quatuor millia annorum. Quid ergo? Conjungit varias subinde illarum XVII. Dynastiarum in unum tempus, atque ita omnes in arctiorem illam summam suo arbitratu contrahit. Censet enim Dynastias ejusdem Civitatis, veluti *Taniticae*, *Diospolitanae* &c. esse conjungendas in unam successionis seriem, licet post Amosin seu Dynastiam XVIII. illud neutiquam observet, aut observatum velit. Sed operae pretium, ut, quem constituerit XVII. illarum Dynastiarum ordinem, videamus, licet Manetho eas omnes prioribus semper, ordine ab se exposito, successisse velit.

I. Dynaſtia, quæ eſt Thinitarum.	III. Dynaſtia, quæ eſt Memphitarum.
II. Dyn. Thinitarum.	IV. Dyn. Memphitarum.
XI. Dyn. Dioſpolitarum.	IX. Dyn. Heracleopolitarum.
XII. Dyn. Dioſpolitarum.	VI. Dyn. Memphitarum.
XVI. Dyn. Tanitarum.	X. Dyn. Heracleopolitarum.
XIII. Dyn. Dioſpolitarum.	V. Dyn. Elephantinorum.
XVII. Dyn. Tanitarum.	XIV. Dyn. Xoitarum.
XV. Dyn. Dioſpolitarum.	VII. Dyn. Memphitarum.
	VIII. Dyn. Memphitarum.

Hunc ille ordinem ſuo arbitratu ita conſtituit, eumque ait manifeſte probare errorem Scaligeri, qui Dynaſtias illas fecerit *ſucceſſivas*. Atqui ipſe Manetho id fecit, ut diximus, & ipſi ex eo Africanus & Euſebius, ac denique Syncellus. At ſi ita agere & mutare rerum naturam ac ordinem licet in Chronologia antiquroum temporum, ſine ullo noſtræ ſententiæ documento contra manifeſtam illorum Au-

ctorum

ctorum mentem, ex quibus tamen ſolis iſthæc Chronologia hauriri debet, tum vero *quæ* tandem dari poteſt tam falſa aut obſcura, quæ non facile ea ratione conſtitui & in aliquem ordinem redigi queat? Confert ille tempus XV.I9. Dynaſtiarum in annorum 1039. ſpatium, quidni eadem ratione, dum non probando unumquidque, ſed omnia pro arbitratu noſtro, prout ſerviunt hypotheſi, affirmando, res geritur, in alium quemcunque numerum referri itidem queat? Sed dicit, *nihil poteſt opponi*, h. e. non poteſt meus hic ordo Dynaſtiarum refutari. Et verum id eſt, ſi Manethonis ipſius auctoritatem in re ſua ſpernimus. Nam quando deſunt communia rerum & argumentorum principia, quibus quid probari ſatis poteſt, deſunt plerumque etiam, quibus confutetur. Et tamen minus conſentaneum vero eſt, quod ille Dynaſtiam VIII. quæ eſt Memphitarum, rejicere debet in illud tempus, quo jam ex ſua ipſius ſententia Paſtores Dynaſtiæ XVII. invaſerant Aegyptum. Nam illi ſub primo ſuo Rege etiam Memphim ſtatim utique occuparunt, ſi credimus antiquis Scriptoribus. Vide Joſephum *contra Ap. lib.* I. *p.* 1039. & Syncellum *p.* 61. Annon ergo abs re alienum prorſus eſt, ſub illo ipſo Rege ac deinceps, quum hi

Pastores maxime jam opibus in Aegypto florerent, statuere ex sua tantum conjectura aut arbitratu initium & tempus Novæ Memphitarum Dynastiæ? quod ille facit *pag*. 189. 190. At quare id fecerit, si roges, ratio est in promptu, quia in XVII. illis Dynastiis, Quinque sunt Memphitarum, atque adeo plures, quam ut earum duratio, quæ ex Africano ultra 840. annos sese extendit, in brevi illo Dynastiarum ab ipso in arctius spatium redactarum intervallo, ante adventum Pastorum finiri potuerit. Venerunt autem Pastores in Aegyptum ipso septingentesimo anno ab initio Dynastiarum secundum Pezronii rationes. Neque vero poterant illæ Quinque Memphitarum Dynastiæ in brevius tempus cogi, aut plures earum simul ad idem tempus referri, quum eas saltem, quippe ejusdem Civitatis, alteram alteri successisse largiri deberet. Debuerunt ergo usque & ultra id tempus, quo Pastores ex ipsius sententia jam venerant in Aegyptum & Memphim occuparant, necessario extendi, quantumcunque in eo inesset absurdi.

Verum in ordinando & definiendo temporis cujusdam intervallo, cujus ipsius annorum summa est incertissima, vel ignota plane, non sufficit habere finem certum, in quo desinas, nisi & certum habeas prin-

principium, unde numerare annos incipias. Vixerit ergo Amosis, quod & ipse censeo, tempore eo, quo Israëlitæ ex Aegypto exiere; nihil hoc faciet ad Chronologiam Dynastiarum ante illud tempus constituendam, nisi & tempus, quo vixerit Menes, Princeps & Caput Dynastiarum, itidem certa ratione constet, tanto magis, quoniam in illo a Mene ad Amosin intervallo recedat Doctiss. Abbas a Manethonis annorum supra 4000. sententia, ad 1039. annorum summam. Menem autem refert ad annum 200. post Mizraimum, seu ad ann. 118. post factam Phalegi tempore dispersionem. Vide Eum *pag.* 167. & *seqq.* At quare ita censet? Nempe sequitur *Seriem Regum Aegypti*, quam nobis unus reliquit Syncellus a *pag.* 91. suæ *Chronographiæ*, & de qua sæpius jam egimus. Hic vero a Mene, quem ipsum Mizraimum putat, usque ad Amosin per singulos Reges computat tantum annos 964. atque adeo 75. annis minus, quam Pezronius, qui illi spatio tribuit 1039. & Menem insuper 200. annis infra Mizraimum demittit, atque ideo, si a Mizraimo computare annos inciperet, æque ac Syncellus, deberet illi spatio, cui Syncellus 964. tantum dat, dare 1239. annos. Credit autem Pezr. hanc Seriem ex *Veteri*

Chro-

Chronico desumptam, quam memorat Syncellus *pag.* 51. certe ex ea confirmare studet priores xxv. Reges, magna tamen sui arbitrii cum libertate. Nam primum ipse cum Syncello illis Regibus tribuit annos 700. at *Chronicon* illud huic spatio, prout ei a Pezronio applicatur, tantum annos 633. quam ille discrepantiam silentio prorsus, ut puto, involvit. Dein ex *Chronico* tantum XXIII. non xxv. Reges fuisse statuit, licet ex *Serie Regum* retineat tamen horum xxv. Regum annos 700. illos autem 633. *Chronici* dissimulet. Et operæ pretium est cognoscere, quo igitur modo numeros annorum Regum xxv. in Reges XXIII. conferat. Scilicet omittit duos *Seriei* istius Reges, ut ita *Chronici* fides firmetur, quod xv. tantum Reges designare creditur ante Dynastiam XVI. Tanitarum, cui dein octo istic tribuuntur Reges, unde numerus XXIII. exoritur. Omittit autem *Aristarchum*, Tertium Regem *Seriei*, & *Serapin* Septimum, eo prætextu, quod illud Nomen sit Græcum, hoc Nomen Dei, non Hominis aut Regis. Quasi vero Nomina hæc non potuerint fuisse corrupta, ut sunt innumera, sicuti id liquet satis ex sola comparatione Nominum, quæ eorundem sunt Regum in Dynastiis XVII. & sequentibus, facta a me
supra

supra *Cap.* IV. Quantæ autem hoc est licentiæ, duos Reges ex illa *Serie Chronologica* tantum propter suspecta eorum nomina prorsus expungere, potius quam investigare ea ac emendare? Majoris tamen est audaciæ, quod illorum annos 34. & 23. duobus aliis Regibus suo arbitratu addit. Nam quum Meni tribuantur in illa Serie anni tantum 35. ipse 62. ei adscribit, ac dein Regi Amosi, cui Syncellus duos tantum dedit annos, ille 32. largitur. Idque nulla nisi sui arbitrii ratione, certe in hoc posteriore. Nam in priore aliquid reperio rationis, quod adferret haud dubie; scil. Meni Thinitæ a Manethone in Dynastiis, & Meni Thebano ab Eratosthene tribui illos 62. annos. Sed tamen, si maxime idem fuerit Menes, potuisset ille superiora Aegypti, Thiniticam & Thebanam Urbes, tot utique tenuisse annos, at anno demum vigesimo septimo regni Thinitici seu Thebani occupasse inferiora, eaque sic per annos tantum 35. tenuisse, ut in illa *Serie Regum* traditur. Ille vero *Seriem* istam Syncelli cum *Veteri Chronico* in consensum ita quidem suo more & modo redigere studuit: sed inanem eum in omnibus hisce, ita audacter sollicitandis permutandisque, sumpsisse operam,

ram, atque illam xxv. Regum *Seriem* Syncelli, non ex veteri quodam Aegyptiorum Chronico hauſtam, ſed ad Hypotheſin Syncelli ex XVI. Manethonis Dynaſtiis contractam ſolo illius arbitratu, ſatis ſuperque jam ſupra *pag.* 59. 60. declaravimus. Unum tamen eſt, in quo videtur *Series* iſta cum *Veteri Chronico* conſentire, utique ſi pro vero accipimus, quod cenſet Pezronius *pag.* 169. Ultimos Octo Reges illorum xxv. fuiſſe Reges Dynaſtiæ Sextæ decimæ. Certe enim illud *Chronicon* iſti Dynaſtiæ Octo tribuit Reges, & Annos 190. Hi ipſi autem Anni ex Octo illorum xxv. Regum Ultimis in illa Syncelli *Serie* itidem exoriuntur, ut adeo, ſi reliqua convenirent, ſatis ſpecioſum hoc foret & veriſimile. Verum ita totum tamen xv. Dynaſtiarum ſpatium redigeretur in iſta *Serie* intra 510. Annos, quæ exigua prorſus tot Dynaſtiis eſt ſumma; & tamen etiam minorem ea, ſcilicet 443. annorum, *Chronicon Vetus*, hic quoque diſcrepans, illis tribuit. Præterea etiam Euſebius in *Canone* ſuo, qui ab Sextadecima incipit Dynaſtia, tribuit Huic Dynaſtiæ itidem 190. annos. Sed *Thebanorum* eam fuiſſe dicit, non *Tanitarum*, ut Vetus facit *Chronicon*, ac porro ſubjicit hiſce

190.

190. annis continuo *Pastores* & *Septimam decimam Dynastiam*, ut adeo non *Chronici* modo istius, sed & Manethonis, Sexta decima Dynastia, diversa licet, utraque tamen annos 190. habuisse videatur. Denique in ipsa illa Syncelli *Serie*, reliqua minime conveniunt *Chronico*. Nam Hoc proximam statim, seu XVII. Dynastiam adscribit *Memphitis* apud Syncell. *pag* 51. At Syncellus ipse ad Regem XXV. suæ *Seriei pag.* 103. Sextædecimæ Dynastiæ, cui illum Regem tribuit, *successisse* ait *Tanitas, Reges, qui præfuerint Aegypto in Septima Decima Dynastia*, & *seq. pag.* Regem Sextum & Vigesimum dicit eum, qui Pastorum seu Tanitarum fuit Primus. Atque ita ipsa illa *Series* in reliquis, & maxime post hosce XXV. Reges ab illo veteri *Chronico* prorsus secedit, & plane alios Reges deinceps exhibere deprehenditur, quam ex illo *Chronico* debuisset: siquidem subjungit iis Reges Pastores, ac dein Diospolitanos &c. Dynastiarum XVII. XVIII. &c. Manethonis, quum *Chronicon* post XVII. *Seriei* istius (non XV. ut vult Pezronius) Reges, *Dynastiam* XVI. *Tanitarum Octo Regum* memoret, ac dein *Dynastiam* XVII. non Pastorum, aut Tanitarum, sed, ut diximus, *Memphitarum*, tum *Dynastiam* XVIII. itidem *Memphitarum*,

non

non Diospolitanorum, atque ita in iis & in ſequentibus prorſus alias Dynaſtias, alios Regum & Annorum numeros præferat, quam vel Manetho, vel *Series* illa Syncelli. Sequi ergo Pezronius poſt xxv. Reges ſolam iſtam *Seriem* absque *Chronico* debet, nec tamen ſatis fideliter ſequitur. Nam, ut jam diximus, 75. annos plus in hoc intervallo a Mene ad Amoſin computavit, quam iſta *Series* a Mizraimo. Hos autem ex Joſepho arripuit, nec tamen æquabili conſtantia. Nam *Certum*, quem in noſtris Joſephi exemplaribus non reperimus, ex *Serie* Syncelli nobis adnumerat. Ei vero Syncellus adſcribit annos *ex Joſepho 29. ex Manethone* 44. computat autem in ſummis ſubducendis illos 29. annos; at Pezronius illos 44. ſolos memorat & computat. Deinde vero *Aſſi*, ſeu *Aſetho*, Syncelli *Series* tribuit annos 24. at Pezronius ex Joſepho 49. Denique in Syncello & iſta *Serie* Aſetho proximus datur ſucceſſor *Amoſis*, at ille ex Joſepho interponit *Aliſphragmuthoſin*, eique, neſcio unde, annos addit 36. Qua ratione abjicitur plane illa *Series*, ut manifeſtum eſt ex hoc trium Regum ordine iſtinc (*p.* 123.) ſumpto.

Aegyptiorum Rex XXXI. Certus *regnavit ex Joſepho annis* 29. *ex Manethone* 44. *Mundi autem annus eſt* 3687.

Aegypt.

Aegypt. Rex XXXII. Asethi *annis* 24. *Mundi* 3716. qui annus Mundi conficitur, annis 29. (non 44.) superiori numero additis.

Aegypt. Rex XXXIII. Amosis, *qui etiam* Tethmosis, *annis* 22. *Mundi vero* 3740. Vides hic, Lector, ab Asethi initio usque ad initium Amosis computari in Annis Mundi tantum annos 24, quos Asetho tribuit hæc *Series*, at Pezronius annos 85. ex 49. Asethi secundum Josephum, quem tamen in Annis Certi, prioris Regis, plane negligit, & 36. Alisphragmuthosebs, quem Series illa ignorat, conflatos, suo unius arbitratu inter utriusque initium interponit. Et tamen ex hac Chronologia ita ad lubidinem suam constituta, ætatem Menis primi Aegyptiorum Regis, atque adeo Principium Regni Aegyptiaci, unice nobis probat, vel potius præscribit, tanquam ad annum 118. post factam Phalegi in diebus Dispersionem omnino pariter referenda. Quid vero in his certi, quid probabile? Quidni immo eadem affirmandi ratione aliud qualecunque tempus, aut annorum summa, in hoc intervallo a Mene usque ad Amosin obtrudi nobis potuisset? Sed tamen aliud etiam addit *pag.* 173. suæ sententiæ argumentum. Nempe *Apophin* tradit ex Syncello fuisse omnium consensu

illum ipsum Regem, sub quo, & apud quem, Josephus auctoritate & gratia floruerit. Jam vero *certum esse*, ab anno XVII. Apophis si retro regrediamur usque ad Menem, reperiri annos 815. & ab eodem Apophis anno si progrediamur usque ad Amosis regnum, & Israëlitarum exitum ex Aegypto, habere nos 224. annos. At unde quaeso id *certum est*, aut constat? nisi unice ex illa Chronologia, quam, ut vidimus modo, Pezronius ad suam Hypothesin quidvis undecunque arripiendo & addendo, prout lubuit, accommodavit. Atque ita Chronólogia isthaec prius accommodatur arbitraria quadam vi ad ejus Hypothesin. Haec vero dein ex Chronologia ista sic formata, unice prorsus probatur, quod satis ineptae est argumentationis.

Quod si jam infra Amosin descendamus, & indagemus, qua ratione etiam istius temporis Chronologia ex Dynastiis Manethonis, & *Serie Regum* Syncelli, a Pezronio conficiatur, videbimus eundem illum etiam istic insistere viam omnia ad suam Hypothesin, quo jure, qua injuria, conformandi, vel contorquendi. Etenim affirmat ille quidem identidem, *sequentes* XIII. *Dynastias non esse tam confusas aut intricatas, quam priores, quia omnes*,

nes, una alteri, successerint sine commixtione aut interruptione, pag. 193. Et, *post Mosen vix quidquam amplius superesse difficultatis, quia posteriores hae Dynastiae fuerint successivae, & non collaterales, ut priores fuerant, & una proxime successerit alteri* pag. 196. At tu velim videas, Lector, quae supra *Cap.* IV. congessimus, ubi ex diversis Chronicis tibi exhibuimus diversam plane Dynastiarum & ipsorum Regum successionem, ac Regni singulorum durationem. Ipsa annorum summa ab Amosi primo Dynastiae XVIII. Rege usque ad Amosidis vel Amasidis mortem tempore Cambysis Persae, in *Serie Regum* est 1509. in Dynastiis apud Africanum 1469. at apud Eusebium 1262. Cum nullo horum consentit noster Abbas, qui huic intervallo tribuit annos 1377. quos scilicet ex Chronologia Sacra ab Israelitarum exitu usque ad Cambysis Persae annum quintum ille computat; licet Petavius isto in intervallo numeret tantum annos 1007. Usserius tantum 966. Verum illa est Pezronii Hypothesis, ad quam se Dynastiae Aegyptiacae accommodare jam debent. Tribuit ergo Dynastiae XVIII. ex Josepho annos 393. licet ex numeris annorum, quos singulis istius Dynastiae Regibus adscribit Josephus, emergant tantum anni circiter 330. Vult er-

go Acencheri I. pro XII. annis, quos illi non Josephus modo, sed & Eusebius tribuit, dari ex Africano XXXII. Dein ejus successori Rathoti pro IX. non jam ex Africano, tantum VI. illi tribuente, sed ex Eusebio XXXIX. cui Syncellus in *Serie Regum* XXIX. adscribit. Denique Ramessi, ex Josephus Unum modo annum dedit; & quem ideo haud dubie prætermittunt plane Eusebius, & Syncellus, adscribit sua unius auctoritate annos XI. Scilicet ut ita LX. annos inveniret, quos desiderabat. Sed longe rectius hanc summam Josephi 393. annorum ex *Serie Regum* Syncelli probasset, ex cujus numeris ab Amosi primo Dynastiæ istius Rege, usque ad ultimum, Amenophin, exoritur summa annorum 394. Sed numeri annorum, qui singulis istic Regibus adduntur, immane quantum discrepant ab iis, quos Josephus singulis dedit. Ex Eusebii vero numeris oritur summa annorum 398. at apud Syncellum subjicitur Eusebianis illis summa 348. in quo ne librarii putes mendum, cavit ipse Syncellus, quando addidit, Eusebium Africani summæ adjecisse annos 85. Jam vero Africani numeris, ex quibus tamen male iterum exsurgunt anni 284. subjiciuntur istic 263. quibus si addas 85. habebis ipsos illos 348.

Vi-

Vides, Lector, quam incerta hæc sint omnia, & inepta, ex quibus certi quid elicias, quod tamen facere voluit Vir Eruditus: & quam corrupti sint illi potissimum numeri, qui singulis Regibus sunt additi.

Utrumque etiam magis liquebit ex proximis Dynastiæ XIX. Regibus. At hic primò notandum *Seriem Syncelli* interponere hic inter Dynastiæ XVIII. & Dynastiæ XIX. Reges, quatuor alios, cum suis Regni annis, quos Africanus certe, & Eusebius, plane ignorant, nec in Manethonis Dynastiis reperisse videntur. Sed neque Abbas noster eorum ullam habet rationem, relinquens nunc plane istam *Seriem*, antea tantopere laudatam. Deinde Africanus huic Dynastiæ tribuit VI. Reges, & annos, ut numeri singulorum volunt, 204. ut summa subjecta, 209. Eusebius V. Reges, & annos 194. *Series* Syncelli VI. Reges, annos 178. at Abbas VI. Reges, annos 234. Quid ex his jam accipiemus, quando nulla habemus probationum documenta? Sed ut clarius pateat summa hujus Chronologiæ varietas & vanitas, conferamus singulorum Auctorum atque ipsius Abbatis rationes, seu Regum Nomina, Numerum, & Annos.

Africanus	Eusebius	Series Regum Syncelli	Perizonius
Sethos annis. 51.	Sethos annis. 55.	Certus (forte Setos) 16.	Sethosis ann. 59.
Raphaces. 61.	Rapses. 66.	Rampsis. 45.	Rhampses. 66.
Ammenephthes. 20.	Ammenephthes. 40.	Amenses vel Amenemnemes. 26.	Ammenephthes. 20.
Rameses. 60.			
Ammenemnes. 5.	Ammenemes. 26.	Ochyras. 14.	Ramesses. 60.
		Amedes. 27.	Ammenemes. 22.
Thuoris. 7.	Thuoris. 7.	Thuoris. 50.	Thuoris. 7.

Vide, quantam hic habeas discrepantiam, & attende porro ad argumenta, unde Abbas suos confecerit numeros. Nempe Sethosi dedit 59. annos, Rhampsi 66. & in utroque sequitur Josephum, qui *lib.* 1. *contra Apionem p.* 1052. tot annos eis adnumerat. Ammenephthi vero ex Africano tribuit 20. annos, & Ramessen ex eodem

eodem addit cum 60. annis, licet Josephus Ammenephthin plane rejiciat, & Eusebius Ramessen ignoret, & Ammenephthi 40. tantum assignet annos. Ammenemi denique adscribit 22. annos, in quo recedit ab Africano & Eusebio æque, ac ab *Serie* Regum Syncelli. Quid quæso hoc est aliud, quam modo ex hoc, modo ex alio Scriptore arripere, quicquid tuæ Hypothesi inservit, & ita affirmando quidlibet, Chronologiam ad illam Hypothesin arbitratu tuo conformare? Sed cui persuadebitur talis Chronologia? quo fundamento, aut qua specie asseri poterit ejus non dicam veritas, sed verisimilitudo? Possent utique eo modo & eadem specie vel decem diversæ Hypotheses talis Chronologiæ instrui, quando nulla prorsus, ne minima quidem, ratione probatur, quare cuique Regi tot annorum Regnum adscribatur, aut certe, quare in ejus annis præferenda sit modo hujus, modo illius, Auctoris traditio vel auctoritas.

Neque aliter se res habet in sequentibus. Proximam Dynastiam, quæ Vicesima est Manethonis, & tribuitur Diospolitanis, ex *Serie* Syncelli illustrare annititur. Vide Eum *pag.* 205. Africanus & Eusebius Regum fuisse XII. eam affirmant, annorum vero Ille 135. Hic 178 Nomina

illorum Regum relicta nobis putat Pezronius in *Serie* Syncelli, sed quæ annos nimium quantum auxerit. Sumit ergo pro istius Dynastiæ Regibus ex illa *Serie* Regem Quinquagesimum, & sequentes usque ad Primum & Sexagesimum. Duodecim hi sunt, sed qui pariter conficiunt istic annorum 327. Summam, quæ istam Eusebii quam longissime, longius etiam illam Africani, exsuperat. Sed nihil isti Reges ad Vicesimam pertinent Dynastiam, quum plerique XIX. sint Dynastiæ cui hac ratione Pezronius unicum modo in illa *Serie* relinquit Regem, nempe Thuorin, qui Amenophin, ultimum Dyn. XVIII. Regem, proxime sequitur. Fateor, miris modis corruptam esse & perturbatam istam *Regum Seriem* apud Syncellum, sed tamen vestigia singularum Dynastiarum Manethonis ab Septima decima usque prorsus manifesta istic reperiuntur. Utrumque ostendimus satis liquido supra *Cap.* IV. quæ videas velim, unde & constabit, quod dixi, hosce Reges XII. quos Pezronius ad Dyn. XX. refert, partim esse, & tres quidem primos, aliunde extra Dynastias petitos, at quinque sequentes, præterito *Amede*, esse Dynastiæ Undevigesimæ, cui & Eusebius quinque tantum tribuit Reges; Ultimos quatuor denique, quorum

Ame-

Ameden facio primum, sed ita, ut proximum illi Thuorin superioribus quinque Dynastiæ XIX. annumerem, esse ad Dynastiam XX. demum referendos.

Unum addam (nam si omnes hic perlustrare ac refutare vellem Dynastias, prout a Pezronio exhibentur vel computantur, hæ ex Africano, illæ ex Eusebio, tædio Lectoribus meis forem certissimo) quum Doctiss. Abbas identidem affirmet, Dynastias posteriores ab XVIII. usque, non esse ita perturbatas aut intricatas, quia istic una sequatur alteram sine confusione aut interruptione, & omnes sint successivæ, non collaterales; Dynastias tamen XXV. & XXVI. mire ab eo turbari. Sabbaconi primo Dynastiæ XXV. Regi tribuit ex Herodoto annos 50. licet Africanus illi tantum octo, Eusebius & Syncellus 12. tribuant, immo toti Dynastiæ Ille tantum 40. Hi 44. annos. Verum illos 50. annos dividit simul per omnes istius Dynastiæ Reges, & extendit etiam ultra eos. Nam duodecim Sabbaconis ex Eusebio, tum alios 12. Seuechi, denique 20. annos Taraci, in illos 50. Sabbaconis, qui Pater Seuechi, Avus Taraci fuerit, includit, & dein, quia desunt insuper sex anni, post mortem Taraci Sabbaconem ex Arabia in Aegyptum rediisse, & Sex ibi annos per se ite-

rum regnasse tradit, sicuti antea eum, absentem licet in Arabia, per Seuechum Filium, & Taracum Nepotem, regnasse tamen in Aegypto fingit. Fingere id eum dico, quia Scriptorum nullus tale quid vel levissima specie innuit, & insuper e contrario Taracus neutiquam videtur fuisse Nepos Sabaconis, & ejus tantum vices in Aegypto egisse, immo neque Rex Agypti proprie, sed Aethiopiæ, fuisse. Certe enim in S. Scriptura in eadem Historia & eodem tempore tanquam diversi plane Reges distinguuntur *Pharao. Rex Aegypti*, 2. Regum XVIII. 21. & Jesaiæ XXXVI. 6. & *Tirhacus Rex Cuschi*, seu Aethiopiæ 2. Regum XIX. 9. & Jesaiæ XXXVII. 9. Dicitur etiam istic Tirhakus *processisse, ut pugnaret contra Sennacheribum*, qui *eo nuncio* territus ultimos conatus adversus Hiskiam adhibuerit. Satis ex hisce apparet Tirhacum, qui est Manethonis *Taracus*, non fuisse Aegypti tunc Regem, contra quem bellum gerebat Sennacheribus, sed Aethiopiæ, qui novus ideo & terribilis accesserit Sennacheribo hostis, & prodierit contra eum, Aegyptio Regi auxilium ferens, ut diserte tradit Josephus *Antiquit. lib* X. *Cap.* I. *audivit* (Sennacheribus) *Regem Aethiopum Tharsicen* (haud dubie per vitium scripturæ, pro *Tharacen*) *exercitum ducere*
in

in auxilium Aegyptiorum. Quin tantum abest, ut Aethiops ille non suo nomine aut suis auspiciis regnum aliquod tenuerit, ut e contrario apud Strabonem *lib.* I [a]. & XV [b]. *Tearco Aethiops*, qui est hic ipse *Taracus*, inter illustrissimos Reges, & magnos Gentium victores post Sesostrin, & ante Nebucadnezarem, memoretur, qui in Europam usque, & ad Herculis usque columnas, victoriis suis processerit. In His tamen victoriis quin & Aegyptum potuerit in illo intervallo, quod inter Sennacheribi seu Hiskiæ, & Psammetichi seu Josiæ, tempora intercessit, vicisse, ac deinceps usque ad mortem suam tenuisse, neutiquam negaverim; quin immo hanc sententiam confirmari insuper putem non eo tantum, quod Manetho, vel certe Africanus & Eusebius, ut & Syncellus, Taracum quoque inter veros Aegypti Reges circa hæc tempora memorant, sed & ex eo, quod constat ex Herodoto [c], & maxime ex Diodoro [d], in illo ipso intervallo exstitisse quandam in Aegypto Anarchiam, & dein eam regionem divisam in XII. Nomarchas. Tanta rerum mutatio & Regni interruptio optime convenit in peregrinum Regem & victorem Aegyptiorum, post cu-

a Pag. 61. *b Pag.* 686. *c Lib. II. cap.* 147. *d Lib. I. pag.* 41.

cujus mortem vel reditum ex Aegypto; quum jam ſenex eſſet, Hi jugum illud excuſſerint, ut fieri ſolet, ſed in Regno tamen, certe totius Aegypti, ad Unum aliquem deferendo conſentire nondum potuerint. Verum ſi tunc Taracus Aegyptum quoque tenuit, tenuit ſuo nomine, ſuisque auſpiciis, non hereditatis, ſed belli, & ſui quidem, non aviti, jure, quo non Aegyptum modo, ſed alias quoque regiones ſibi ſubjectas, ſed ipſe ſolus, habuit, tanquam Seſoſtris quidam, aut Attila, aut Tamerlanes, quorum imperium cum ipſis ferme cœpit quoque & deſiit. Abunde ex his convellitur Chronologia Doctiſſ. Abbatis, qui Taracum Regem Aegypti proprium facit, ſed ſub Alio, ſeu ſub Sabacone, ante quem tamen mortuus fuerit, & qui ideo etiam poſt illius mortem Aegyptum ſibi iterum vindicaverit.

Verum, ut ſine circuitione dicam, quod Ego dudum ſuſpicor: crediderim *Sabaconem* & *Taracum* eundem fuiſſe Regem, ſed a Manethone in duos perperam diviſum. Rationes habeo multas. Nempe, quia inter Nomina *Sabaconis* & *Taraconis* exigua prorſus eſt differentia; quia in idem tempus Sennacheribi ſeu Hiskiæ referuntur; quia pariter dicuntur fuiſſe *Aethiopes*,

&

& Reges valde potentes, qui non Aegyptum modo tenuerint, sed alias quoque *Gentes* sibi subjecerint; quia denique nullus, quod sciam, præter Manethonem, utrumque simul, tanquam duos diversos, memorat, sed omnes, qui unum nominant, alterum ignorant [a]. Nam S. Scriptura & Strabo *Taracum*

[a] Jamesonus quoque *Tirhakam*, *Taracum*, *Tharsicen*, & *Tearconem* pro eodem habet; sed *Sabaconem* & *Taracum* eumdem fuisse non putat. *Quaestionem* hanc *non facilem finitu esse* dicit, atque ita porro differit: *Thiraca* dicitur (in S. Scriptura) fuisse *Rex Cuschi*. Sed quantum ego scio valde incertum est, an unquam *Æthiopes Occidentales* hoc nomine appellentur. Sed Authores, qui scribunt Reges Æthiopas nonnunquam regnasse in Ægypto, innuunt eos fuisse *Occidentales*, & non *Orientales*, sive transmarinos Æthiopas. Et ab Herodoto dicuntur Æthiopes cum Sabacone ἐλάσαι, *excurrisse* in Ægyptum, non navibus eam invasisse. Et revera ego non dubito, quin Herodotus innuat Ægyptios aliquot Reges accepisse ab iis Æthiopibus, quos tantopere extollit, & inter alia Cambysem sprevisse scribit. Nec est causa dubitandi, quin Diodorus *Lib. I.* diducat Sabbaconem ab iisdem Æthiopibus, quos *Lib. III.* describit & celebrat, & aperte ab Arabibus distinguit: Et Africanos omnino esse perhibet. Porro si credamus Josepho, Rex Thirhaca, *Arabs*, non *Africanus Æthiops* fuit. Vide eum *Lib. X. Cap. I.* Nam constat ex *XIV. Cap. poster. Paralip.* Reges admodum potentes fuisse in Arabia, qualis erat Zerah. Hæc si vera sunt, *Sabaco* & *Tirha-*

raeum vel *Tiracum* celebrant, *Sabacum* vel *Sabaconem* non agnoscunt; Herodotus contra & Diodorus Siculus nullam faciunt hisce

Tirhaca, neququam esse potuerunt unus, idemque Rex. *Spicileg. Antiq. Aegypt. Cap. XV.* §. 10.

(Josephi verba sunt: ἀκούω (Sennacheribus) τὸν τῶν Αἰθιόπων βασιλέα θαρσητικὴν πολλὴν ἄγοντα δύναμιν ἐπὶ συμμαχίᾳ τοῖς Αἰγυπτίοις ἥκειν, διεγνωκότα ποιήσασθαι τὴν πορείαν διὰ τῆς ἐρήμου. Ex his colligere videtur Tirhakam ex Arabia venisse.)

Pergit deinde: Sed Perizonius pugnat pro contrario sequentibus rationibus, primo, *Quia inter nomina Sabaconis & Taraconis exigua prorsus est differentia.* Respondeo, non adeo exigua, quin aeque parva sufficiat, aut personas, aut res abunde distinguere. Sed *quia in idem tempus Sennacheribi seu Hiskia referuntur.* Sed revera non ita est, nam post discessum *Sabaci*, seu *Sabaconis*, rediit caecus *Anysis* ex paludibus, & recepit Imperium: Et regnavit post ipsius reditum in Ægypto nescio quam diu. Sed rationi congruum est, ut putemus aliquot eum praefuisse annos Ægypto. *Post hunc* (subjungit Herodotus) *regnasse sacerdotem Vulcani, nomine Sethon: eumque bellatoribus Ægyptiis abusum fuisse - - Postea, quum Sanacharibus Arabum Assyriorumque Rex cum magnis copiis invasisset Ægyptum* &c. Ex his opinor admodum probabile est, non paucos annos regnasse ante Senacharibi invasionem. At si aliorum calculus admittatur, quorum quidam duodecim, quidam octo annos Sabaconem praefuisse Ægypto scribunt, sat multos post discessum Sabaci, sive Sabaconis, Anysis caecus Ægypto praefuisse po-

hisce temporibus *Taraci* mentionem, sed pariter *Sabaconem* laudant, & in tempora Hiskiæ, immo usque ad Psammetichi ætatem

poterat. Ex omnibus his veritati omnino consentaneum est, *Sabaconem* ante Hiskiæ regnum Ægyptum reliquisse, & proinde non potuisse esse eundem cum *Taraco*, sive *Tirhaka* Æthiopum Rege. Denique Manetho, vel ut Syncellus ex eo habet, Sabaconem A. M. 4732. iniisse regnum scribit. Adi eum *pag.* 184. & 191. Taracum autem A. M. 4756. Et quamvis apud me certum sit, parum præter mendacia in istis Dynastiis haberi; non minus tamen certum est impudentissimos mendaces aliquando verum eloqui. Et opinor in his Dynastiis multos Reges inseri, qui numquam præfuere Ægypto; sed aliis regnis; nec eo tempore, quo regnare dicuntur, præfuerunt ulli regno; nec inter mortales spirarunt. Sed Perizonius ait, *nullus, quod sciam, præter Manethonem, utrumque simul, tanquam duos diversos, memorat. Sed omnes, qui unum nominant, alterum ignorant.* Et quidem valeret hæc ratio, si in reliquis Scriptores concordarent, vel ullus certus ordo Regum ab iis pariter observatus esset. Sed cum in paucissimis conveniant; parum eliciendum est ex tali imaginario synchronismo, ut mox evictum est. Et hæc ut spero cunctis doctissimi Viri rationibus satisfacient. *Ibid. §. XI.*

Mihi non videntur illis plane satisfacere. Argumentum ex convenientia nominum suum pondus habet, si & alia accedant, quibus confirmari possit. Herodotum *II.* 139. *seqq.* scribentem Sabaconi *Anysin*, & huic *Sethonem* successisse; secum non concordare, quum *Ibid. cap.*

tem demittunt. Nam Herodotus ait, ab Eo Psammetichi Patrem occisum, ipsum Psammetichum in Syriam fugatum, sed qui post abitum Sabaconis redierit, vel a Saitis ultro reductus fuerit in Aegyptum; Diodorus vero Sabaconem proxime ante Anarchiam duorum annorum, & dein Regnum XII. Regulorum seu Nomarcharum, collocat. At Manetho & Syncellus in Dynastia XXV. Eum regnasse in Aegypto, & desiisse tradunt ante Seuechum, qui fuisse creditur ille ipse *Soa*, Rex Aegypti tempore Hoseæ Israëlitici, & Hiskiæ Judæi Regis, atque ita inter Sabaconem & Psammetichum ex Manethone Africanus ordinem & successionem quinque Regum, & annos 53. Syncellus vero & Eusebius sex Reges, & plures etiam annos interponunt, quæ cum *Sabacone* Herodoti & Diodori conciliari nullo modo queunt. Quid ergo? Crediderim

cap. 152. Sabaconem Psammiticho aequalem faciat, ostendit, & in in his, quæ priore loco tradit, erroris arguit Perizonius. Hoc non intactum praeterire, nec ex loco Herodoti, in quo sibi errorem illius animadvertisse videbatur Perizonius, adversus eum disputare debuerat Jamesonus; sed docere verius esse quod priore, quam quod posteriore, loco ab Herodoto proditum est, vel viam utrumque in concordiam redigendi inire. Hoc quum non fecerit, nondum evicit synchronismum Perizonii imaginarium esse.

derim *Taracum* fuisse Aethiopum, non item Aegyptiorum, Regem eo tempore, quod Manetho tribuit Sabaconi ac Seuecho. Hunc *Seuechum* eundem esse putant vulgo ei, quem Herodotus *Sethonem* appellat, siquidem hunc Aegypti Regem fuisse dicit, quo tempore Sennacheribus in Aegyptios movit, & ab iis cum clade magna depulsus fuit. Sed si ita, tum vero errat Herodotus, quando Sethonem hunc Sabaconi post exactos illos quinquaginta annos, vel Anysi post Sabaconem demum, successisse ait. Hoc enim non satis congruit cum iis, quæ ipse dein de Psammeticho tradit, qui a Saitis suis, quorum Rex fuerit illius Pater a Sabacone neci datus, post abitum Sabaconis statim in regnum fuerit reductus; multo autem minus cum iis, quæ Diodorum prodere dixi, quod post Sabaconis abitum statim exstiterit Anarchia & illa Nomarcharum Dodecarchia. Neque vero cum S. Scriptura satis congruit, quæ tempore Sennacheribi demum *Aethiopem* memorat, eumque non fuisse Aegypti Regem, sed Aegyptio Regi Soæ, seu Sethoni, tulisse auxilium contra Assyrium, tradit. Censeam ergo *Taracum*, Aethiopem illum, ut solent victores & potentes Reges, oppressisse eum dein ipsum, cujus ad auxilium adcucurrerat, eique ita successisse, sive is

Soa fuerit, sive alius quispiam, & sibi subjecisse omnia porro Aegypti regna, quæ diversa tunc fuisse videntur, exstincto præter Sethonem, Bocchori Thebano, & Nechone Saite, Psammetichi Patre, ac pulso Anysi. Atque ita dein post ejus reditum in Aethiopiam, vel postquam se Regno Aegypti abdicasset ultro, quacunque tandem ratione (Vide eam infra *Cap.* XIII. ubi ex professo de hisce agemus) motus, Aegyptios, quibus ille successorem nullum reliquerat aut dederat, recidisse primum in Anarchiam, cujus occasione post duos annos Proceres Gentis præcipui in Regulos se erexerint ipsi. Probabilia hæc sic satis videntur, sed parum (fateor) conveniunt cum iis, quæ ex Manethone nobis reliquerunt Africanus, & Eusebius. Verum illa neque cum Herodoto & Diodoro Siculo, de Sabacone, ac Dodecarchia Nomarcharum, & rebus Psammetichi, conciliari ulla idonea ratione queunt. Nam Pezronii conatus supra jam excussimus & abjecimus. Nullam præterea horum Regulorum XII. rationem habet Manethonis Chronologia, a quibus tamen Herodotus II. 147. initium jam rerum certarum in Aegyptiaca Historia, in quibus aliæ Gentes cum Aegyptiis consentiant, deducit. Sed & quid faciemus

mus Regibus Saitis, quos ex Manethonis Dyn. XXVI. ante Psammetichum ita collocant Africanus, Eusebius, & Syncellus, quasi post Sabaconem, Seuechum, & Taracum exstitissent, aut eis suo ordine singuli successissent. Pezronius quidem, qui antea tam diserte affirmaverat Dynastias post Amosin, seu ab XVII. usque, accipiendas esse, tanquam successivas, non collaterales, id quod ex *Serie Regum* Syncelli vel maxime confirmatur, hic tamen præter & contra illam *Seriei* istius auctoritatem, non modo Reges tres vel quatuor priores Dynastiæ XXVI. simul cum Dynastiæ XXV. Regibus Regnum obtinuisse, sed & eodem tempore plures alios diversis in partibus Aegypti Reges exstitisse ex Herodoto statuit, adeo ut, si ipsi credendum, eodem tempore regnasse Sabaco in Aethiopia, Taraco illius auspiciis in Aegypto inferiore, Sethon in Memphi, Stephinates in Urbe Sai debuerint. Sed eo delabitur, quia Dynastias, licet, ut multis jam ostendi, corruptissimæ sint, nec quidquam certi aut liquidi, nihil immo probabile satis, contineant, vult sequi, easque in concordiam Chronologicam redigere cum iis, quæ Herodotus tradit, ubi is jam certiora promittit & narrat, a quibus ipsis tamen illæ itidem immane quantum dis-

crepant, nec Reges ab eo, Aliisque, ex illa notioris jam temporis Historia certius prolatos, agnoscunt, ut adeo Doctiss. Abbas in illis conciliandis, quoquo se vertat, laterem lavisse deprehendatur.

CAP. XI.

Conringius, Stillingfletus, Aliique rejiciunt Manethonis Dynastias, & sequi malunt Chronologiam Herodoti. Sed neque ex ea certi quicquam hauriri potest. Accusatur in Aegyptiacis Herodotus ab ipsis Veteribus. Immodica quoque ejus est Chronologia. Anni ejus neutiquam pro Mensibus sunt accipiendi. Notatur vel emendatur II. 140. *Conringii Error in ætate Sesostridis & Tempore Belli Trojani. Diodorus porro Siculus magnam agnoscit ipse Discrepantiam in Aegyptiorum Chronologia. Sed & ipse ab se in his diversus abit. Tribuit Hominibus Regibus* XV. *millia annorum, quod ex ipso refutatur. Tentatur*

tatur ejus verborum emendatio. Explicatur alius ejus locus. Ἔτη ἀπὸ μυριάδος *superant* Myriadem, *non contra.* Ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν χιλίων *sunt* paulo minora mille annis. *Error in his Cappelli & Stillingfleti. Iidem male Annos Diodori Aegyptios redigunt in Menses. Diodori Series Chronologica & Historica Regum Aegypti. Vox* Γενεὰ *apud Diodorum pro singulis Regibus seu Successoribus ponitur, quod & apud Alios fit. Notat proprie Aetatem Hominum eodem tempore viventium. Notat sæpe etiam certum annorum Numerum, quo illa Aetas vulgo definitur. Numerus is diversis Scriptoribus est diversus. Discrepantia de Successoribus inter Herodotum & Diodorum, quos alter aliquando proximos, alter remotissimos, facit. Nihil certi aut speciosi ad Chronologiam Aegyptiorum recte constituendam neque ex Diodorō hauriri potest.*

Alii ergo, rejectis Manethonis Dynastiis, tanquam fabulosis vel incertissimis, & Chronologia ex iis formata ab Africano, Eusebio, Syncello, Scaligero, aliisque, itidem explosa, Herodoti narrationes præferunt, & ex iis Seriem quandam Historiæ Aegyptiacæ utcunque constituere malunt. In his sunt vel præcipui, Conringius *Adversar. Chronolog. cap.* 17. & 18. Stillingfletus *Originibus Sacris lib.* 1. *cap.* 5. atque Alii complures, qui per occasionem subinde hanc animi sui sententiam declararunt. Neque tamen certi quidquam ex iis hauriri posse de rebus ante Psammethichum gestis, immo *in dubium merito vocari, num quam fidem mereantur illa, quæ soli Aegyptiorum Sacerdotum narrationi sese debere testetur Herodotus*, recte omnino profitentur ipsi. Vide Conring. *cap.* 16. Nam quis affirmaverit nobis, Herodotum in meliores, vel, ut ait Conringius [a], *minus reliquis fabulosos*, incidisse Sacerdotes, quam Manetho fuit, qui & ipse utique non modo fuit Ἀρχιερεὺς, sed & Γραμματεὺς τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερῶν ἀδύτων, *Scriba sacrorum penetralium in Aegypto*, ut se ipse appellat in Epistola ad Regem Aegypti, apud Syncell. *pag.* 40. Quin & scripsit ille in Aegypto, & ad Regem Aegypti, & ex Libris

[a] *Cap.* 18.

bris depositis ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγύπτου, *in adytis* seu *penetralibus sacrorum Aegypti.* Quod si ergo exteriora hæc spectemus, unde auctoritas quædam apud plerosque oritur, certissimum est, majorem fidei faciendæ speciem habere Libros talis Scriptoris, quam narrationes Herodoti ab incertis Sacerdotibus acceptas. Accedit, quod hic ipse Manetho, qui post Herodotum scripsit, eum teste Josepho *lib.* 1. *contra Apion. p.* 1039. *in multis arguat* & confutet, *ut deceptum rerum Aegyptiacarum ignorantia:* sed &, quod Diodorus Siculus similiter sua hausisse se declaret *lib.* 1. *p. m.* 42. ab Sacerdotibus Aegyptiis, & tamen pleraque ab Herodoto diversa tradat, immo & ipse Herodotum accuset, ut qui *veritati consulto prætulerit* τὸ παραδοξολογεῖν, καὶ μύθους πλάττειν ψυχαγωγίας ἕνεκα, *paradoxarum*, seu *incredibilium*, *narrationum & fabularum commenta oblectandi gratia referre*, atque ideo, quæ ab illo & similibus tradita sint, se omissurum dicat *pag.* 44. Denique paucos Herodotus nominat Reges, ac duos tantum, Menem & Mœrin, ante Sesostrin: sed & sequentium Regum plerosque Alios refert, vel certe Aliis nominibus, quam in Dynastiis Manethonis reperiuntur. Ab S. quoque Scriptura in temporibus Sennacheribi, & dein Nebucadne-

N 4 zari,

zari, multum recedit, dum nullam prorsus Taraci, ac dein Aegypti a Nebucadnezare vastatæ & occupatæ, facit mentionem.

Chronologia quoque ejus falsissima est. Nam a Mene usque ad Sesostrin 330. Reges fuisse ait *lib.* II. *cap.* 100. vel ad Sethonem Sennacheribi tempore 341. Reges, ac totidem generationes, quæ conficiant tempus annorum 11340. ut nos docet *cap.* 142. Major hæc est summa, quam ut ferri queat, quum abs Diluvio usque ad Alexandrum M. ex S. Scriptura, etiam ex Græcæ Versionis Chronologia, anni tantum 2876. effluxerint. Vult itaque Doctiss. Stillingfletus *Orig. Sacris* I. 5. hanc summam annorum redigi ad Menses, secutus in eo præeuntem sibi Jac. Cappellum in *Historia Sacra & Exotica* ad *Annum Mundi* 3282. Redigunt ergo illi istam Herodoti summam in annos Julianos 931. quorum initium repetunt a Mephre, atque ita arbitrantur se huic Herodoti traditioni quandam veri speciem addidisse. Atqui initium hujus summæ Herodotus *cap.* 142. deducit non a Mephre, qui est Quintus Dynastiæ XVIII. Rex, sed ab omnium *Primo Rege*, qui fuit *Menes*, ut diserte tradit *capp.* 4. & 99. & 100. ubi etiam 330. Reges a Mene ad Sesostrin exstitisse ait. Deinde nimis exigua illa foret anno-

annorum ſumma ad repetendam inde Regum *Aegyptiorum* primam originem, quum iſtius ſummæ initium incidat in illud tempus, quo Iſraëlitæ jam habitarunt in Aegypto. Quod quum Viri doctiſſimi ſatis ipſi intelligerent, idcirco iſtius ex Herodoto ſummæ initium non cum ipſo Herodoto a Mene ſeu *Primo Rege*, ſed a Mephre ſuo arbitratu repetunt.' Denique certiſſimum eſt, Herodotum hic intellexiſſe veros annos; ſiquidem tradit a primo Rege usque ad Sethonem, non tam Annos, quam 341. Γενεὰς ἀνθρώπων, *Generationes Hominum*, & *totidem Reges* ac *Pontifices*, interceſſiſſe, quod ipſum tamen parum videtur veriſimile. Annos autem ſuos colligit ille tantum ex iſtis *Generationibus*, quarum tres conficiant 100. annos, & ita ex 341. Generationibus oriri Annos 11340. (malim 11360.) affirmat. At vero ſecundum hanc Virorum Doctiſſ. interpretationem γενεὰ ἀνθρώπων, una *hominum Generatio*, contineret tantum dies Mille, h. e. ne tres quidem integros annos Julianos, quod utique eſt abſurdiſſimum. Adde quod ſinguli Reges & ſinguli Pontifices in illo temporis ſpatio æquiparantur iſtis Hominum Generationibus, atque ita ſinguli munus ſuum geſſiſſent tantum per tres, neque integros, ut dixi, an-

 nos,

nos, quod itidem a verisimili est alienissimum. Relinquenda ergo Herodoto sua Chronologia, licet falsissima. Juvari tamen illa rectius ac certius haud dubie poterit in numero annorum, quos inter Sabaconem & Amyrtæum interponit *lib.* II. *cap.* 140. Nam ibi inter Sabaconem & Anysin, quos in tempora Senacheribi, vel Hiskiæ aut Achazi, confert, & Amyrtæum, qui sub Dario Notho vixit, & a Persis defecit, ἔτεα πλέω ἢ ἑπτακόσια, *annos plures quam* 700. effluxisse tradit. Atqui intervallum hoc est tantum annorum paulo plus quam *trecentorum*. Videtur ergo pro ἑπτακόσια legendum istic τριακόσια, vel forsan potius totum comma delendum, quod fastidiosæ est tautologiæ. Verba sunt, ταύτην τὴν νῆσον ὐδεὶς πρότερον ἐδυνάσθη Ἀμυρταίυ ἐξευρεῖν, ἀλλὰ ἔτεα ἐπὶ πλέω ἢ ἑπτακόσια ὐκ οἷοί τε ἦσαν ἀνευρεῖν οἱ πρότεροι γενόμενοι Βασιλῆες Ἀμυρταίυ. Quid diversi hic in posteriore commate dicitur? quid; quod in priore jam dictum non fuit, nisi unum illud, quod falsum est, de Numero Annorum? Quapropter Ego quidem, si meo res arbitrio permitteretur, totum hoc comma ineptæ tautologiæ, tanquam ex glossemate imperiti hominis ortum, penitus expungerem.

Quæ vero Conringius adfert ad faciendam

dam Herodoteis fidem, maxime in rebus ab Sesostris ætate ac deinceps gestis, alienissima sunt & certissimi erroris. Nam & ille Sesostrin accipit pro Sisaco, Rehabeami Hoste, quod satis superque supra jam refutavimus. Dein valde miror, quod Iliaca tempora demittat in mediam ætatem Regum Judæorum, & usque ad Didonis Carthaginiensis seu Tyriæ Historiam, quia scil. Rex Aegypti Proteus, ad quem venerit Paris, vixerit post Sesostrin, atque adeo post Rehabeamum, & Virgilius Aeneæ congressum & Didonis, tanquam æqualium, referat. Sed hæc tam manifeste falsa jam supra *Cap.* VIII. *in extr.* refutavimus. Ea vero, in quibus Herodotus aliquid habet Historiæ Sacræ consentaneum, incipiunt demum a temporibus Senacheribi & Hiskiæ, & vel sic multum quoque discrepantiæ continent, ut paulo ante jam diximus. Sed hæc excedunt fere Chronologiæ illius obscuræ & intricatæ fines, in qua superiora potissimum tractantur & investigantur, atque ea, quæ Herodotus ab solis se Aegyptiis Sacerdotibus accepisse narrat, & ideo ipse a posterioribus, ut quæ etiam aliunde cognosci potuerint, distinguit. Ipse autem Conringius ea, *quæ ante Sesostrim contigerunt, videri Herodoteos illos Aegyptiorum Sacerdotes ignorasse*, diserte affirmat.

mat. Sesostridis vero ætatem ignorat Conringius. Superest ergo, ut nihil certi, aut probabile, ad Chronologiam Aegypti constituendam ante tempora Hiskiæ vel potius Josiæ, neque ex Herodoto haurire possimus, vel certe hauserit Conringius.

Videamus nunc Diodori quoque Chronologiam vel Seriem Aegyptiacam ex ejus *Libro primo.* Tribuit ille *p.* 28. D. Diis quoque & Heroibus imperium per 18. millia annorum; hinc per Homines regnatum ait annorum 15. millibus usque ad suam (Diodori) ætatem. Reges autem Homines, fuisse Indigenas, Viros 470. Feminas quinque. Tum Aethiopas quatuor, annis 36. Persas annis 135. Macedonas annis 270. Verum magnam esse in Chronologicis hisce incertitudinem vel ex ipso liquet Diodoro, quando diserte profitetur maximam Scriptorum hisce in rebus discrepantiam, dum *lib.* 1. *pag.* 13. D. *Annos* scribit *ab Osiride & Iside usque ad Alexandrum M. numerari plus decies mille, ut vero nonnulli tradant, paulo minus ter & vicies mille.* Similiter *pag.* 40. A. Pyramides a Chemmi exstructas ait, atque *inde usque ad sua tempora effluxisse annos non minus quam mille, ut vero nonnulli scribant, plus quam* 3400. Vide, quam longe

ge ab se invicem illi Scriptores abeant. Nec tamen tantam controversiam decidere audet *ipse* Auctor, scilicet quia nihil habebat principii, cui fideret. Licet enim minorem annorum summam in Historiam ipsam videatur recepisse, tamen in medio reliquit majorem, nec rejicere est ausus. Sed & ipsa illa minor summa, quam prætulisse videtur, convenit nullo modo cum illis *quindecim millibus annorum*, quæ tribuit *Hominum* regno; siquidem Osiris & Isis inter Deos & simul Reges Aegyptiorum vel celeberrimi exstiterunt, & parentes Hori, qui *Deorum ultimus* (ὕστατος τῶν Θεῶν) *regnavit*, ut ait Diodorus *pag.* 15. D. Si ergo ab illis numerantur tantum *Decem millia* annorum, non possunt *Quindecim* solis tribui Hominibus. Similiter de Hercule Aegyptio *pag.* 14. Eum ait longe antiquiorem Græco Hercule: exstitisse enim κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν τῶν ἀνθρώπων, *quando Homines primum sunt orti*; ab eo autem tempore *apud Aegyptios numerari* ἔτη πλείω τῶν μυρίων, *plus quam decem millia annorum*. Debuisse itidem longe plura inde numerari, si Homines Reges per xv. Millia tenuissent Aegyptum, per se patet. Accedit his, quod *pag.* 44. B. refert Aegyptios plurimas artes ab se inventas jactare, ejusque rei maximam esse de-

demonstrationem, *quod Aegypto plus quam 4700. annis præfuerint Reges*, οἱ πλεῖστοι ἐγγενεῖς, h. e. *longe maximam partem indigenæ*. Atqui plusquam altero tanto pluribus annis præfuerunt: sed & *pag*. 29. A. diserte ipsi Reges indigenæ dicuntur apud Diodorum ante Persarum imperium fuisse 470. numero, præter quinque feminas, & quatuor peregrinos seu Aethiopas. Nimis ergo exiguus videtur esse ille Annorum numerus tot Regibus, & toti insuper vulgatæ Aegyptiorum, immo ipsius Diodori, Chronologiæ, qui, ut diximus, xv. millia tribuit illis Regibus indigenis, additis tamen in hanc summam etiam exteris, a Cambyse usque ad Ptolem. Auleten, sed quod intervallum ne quingentos quidem annos explet. Videtur itaque locus hic esse corruptus, & certe adjecta versio ab Græcis verbis recedit. Verba sunt, τὸ τῆς Αἰγύπτου πλείω τῶν ἑπτακοσίων καὶ τετρακισχιλίων ἐτῶν βασιλεῦσαι τοὺς πλείους ἐγγενεῖς. Vertitur, *quod ultra quater mille & Septingentos Reges indigenæ Aegyptum gubernarint*, ubi vocem ἐτῶν, *annorum*, plane neglectam & omissam videmus. Mallem & Ego eam in Græcis omittere, ac porro legere, τὸ τῆς Αἰγύπτου πλείους τῶν ἑβδομήκοντα καὶ τετρακοσίων βασιλεῦσαι, καὶ τούτους ἐγγενεῖς, *gubernasse Aegyptum plus quam* 470.

470. *Reges, eosque indigenas*. Sic certe cum altero Diodori loco *pag.* 29. A. hic ipse sic satis congrueret. Sed tamen, quum tam incerta sit & dissona Aegyptiorum Chronologia, mutare nihil absque MStorum ope ausim.

Sed & illa xv. Millia *paginæ* 29. A. toties jam memorata corrigit Jac. Cappellus in *Hist. Sac. & Exot. ad An. M.* 1682. & ita quidem, ut summam illam redigat in IX. Millia & quingentos annos, qui definito istic spatio revera magis videntur accommodati. Quando ergo editur in Diodoro, ὑπ' ἀνθρώπων δὲ τὴν χώραν βεβασιλεῦσθαι φασὶν ἀπὸ μυριάδος ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν πεντακισχιλίων, μέχρι τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ille pro πεντακισχιλίων legit πεντακοσίων, & exponit *annos circiter novem millia quingentos*. At vero, si maxime admitteremus hanc emendationem, sensum tamen istum, licet eum adoptet quoque Stillingfletus, minime ferrent Græca verba. Nam ἀπὸ notat hic terminum, a quo numerandum est ulterius, non retrorsus. Hinc sæpe ei respondet μέχρι, ut apud Aelian. V. H. II. 38. οἱ ἀφ' ἥβης μέχρι πέντε καὶ τριάκοντα ἐτῶν h. e. *qui jam puberes sunt, usque ad* XXXV. *annos*, seu qui a pubertate usque ad illos annos progrediuntur. Lucas in *Actis Apostol.* X. 30. ἀπὸ

τε-

τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων. Ezræ IX. 7. ἀπὸ ἡμερῶν πατέρων ἡμῶν ἐσμὲν ἐν πλημμελείᾳ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Et ſic paſſim ſimpliciter ἀπὸ τότε, *ab illo tempore*, ἀπὸ δείπνου, *poſt cœnam*. Similiter ergo ἔτη ἀπὸ μυριάδος ſunt *anni excurrentes a decem millibus*. Deinde vero haud facile dicerent Græci *annos fere quingentos infra myriadem*, ἔτη ἀπὸ μυριάδος βραχὺ λείποντα τῶν πεντακοσίων, ſed potius ἔτη μυριάδος λείποντα ὡσεὶ τοῖς πεντακοσίοις. Nam βραχὺ nullum habet locum, quando certus numerus exprimitur, qui deeſt majori ſummæ, ſed ſemper reſpicit illam ipſam, cui pauxillum quid deeſt. Sed & dativo exprimi ſolet in hac conſtructione illud ipſum, quod deeſt. Videamus hæc omnia apud ipſum Diodorum *pag*. 4. B. ἀπὸ δὲ τῶν Τρωικῶν τίθεμεν ὀγδοήκοντα ἔτη πρὸς τὴν κάθοδον τῶν Ἡρακλειδῶν: ἀπὸ δὲ ταύτης ἐπὶ τὴν πρώτην Ὀλυμπιάδα δυσὶ λείποντα τῶν τριακοσίων καὶ τριάκοντα, h. e. *duobus minus quam* 330. *anni*. Et mox ibidem dicit opus ſuum continere ἔτη δυσὶ λείποντα τῶν χιλίων ἑκατὸν τεσσαράκοντα, h. e. *annos, in quibus duo deſunt de* 1140. *annis*. Sed & hoc ipſo in loco, in cujus ſenſu indagando nunc hæremus, Diis & Heroibus tribuuntur ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν μυρίων καὶ ὀκτακισχιλίων, *anni paulo minus quam* XVIII. *Millia*. Manifeſtum

ſtum ex his, quo ſenſu Diodorus adhibeat illud Ἀπό; dein quo caſu exprimat id quod deeſt; denique quando id exprimit, quam alienum tunc ſit illud Βραχύ. Quod vero eam vocem referat unice ad ſummam, cui quid detrahendum, liquet etiam ex *pag.* 13. D. ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν δισμυρίων καὶ τρισχιλίων, h. e. *annos paululum infra* 23000. *annorum ſubſiſtentes.* Nihil ergo neque in illo *paginæ* 29. loco, quando Græca Diodori verba conſidero, mutare, neque in iſtum, quem volunt Cappellus & Stillingfletus, ſenſum flectere ea velim: licet ipſa ſumma 9500. annorum longe magis mihi arrideat, quam illa xv. millium, quæ vulgatæ eſt lectionis, tantoque magis, quoniam XVIII. millia, quæ Diis tribuuntur, & xv. quæ Hominibus, valde exſuperant ſummam XXIII. millium, quam ab Sole Deorum primo, vel etiam, ſecundum nonnullos, ab Oſiride, quem pro Sole illi videntur habuiſſe, usque ad Alexandri M. tranſitum in Aſiam, Aegyptii Sacerdotes computabant, ut ait Diodorus *pag.* 15. quamvis tamen eandem ſummam etiam illi ipſi 9500. anni, additi XVIII. millibus, ſatis itidem exſuperent. Ceterum quod iidem Doctiſſimi Viri eos 9500. annos inſuper accipiant pro Menſibus XXX. dierum, atque adeo redigant ad

annos Julianos 780. id vero alienissimum est abs tota Diodori narratione & Chronologia.

Incipit enim & ille ab Mene, qui secundum communem sententiam antiquior fuit Abrahamo. Jam vero ab Abrahami profectione in Cananæam usque ad expeditionem Alexandri in Asiam computantur anni plus minus 1500. qui longe utique exsuperant Cappelli & Stillingfleti annos 780. Sed & longissimam Diodorus Seriem deinceps texit Γενεῶν & Regum, quorum tempus longe iterum excedere debuit illos 780. tantum annos. Nam *Meni* (ἀπογόνους) *posteros* tribuit 52. qui regnarint annos 1400. Huic familiæ *Busiridem*, quem frustra quæras in Manethone, & quem alii exstitisse unquam negant (Vide ipsum Diodorum *pag*. 56. A. & Strabonem *lib*. XVII a) successisse addit, ejusque *posteros* fuisse *octo*, quorum ultimus fuerit *Busiris* II. qui condiderit Thebas. Hujus iterum *octo* fuisse *posteros*, & octavum *Uchorea* condidisse Memphin. Ejus Nepotem & Successorem fuisse *Aegyptum*. Deinde *duodecim* γενεαῖς post, tenuisse Regnum *Myrin*. Tum demum, sed *septem* iterum γενεαῖς post, exstitisse *Sesosin*, illum ipsum, quem Hero-

a Pag. 802.

rodotus & alii *Sesostrin* dicunt, & qui IX. annos impenderit orbi terrarum domando, ac deinde XXXIII. annos insuper regnaverit. Successisse ei Filium cognominem, post quem, *multis γενεαῖς* elapsis, *Amosin*, Regem crudelissimum, gravissimam exercuisse tyrannidem, sed qui victus fuerit ab Aethiope *Actisane*, Regnum Aegypti deinceps obtinente. Post ejus vero mortem Aegyptios Regem elegisse *Mendem* vel *Marum*, qui Labyrinthum fecerit, cujus instar Daedalus *postea* in Creta Minoi exstruxerit. Post illius porro fata in *quinque* usque γενεὰς fuisse Anarchiam, ac deinde demum Regem iterum designatum, quem Aegyptii *Ceten*, sed Graeci *Protea* vocaverint; Hunc floruisse temporibus *Belli Trojani*, eique successisse Filium, *Remphin* dictum, quem Herodotus II. 121. *Rampsinitum* vocat. Post hunc usque in *septem γενεὰς* fuisse Reges prorsus ignavos & luxuriosos, quorum nullum memorabile factum in Sacris Aegyptiorum commentariis exstet, nisi quod unus inter eos *Nileus* Fluvio nomen dederit. *Octavum* autem exstitisse *Chemben* vel *Chemmin*, Memphiten, qui 50. annnos regnaverit, & maximam Pyramidem exstruxerit. Successisse ei Fratrem, vel, quod verisimilius, Filium, *Cephren*, qui & ipse 56. an-

nis regnum tenuerit, & secundam Pyramidem fecerit. Ei vero *Mycerinum*, quem nonnulli *Cherinum* vocent. Post hosce Reges excepisse Regnum *Bocchorin*, Virum Sapientem, at πολλοῖς ὕστερον χρόνοις, *multis temporibus post*, regnavisse in Aegypto *Sabaconem* Aethiopem, qui regnum tandem indigenis reddiderit, & in Aethiopiam redierit. Exstitisse tunc in Aegypto per 2. annos *Anarchiam*, dein XII. Nomarchas, vel Reges, simul divisam inter se regionem per 15. annos tenuisse, sed quos vicerit ac potestate omni exuerit *Psammetichus* Saites, qui Græcis & exteris omnibus Aegyptum aperuerit, & tutam in ejus portus præstiterit navigationem. Post hunc *quatuor* γενεαῖς, regnasse annis XXII. *Aprien*, quem dejecerit *Amasis* regnans LV. annis usque ad Cambysis Persæ tempora.

Habemus in his nullam annorum Seriem, aut certam Chronologiam, neque vero continuam Regum aut Γενεῶν successionem, siquidem bis incerto numero, primum *Multas* γενεὰς inter Sesostris Filium & Amosin elapsas, ac dein *multis temporibus* post Bocchorin Aegyptiis præfuisse Sabaconem ait. Sed & incertum, quid proprie Diodoro sit Γενεά. Nam singulas ille quidem γενεὰς pro singulis Regibus, qui

qui alter alteri successerit, ponit, dum Protei Filio successores tribuit Reges ignavos usque in septem γενεὰς, & dein continuo *Octavum Regem* nominatim subjicit. Manifestum ergo septem γενεὰς esse septem Reges. Neque aliter accepisse videtur eam vocem, quando post Psammetichum, & *quatuor* quidem γενεαῖς post, Aprien fuisse Regem ait. Nam licet inter Psammetichum ac Aprien, non tres aut quatuor Reges sint interjecti, sed duo tantum, *Necho* & *Psammis* vel *Psammuthis*, secundum non Africanum modo & Eusebium ac Syncellum, sed & Herodotum, haud aliter tamen Diodorus potest exponi quam de tot Regibus, quorum ipse Psammetichus fuerit primus, at Apries quartus. Plane uti apud Isocratem in *Busiride p.* 334 [a]. Hercules dicitur Perseo itidem τετράσι γενεαῖς νεώτερος, *quatuor ætatibus Junior*. Hæ quatuor γενεαὶ sunt ipse Perseus, Alcæus, Amphitruo, Hercules. Sed & alibi Diodorus pro *Hominum æqualium Aetate* hanc vocem manifeste prorsus adhibuit. Ita enim Herculem *p.* 14. D. floruisse ait γενεᾷ πρότερον τῶν Τρωικῶν, h. e. *una hominum ætate ante B. Trojanum*. Nempe Hercules vicit & occidit Laomedontem, Patrem Priami, sub quo bellum id gestum est, & Socios habuit Thesea ac Te-

[a] Haud procul *a fin.*

Telamonem, quorum Filii Demophoon & Ajax Telamonius huic Bello interfuerunt, atque adeo æqualis fuit eorum, qui Patres exstitere illorum, qui Bellum hoc gesserunt. Et ita passim γενεαὶ ἀνδρῶν, γενεαὶ ἀνθρώπων, de *ætate Hominum, qui eodem tempore vixerunt*. Sed & pro *Hominis unius Aetate & tempore*, *Actor*. XIII. 36. Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ἐκοιμήθη, *Nam David quidem sua Aetate mortuus est*, seu illa Aetate Hominum, in qua vixit, quæ proinde ipsius etiam erat ætas. At vero quando absolute ponitur sine ulla ad certos aut singulos homines relatione, tum vero significat quidem etiam *Hominum eodem tempore viventium Aetatem*, sed talem, quæ *certo temporis spatio aut certo annorum numero*, quem directe tunc notat, *vulgo definitur*, ut definivit Herodotus II. 142. Τριηκόσιαι μὲν ἀνδρῶν γενεαὶ δυνέαται μύρια ἔτεα. Γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν, ἑκατὸν ἔτεά ἐστι. *Trecentæ Hominum Generationes faciunt decem millia annorum: tres enim Generationes Hominum sunt centum anni.* Et tamen idem etiam de *singulis Hominibus* vel *Regibus* sine ulla certi temporis significatione eam vocem adhibet. Habemus utroque sensu eam uno & notabili in loco *Lib*. VI. *cap*. 98. ἐπὶ γὰρ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, καὶ Ξέρξεω, καὶ Ἀρτοξέρξεω, τριῶν τουτέων ἐπεξῆς γενεέων ἐγένε-

το

το πλέω κακὰ τῇ Ἑλλάδι, ἢ ἐπὶ εἴκοσι ἄλλας γενεὰς, τὰς πρὸ Δαρείου γενομένας. *Sub Dario enim Hystaspis, Xerxe, & Artaxerxe, tribus bis consequenter ætatibus, plura mala evenerunt Græciæ, quam xx. aliis ante Darium ætatibus.* Ubi eadem hæc vox prius notat ipsos Reges & eorum Regna, nullum certum temporis spatium; at dein nullos, ut videtur, certos Homines, sed communem Hominum unius ævi Aetatem, quæ certo temporis spatio ab Herodoto, ut vidimus, est definita. At alii Scriptores γενεὰν spatio xxx. annorum simpliciter exponunt, alii aliter. Vide Ryckium de *Primis Italiæ Colonis cap.* 4. & Alios. Ad tale spatium, sed incertum nobis, referri debet, quod Diodorus *pag.* 39. B. in hac Chronologia ait Anarchiam fuisse ἐπὶ γενεὰς πέντε, ubi non Successio singulorum Hominum, quæ nulla tunc fuit, sed communis Hominum pariter viventium Aetas, sive illam xxx. ut plerique, sive paulo plurium aut pauciorum annorum limitibus circumscriptam voluerit, designatur.

Ceterum satis ex hisce omnibus patet, Diodori hanc Seriem tot Regum & tot Γενεῶν respuere minorem illam summam 780. annorum, quam Cappellus & Stillingflotus nobis obtrudunt; sed neque

aſcendere ullo modo ad xv. Millia annorum, quæ ipſe Diodorus memorat, & Regibus Hominibus tribuit. Etenim ſi computemus ſingulos Reges, Menis, & Primi ac Secundi Buſiridis, ἀπογόνους, ac dein tot Γενεὰς, habebimus 118. Reges usque ad Cambyſen præter illas incerti numeri *multas* Γενεὰς, quas inter Seſoſtris Filium & Amoſin ſtatuit, ac præter *multos* χρόνους, quos inter Bocchorin & Sabaconem interponit, ac præter Anarchiam & xii. Regulorum imperium poſt Sabaconem. Quæ omnia, ſi maxime ſingulis Regibus & Γενεαῖς tribuamus tantum xx. annos, longe exſuperant duo millia annorum usque ad Cambyſen, quum illi 780. extendantur usque ad ipſum Alexandrum M. cujus expeditio in Aſiam 191. annis ſerior etiam eſt illa Cambyſis in Aegyptum. At contra, quantumcunque, modo non abſurdum aut ridiculum, tribuamus ſpatium ſingulorum Regum Regnis, & illis Γενεαῖς, ſive xxx. annorum, ſive etiam paulo plurium, immo ſi maxime Γενεὰς, quæ xxxv. numero hic exprimuntur, accipiamus pro ipſis centum annorum ſæculis, non poſſumus tamen hinc elicere ingentem illum xv. Millium annorum numerum. Sciendum tamen, non ſemper proximos fuiſſe Succeſſores, qui prioribus ſucceſſiſſe le-

gun-

guntur. Certe apud Diodorum inter Menem & Myrin non reperimus plus quam LII. Menis posteros, & Busirin cum XVI. posteris, ac dein XII. γενεὰς, at apud Herodotum II. 100. dicuntur Aegyptii Sacerdotes, inter Eosdem illos Reges, 330. Regum nomina recensere. Contra Herodotus Sesostris Filio proximum (τούτου ait *cap.* 112. ἐκδέξασθαι τὴν βασιληΐην) dat Successorem Protea, at Diodorus interponit primum *multas* illas γενεὰς, dein Amosin, Actisanem, & Mendem, denique iterum quinque γενεὰς. Similiter Herodotus *cap.* 124. post Rampsinitum Protei F. regnasse Cheopa ait, at Diodorus septem Γενεὰς seu Reges interponit. Adeo illi discrepant! Quid ergo? Agnoscamus, quod verissimum est, nihil certi aut speciosi neque ex Diodoro nos habere ad Chronologiam Aegyptiorum per suos annos recte ordinandam, omniaque Aegyptiorum Chronologica antiquissimi illius temporis esse dubia, confusa, incerta, discrepantia, in Diodoro æque ac in aliis, & in aliis æque ac in Diodoro.

CAP. XII.

Viri Doctissimi Aegyptiacos Reges, licet incertissimæ sint ætatis, ad certos tamen *referunt annos in Chronicis suis Canonibus. Præivit illis* Eusebius, *cujus Chronologia Aegyptiaca refutatur. Sequitur Eum fere* Jac. Cappellus, *sed qui itidem refutatur, ut &* Usserius. *Moses, & Rex Aegypti Amosis, referuntur a Veteribus ad Inachi tempora. Israëlitæ non exierunt ex Aegypto sub* Amenophi. *Suppositus hic & confictus videtur Rex a Manethone, qui æque ac alii Ethnici absonam Leprosorum fabulam de Judæorum origine ex Aegypto commenti sunt, eamque ad tempora valde sera rejecerunt.* Nic. Abrami *sententia de Pharaonibus, qui Israëlitas in Aegypto afflixerint, examinatur & refutatur. Explicantur verba Mosis* Exodi *II.*

II. 23. Reges ultimi Dynastiæ XVIII. *& Primi Dynastiæ* XIX. *valde sunt suspecti, tanquam iidem, & bis repetiti. Recte Josephus Fabulam Manethonis de Amenophi, sub quo Israëlitæ ex Aegypto ejecti fuerint, rejicit. Pluribus illa refutatur. Sesostris neutiquam fuit Unus aut Primus illorum Regum, qui Israëlitas in Aegypto oppresserunt.*

Quis ergo non miretur, Viros tamen Doctissimos passim in Chronographiis suis adscribere certos semper annos singulis antiquissimorum Regum, & de paucorum annorum discrepantia alios aliquando refutare vel corrigere, quum pariter nullis idoneis aut probabilibus nitantur principiis? Præivit nostri temporis Hominibus Eusebius, qui, sicuti ante eum Africanus, multique alii, ad certos Mundi, vel etiam Diluvii, annos retulerunt illustres maxime Reges & eorum res gestas, sic & ipse illos, ut & Manethonis Dynastias, per suos annos singulatim in suo *Chronico Canone* digessit, incipiens a Dynastia XVI. cujus initium, seu primum an-

annum, cum primo Abrahami anno comparat. Inde progreditur ad Dynastiam XVII. quæ est Pastorum, & ejus initium confert in annum XXX. Jacobi. Tum denique ad Dynastiam XVIII. pervenit, cujus Reges eorumque annos nominatim memorat & numerat, atque ita Amosin primum istius Dynastiæ Regem ad XII. Josephi annum refert, sicuti exitum Israëlitarum ex Aegypto in Regnum Undecimi istius Dynastiæ Regis, Cencheris, conjicit: sed quod Syncellus *pag.* 72. ab solo Eusebio tradi ait, μηδενὸς αὐτῷ λόγου μαρτυροῦντος, ἀλλὰ καὶ πάντων ἐναντιουμένων τῶν πρὸ αὐτοῦ, *nullo ipsi Scriptore suffragante, sed omnibus plane antiquioribus ei adversantibus.* Probat ergo Eusebius, & sequitur Dynastias Manethonis, sed ita, ut XV. priores Dynastias, quarum initium a Mene, primo Homine Rege in Aegypto, repetitur, referat ad tempora ante Abrahamum, quod ipsum a vera & Sacra Chronologia quam maxime abhorret. Nam quum Dynastias Manethonis habeat quoque pro successivis, ut ex ipso hoc ejus *Canone* liquet, ita XV. illæ Dynastiæ ascenderent longe ultra ipsam Mundi ætatem. Deinde sub Amosi primo Dyn. XVIII. Rege, plerorumque Veterum consensu, vel sub Misphragmuthosi, Sexto ejusdem Rege, ex sententia

Syncelli, exierunt ex Aegypto Iſraëlitæ. At Euſebius Amoſin longe antiquiorem facit, nulla ejus rei ratione nobis data. Quapropter quum nullius idoneæ auctoritatis fundamento hæc ſint ſubnixa, cauſæ nihil eſt, quo minus Euſebii in Aegyptiacis Chronologiam, a reliquis diſſentientem, nec tamen ullis rerum documentis probatam, prorſus rejiciamus. Sicuti eam Nicol. quoque Abramus in *Pharo*, *lib.* VIII. *Sect.* 4. 8. & 17. ſatis jam refutatam dedit.

At ex Noſtri jam temporis Hominibus Jac. Cappellus *Hiſt. Sac. & Exot. An. M.* 2269. acriter quidem increpat Manethonem, ut *mendaciorum loquaciſſimum*, *& nugivendulum Canopi vernam*, nihilo tamen minus Reges Aegypti ex illis Dynaſtiis memorat, ſecutus Euſebium, a quo tamen IX. annis diſcrepare ſe profitetur, quaſi non in mediis tenebris, ſed in clara Temporum luce verſaretur, unde poſſet *novem annorum* error caſtigari & convinci. Rejicit ergo tanquam *fabuloſas* priores XVII. Dynaſtias, licet Euſebius Sextam Decimam & Septimam Dec. æque ac Sequentes, in ſuum *Canonem* receperit, & per ſingulos ordinaverit annos. Incipit autem ſubito ab Dynaſtia Duodeviceſima, & ejus primo Rege Amoſi, qui vixerit

&c

& regnaverit, quando Josephus, & dein Jacobus cum sua familia, venerit in Aegyptum. Definit autem Aegyptios Reges post exitum Israëlitarum, quem refert itidem, ut Eusebius, ad tempora Cencheris (Vide Eum ad *An. M.* 2485.) ordine suo deinceps recensere. Quare hæc omnia? Scilicet *ut Historiæ Sacræ* (sic loquitur A. 2269.) *Seriem hanc aptet:* quod tamen nusquam facit, nusquam ex Historia Sacra Seriem hanc probans, aut ex ea Serie illam vicissim illustrans. Immo e contrario cogitur ille per hanc suam Seriem annos septem sterilitatis Aegyptiacæ duos inter Reges Amosin & Chebronem dividere, cujus nullum vel minimum vestigium in S. reperitur Historia. *Sequentium* vero post Cencherem *Aegypti Regum Seriem contexere non* judicat ad A. 2485. *operæ pretium, quum nihil commune habeant cum Historia S. neque quidquam certum aut relatu dignum de iis compertum habeamus:* quum utique neque priores istius Dynastiæ Reges quidquam vel minimum repeperiantur apud ipsum, *commune cum Historia S. habuisse*, neque *quidquam* ille *de iis certum aut relatu dignum sibi compertum*, nobis ostenderit. Quis hæc non admiretur quærens, quo jure, quo fine, qua fide, cui bono, illos Reges ad istos ergo annos retulerit?

Et

Et tamen sequitur eum fere Usserius, sed qui jam a Dynastia XVII. quæ est Pastorum, incipit res Aegypti memorare, reliquis XVI. Dynastiis prætermissis. At vero refert ille adventum Pastorum ex Arabia in Aegyptum, ubi Memphin occupaverint, & totam regionem sibi subjecerint: sed & primos tres eorum Reges collocat jam ante natum Abrahamum, qui tempore Apophis, Regis quarti, adolescens fuerit 18. annorum, quem tamen Apophin Syncellus *pagg.* 62. 63. 69. Josephi demum tempore regnasse omnium veterum consensu, tradit. Vide Usser. *An. M.* 1920. 1939. 1983. 2008. 2020. Progreditur deinde ad Dynastiam XVIII. cujus primum Regem Amosin, vivente adhuc Abrahamo, Pastores ex Aegypto expulisse ait A. M. 2179. Rationem hanc unam rei tam absonæ allegans, quod Ptolemæus Mendesius, Sacerdos Aegyptius, & Apion Polyhistor, tum Judæi, Josephus & Justus, denique Christiani, Tatianus, Justinus, Clemens Alex. & Africanus, Amosin vicisse & ejecisse Pastores affirment *temporibus Inachi Regis Argivorum*, quem ipse ad hæc Abrahami & Isaci tempora refert. At quæ hæc est ratio ad constituendam idcirco talem Amosidis ætatem, quum iidem illi Scriptores Amosidi & Inacho palam

palam tertium addant, ipſum Moſem, ut iis æqualem? Nam diſerte apud Tatianum §. 59. Ptolemæus ille, in Libro, quo Regum res geſtas expoſuerit, *dixiſſe* fertur, κατ᾽ Ἄμωσιν βασιλέα Αἰγύπτου γεγονέναι Ἰουδαίοις φησὶ τὴν ἐξ Αἰγύπτου πορείαν, Μωϋσέως ἡγουμένου, *ſub Amoſi Rege Aegypti factam a Judais ſuam ex Aegypto profectionem, Moſe eos ducente:* addito dein, ὁ δὲ Ἄμωσις ἐγένετο κατ᾽ Ἴναχον βασιλέα. Eadem Clemens Alex. *Stromat. lib.* I. *p.* 320. qui illis recte ſubjicit, ἐξ ὧν συνάπτεται, κατὰ Ἴναχον ἠκμακέναι τὸν Μωσέα, *ex quibus liquet, Moſen floruiſſe temporibus Inachi.* Quin adeo conſtanter & uno conſenſu a Veteribus Inachus Moſi habetur æqualis, ut ipſe Euſebius in *præfatione Chronici Canonis* id Chriſtianos ante ſe & Judæos tradidiſſe profiteatur, eosque *ſingulos ſeparatim ex Veteri Hiſtoria* ejus rei ἀπόδειξιν ὑποσχόντας, ſeu, ut Hieronymus vertit, *Veteris Hiſtoriæ monumenta replicantes.* Nulla ergo ratio eſt, ex hisce tantum Auctoribus Amoſin referendi ad tempora Abrahami & Iſaci, quum illi eum & Inachum pariter ad Moſis ætatem demiſerint.

Sequitur jam ex illo errore, ut Joſephum ergo Uſſerius ſub Misphragmuthoſi collocet, ſed qui mortuus ſit intra ſeptem illos ſterilitatis annos, *An. M.* 2273. Iſraëlitas

litas vero ex Aegypto exiisse tradat sub Amenophi, ultimo XVIII. Dynastiæ Rege, qui in Mari Rubro perierit, & Pater fuerit Sethosis seu Ramessis, istius, quem alii *Sesostrin* & *Aegyptum* dicant, ac Armais seu *Danai*, atque adeo fuerit ille ipse, quem Græci *Belum*, Aegypti & Danai Patrem, vocitent. Vide Eum ad *Ann. M.* 2494. ubi & Josephum incusat, quod *barioletur Amenophin hunc fuisse tertium Dynastiæ* XIX. *Regem.* At vero Josephus totam hanc Historiam rejicit, & ipsum hunc Amenophin, sub quo Judæi exierint ex Aegypto, ait *lib.* I. *contra Ap. p.* 1052. esse ψευδὲς ὄνομα, *falsum nomen*, & ἐμβόλιμον Βασιλέα, *insiticium Regem*, scilicet quia ipse Judæos sub Rege, cujus verum Nomen fuerit *Tethmosis*, Aegypto exiisse censet. Non ergo de suo illum Amenophin refert Josephus *pag.* 1052, 1053. &c. ad Dynastiam XIX. neque hic *bariolatur*, sed ex Manethone, quem unum etiam Usserius vult sequi, illum nobis Amenophin in hac Historia repetit. Hic vero etiam ab Africano ex Manethone in Dynastia XIX. memoratur, & quidem ita, ut successorem habeat Ramessen, quem ipsum & Josephus ex eodem Manethone isti Amenophi Filium & Successorem tribuit. Nihil

itaque rationis video, quare credam Josephum hic potius *bariolari*, quam Usserium, quum uterque sequatur Manethonem, hunc autem viderit Josephus, Usserius non viderit, qui idcirco ab Josepho discedens, simul a Manethone discedit, nullumque habet suæ sententiæ fundamentum, licet *ex Manethonis narratione, apud Josephum* scilicet, *hanc veritatem Historicam clarissime colligi*, temere prorsus affirmet. Sed & alteram veritatem inde colligi addit, Amenophin hunc esse *Belum* Aegypti & Danai Patrem, idque confirmari ex eo, quod Beli tempus ex Chronographia Thalli *cum Amenophis hujus ætate exacte congruat*. Atqui nihil incertius Amenophis istius ætate, quippe quem Usserius ad Mosis tempora refert, alii plerique ad seriora longe demittunt. Quod vero Manetho, ut & Chæremon, Mosen sub Amenophi, & quidem tertio Dynastiæ XIX. Rege, vixisse, & Israëlitas ex Aegypto eduxisse tradiderunt, id vero manifeste satis arguitur ratione temporis, quod Trojano bello nimisquam proximum est, siquidem Ramesses ille Amenophis F. ex ipso Manethone Africani mortuus fuisse videtur quinque tantum annis ante Thuorin, qui ex eodem Manethone istius Belli tempore Rex Aegypti fuit. Sed & mul-

multis eos refutat Josephus *lib.* I. *contra Apion. pag.* 1054. &c. æque ac Lysimachum, qui Mosen ad Bocchoridis tempora, longe etiam seriora, rejecit, in quam sententiam, licet manifestissime falsam, etiam Apion videtur concessisse, in Septimæ Olympiadis annum Primum conferens Hebræorum ex Aegypto exitum. Vide Josephum *lib.* II. *contra Ap. pag.* 1061. Quin & in eam Tacitus *Histor.* V. 3. *Plurimos Auctores consentire* affirmat. Sed hac de re pluribus agemus infra *Capp.* XIX. & XX. Usserius vero dein *An. M.* 2553. vel, ut scribi debebat, 2522. Armais & Sethosios, Amenophis Filiorum, regnum memorat, & ad primos annos Israëlitarum in deserto agentium refert, at dein reliquos Aegypti Reges silentio prætermittit, nisi quod *Sesacum* denuo memoret, & ex eo faciat Sesonchin, primum Dynastiæ XXII. Regem, ac *Soum*, eumque putet fuisse Aethiopem illum, Sabaconem, sicuti *Seuechum*, Sethonem Herodoti. Miror vero Usserium etiam in eo sequi Cappellum, quod, quum jam a tempore ante natales Abrahami Reges Aegypti suis Annalibus ad certos inseruerit annos, dein eos recensere itidem omittat, quum in illis antiquioribus nihil utique habeat aut proferat, quo Historia Sacra illu-

 stre-

ſtretur, & poſterioris temporis Reges debuerint certioris eſſe Chronologiæ, & facilius ac rectius ad certos poſſe annos redigi, quam illi priores, quorum tamen initia & mortem propriis ille annis attribuere audet, ſed ex mera & incertiſſima conjectura. Nihil ergo certi aut ſpecioſi in Aegyptiis habet rebus Uſſerii Chronologia, non magis, quam ulla aliorum, quos jam refutavimus.

Hanc tamen ejus ſententiam ferme Nicol. quoque Abramus in *Pharo Vet. Teſt. Lib.* VIII. tuetur. Nullam quidem ille Chronologiam Aegyptiorum texit, ſed tantum ex media Hiſtoria Sacra Moſaicam arripit, & quærit, quinam illi fuerint Pharaones, qui Iſraëlitas afflixerint, & ſub quo tandem Rege Hi ex Aegypto exierint. Sequitur tamen ille in his non tam Uſſerium, quam Manethonem & Chæremonem, qui ſub Amenophi tertio Dynaſtiæ XIX. Rege Moſen & Hebræos ex Aegypto exiiſſe tradiderunt. Nam, licet eos *impudentiſſime mentiri*, quando Moſen *genere Aegyptium*, & cum ſociis ſuis *leproſum* fuiſſe aſſeverant, immo *frequenter Judæorum odio mentiri* affirmet. *Sect.* 11. & 12. vel ſic tamen fidem illis habendam in Rege, ſub quo exierint, contendit. Sed meris utitur & leviſſimis eam in

rem

rem conjecturis, quarum praecipua Haec est (*Sect.* 9.) Regem illum, sub quo exierint, vix ultra biennium imperium prorogasse, duos autem superiores *centum aut etiam plures annos regnando implevisse.* Nituntur haec uno loco *Exodi* II. 23. *Et accidit in multis illis diebus, & mortuus est Rex Aegypti, & clamarunt Israëlitae ad Deum*, & Deus respexit eos, ac misit Mosen ad educendum eos ex Aegypto. Colligit inde, hunc Regem, qui tunc mortuus dicitur, fuisse mortuum biennio fere, ante quam Hebraei ex Aegypto sunt emissi, atque adeo ejus Successorem, qui in Mari Rubro periit Israëlitas persequens, *vix ultra biennium* tenuisse regnum. Dein quia post *multos dies* mortuus dicitur Rex, ergo Regem hunc diu omnino regnasse censet, aeque ac Usserius. Sed tamen quia grandius est spatium ab nato Mose, usque ad Exitum, quod est 80. annorum, ideo in duos tamen; sed & duos tantum, dividit Reges omne illud tempus, & simul illud, quod praecessit usque in initium afflictionis, antequam nasceretur Moses. Atqui si inadmittenda est talis divisio, neque de uno Rege seu Pharaone possunt accipi, quae dicuntur de Rege Aegypti, non definito, nec distincto in plures, Exodi cap. I. & II. tum utique incertum est prorsus,

in quot ergo Reges dividi debeant ea, & simul amplissimum illud tempus, quod magis convenit in tres vel quatuor Reges, quam in duos. Deinde vero neutiquam est necesse, ut statuamus, Regem illum vixisse tam diu, seu Deum statim post mortem illius, quasi eam exspectasset, remisisse Mosen in Aegyptum. Etenim mortuus dicitur iste Rex non in Fine *multorum illorum dierum*, sed intra eorum spatium. Nempe quum mortuus esset durior ille Rex, & tamen Israëlitæ viderent nullam in partem levari duritiem sui servitii, clamarunt ad Deum, qui tandem exoratus eos respexit, & sic denique Mosen excitavit, & ad eos misit. Laxissima ergo, & Scripturæ S. usitata, hæc est designatio temporis. Certe ratio nulla nos cogit referre hæc ad Primum Novi Regis annum. Longe probabilius est, factam hanc missionem Mosis aliquammultis, Sex, Decem, aut pluribus, annis post prioris Regis mortem. Denique, quod vel præcipuum est, *Multi illi dies* nihil pertinent ad Regnum mortui tunc Regis, sed ad exilium vel fugam Mosis, atque ejus habitationem in terra Midianitarum. Nam, ne dubites, quum præmissa esset paragraphis octo illa Mosis peregrinatio, subjicitur proxime, ויהי בימים הרבים ההם וימת

Et

Et fuit in diebus multis Illis, & mortuus est &c. Quibus *illis?* Nempe *illis*, quibus Moses egit in Midianis terra. Nihil enim aliud est, quo referri possit hoc הָהֵם / *illis*. Egit autem istic Moses annos ferme quadraginta, ut vel ex ætate ejus constat, & ex *Actorum Cap.* VII. ubi diserte *post quadraginta annos* ætatis §. 23. quando prodiit ultro ad suam gentem, & fugit ex Aegypto, *dicuntur alii quadraginta anni* (πληρωθῆναι) *impleti esse* §. 30. quando Deus eum misit in Aegyptum ad Hebræos suos ex illa servitute liberandos. Ad hanc ergo in Madianitide terra mansionem Mosis referuntur *multi illi dies*; neutiquam ad Regnum Regis, qui tunc forte mortuus fuit. Quocirca incassum propter hæc verba Viri Doctissimi quærunt pariter Regem, vel Reges, qui diu prorsus regnarint. Et tamen vel sic parum consentiunt. Nam Usserius ad *Ann. M.* 2427. & 2494. Ramessen Miamûn, cui Manetho apud Josephum tribuit annos LXVI. censet esse illum *Regem Novum, qui Josephum non noverat*, & Israëlitas affligere cœperat, & cujus mors hoc loco refertur, ejusque Filium Amenophin, ultimum Dynastiæ XVIII. Regem, periisse in mari Rubro, non biennio post, sed plus XIX. annis post. Nic. Abramus vero longævos illos

Reges deducit usque ad proximum annum, antequam Israëlitæ exierunt ex Aegypto, & ita Regi, qui in Mari periit, vix biennium concedit.

Putat autem cum Manethone & Chæremone, Hunc fuisse Amenophin illum Dynastiæ XIX. tertium Regem, tanto magis; quoniam duo proximi ante illum Reges, Sethosis & Ramesses, secundum Manethonem apud Josephum, ille LIX. hic LXVI. annis, regnum tenuerint. At vero huic Amenophi a Manethone apud Africanum, non duo tantum, sed XX. tribuuntur anni; sed & apud Josephum dicitur ille fugisse ultro in Aethiopiam, ubi XIII. annos egerit: at iis exactis rediisse in Aegyptum, ac vicisse Hostes, in Syriam usque eos persecutus: ac denique Filio Ramessi reliquisse Regnum. Manifestum ita ex iis, quæ diximus, quam futili fundamento *multorum illorum dierum* nitatur falsa hæc designatio Regis, qui in Mari Rubro perierit.

Sed & hi ipsi Reges, Ultimi Dynastiæ XVIII. & Primi Dyn. XIX. valde mihi sunt suspecti, tanquam iidem, bis positi, & male in diversos distincti, quum utique eadem sint Regum Nomina, idem Ordo, idem denique Spatium Regni, ut liquebit ex subjecta Serie istorum Regum:

Armais annis 4. & *mense uno*, apud Josephum, qui *Armæus Danaus ann.* 9. apud Syncellum, *Armes Danaus ann.* 5. apud Eusebium.

Harmesses Miamûn 66. *& mens.* 2. apud Josephum: *Ramesses Aegyptus an.* 68. apud Syncellum, & Eusebium.

Amenophis 19. *& mens.* 6. apud Josephum: *ann.* 8. apud Syncellum: *Amenoph. ann.* 19. apud Africanum: *Memophis ann.* 40. apud Euseb.

Hi sunt Ultimi Reges Dynastiæ XVIII. Sequuntur proxime Primi Dyn. XIX. Reges.

Sethosis, qui & Ramesses, & Aegyptus, fratre *Armai*, seu *Danao expulso*, *annos* 59. apud Josephum *pag.* 1041. & *pag.* 1052. *Sethos ann.* 51. apud Africanum: *ann.* 55. apud Eusebium.

Ramphes ann. 66. apud Josephum *pag.* 1052. *Rapsaces ann.* 61. apud Africanum: *Rapses ann.* 66. apud Euseb.

Ammenophis fugiens in Aethiopiam, & inde rediens post 13. *annos*, ac victor, apud Josephum: *Ammenephthes ann.* 20. apud Afric. *ann.* 40. apud Euseb.

Sethos, qui & Ramesses, a Rapseo patre (Amenophis) *sic dictus* apud Josephum p. 1053. & *Rampses* pag. seq. *Ramesses ann.* 60. apud Africanum.

Patet ex his, idem esse nomen *Ramesses*, *Harmesses*, *Rampses*, *Rapses*, *Ramphes*, *Rapseus*, *Rapsaces*, non quod tam diversis modis pronunciatum aut scriptum fuerit ipsis ab Aegyptiis unum hoc Nomen, sed quod a Librariis vel Scriptoribus tam diversis modis fuerit corruptum. Certe vix dubito, quin apud Josephum *p.* 1052. Ράμφης & *pag.* 1053. Ραψηοῦς, culpa librariorum legantur pro Ράμψης & Ραμψοῦς, vel pro Ραμέσσης & Ραμέσσου, quia Nepos etiam *Ramesses* (quo solo nomine eum Africanus quoque designat) diserte dicitur appellatus ita ab Avo, h. e. Avi nomine, atque adeo hic Avus non *Ramphes*, nec *Rampses* videtur dictus, sed *Ramesses*. Neque aliunde ortum, quod *Amenophis* appellatur etiam *Memophis*, & *Ammenephthis*. Videmus autem duos hic *Amenophes*, quorum Priori 19. tribuuntur anni & 6. menses apud Josephum & Africanum; Posteriori 20. anni ab Africano, at Utrique apud Eusebium 40. Nam Josephus Posterioris annos non expressit, vel potius, si credimus illi, non reperit apud Manethonem. Sed & Uterque Amenophis interjectus est; Prior inter *Ramessen Aegyptum*, ex sententia Syncelli, qui 66. *annos & menses duos* regnaverit apud Josephum, *ann.* 68. apud Eusebium

&

& Syncellum, ac *Sethosim*, vel *Sethon*, qui Josepho est *Aegyptus*, & regnaverit *ann.* 59. vel 55. vel 51: Posterior inter *Rampsen* vel *Ramessen* itidem *annor.* 66. apud Josephum & Eusebium, vel 61. apud Africanum, & *Sethon*, *qui & Ramesses*, *ann.* 60. qui numerus a prioris *Sethonis* annis uno tantum discrepat, quod facile ex mensibus excurrentibus oriri potuit. Neque vero ulla in re facilius peccatur, quam ut in Nominibus propriis, sic & in Numeris, ut supra *Cap.* III. & IV. abunde jam demonstravimus, & ex proximis quoque superioribus satis liquet. Exigua ergo in his discrepantia neutiquam turbare nos debet. Ceterum quum ita bis eodem Ordine, & iisdem fere Regni Annis, *Ramessen*, *Amenophin*, *Sethon*, *qui & Ramesses*, habeamus, atque eos insuper, posteriores prioribus, ordine & tempore proximos, quis temeritatis accusare audeat eum, qui alterutros vel saltem duos ex illis, Amenophin, & Ramessen vel Sethon, posteriores, quorum alterum etiam omisit Eusebius, utrumque Syncellus, rejiciat, & ex spissis illis antiquitatis longæ tenebris, ac turbatissima Regum successione, quam & ipsam supra jam *Cap.* IV. declaravimus, per errorem bis repetitos arbitretur? Accedit, quod in

Chro-

Chronographia Syncelli valde turbata sit hisce temporibus Regum Aegyptiorum Successio, nec facile istic reperiri queant hi tres repetiti Reges, sed alia eorum loco Nomina, & plures longe Reges, occurrant: quodque in hac Aegyptiorum Chronologia etiam alios ejusdem Nominis Reges bis & diverso quidem tempore relatos reperiamus, ut ostendimus jam supra *Cap.* VII. *pag.* III. & faciemus denuo infra, de Regibus inter bellum Trojanum & Sisacum interjectis acturi. Sequitur autem ex his, nihil ergo tribuendum fabulæ Manethonis, quam tradidit de Leprosis, quorum Dux fuerit Moses, ab Amenophi illo posteriore ejectis, quum totus ille Amenophis jure summo habeatur suspectus, certe ab Syncello in *Serie* Regum fuerit plane omissus, & ideo non sine causa ab Josepho quoque *contra Ap. lib.* I. *p.* 1052. dicatur ἐμβόλιμος, *subditus*, *suppositus*, vel *aliunde insertus Rex*, immo ψευδὲς ὄνομα, *falsum nomen*, h. e. homo, qui non exstitit, & idcirco falso insignitus Nomine, quod nullum verum istius temporis Regem designavit, licet ceteroquin aliis Aegypti Regibus recte & vere tributum fuerit. Neque vero rejicula est ratio, quam addit ad fidem sibi faciendam Josephus; *Et ideo* (quia scil. falsum erat

erat: Nomen, & falsus Rex) Manetho *tempus ipsius Regni definire non est ausus, quamvis aliis Regibus accurate annos apponeret.* Jure etenim suspectum Regem facit isthæc discrepantia ab ceteris Regibus in hoc uno observata. Contra illa autem tam diserta Josephi verba nihil movere nos debet, quod quasi ex Manethone Africanus & Eusebius huic Amenophi tamen tribuunt certos Regni annos, sed Ille quidem eosdem fere (scil. xx.) quos superiori Amenophi dederat, cui dederat xix. Hic vero plane eosdem Utrique tribuit. Nam notissimum est, multa de suo illos Manethonis Dynastiis addidisse, quæ unica fuisse debet causa tanti inter illos ipsos dissensus, quantus fere ubique reperitur.

Neque vero ista tantum derogant fidem huic Manethonis Fabulæ, ad eum Amenophin referenti exitum Judæorum ex Aegypto ductu Mosis: Neque etiam illud tantum, quod supra *pag.* 226. jam allegavimus, nimis in serum per eam demitti Mosen & illum Exitum ex Aegypto, seu male demitti in proxima Iliaco bello tempora: Sed & hoc vel maxime eam evertit, quod Sesostris seu Sethosis apud Aegyptios, immo & Danaus apud Græcos, quippe qui Armais fuerit, frater Sethosios,

ſios, ita ſtatuantur pariter vixiſſe ante Moſen, quod æque eſt abſurdum. Nam ſi Moſes vixit tempore Inachi, ut ab antiquiſſimis Scriptoribus, Gentilibus, Judæis & Chriſtianis, traditum ſupra *Cap.* III. oſtendimus, longe tunc fuit antiquior Danao, qui Inachidis longa ſatis ſerie Regibus demum ſucceſſit, & qui etiam ſecundum illos, qui Moſen infra Inachum ad Cecropis usque, primi Athenienſium Regis, tempora demittunt, Moſe tamen, itidem ut Cecrope, vel potius ipſo Iſraëlitarum exitu, ſæculo ferme integro (Vide Petavium) junior ſtatuitur. Nullam igitur veri ſpeciem habet, quod tamen ſequitur ex Manethonis Fabula, & illorum ex ſententia, qui ſub Amenophi poſteriore Iſraëlitas exiiſſe volunt, Danaum fuiſſe antiquiorem Moſe, & Fratrem Regis, qui primus cœperit affligere Iſraëlitas in Aegypto. Neque vero magis probabile eſt, Seſoſtrin, vel Sethoſin, illuſtrem illum totius fere Aſiæ Domitorem, fuiſſe illum ipſum Regem, qui Iſraëlitas, ut diximus, primus afflixerit, atque adeo vixerit non ita longe ante exitum illorum ex Aegypto, in quo exitu Regis iſtius Nepos Amenophis cum omni exercitu ſuo in Mari Rubro perierit, quod licet in hac Hiſtoria non fateatur Manetho,
agno-

agnoſcunt tamen & affirmant illi, qui hodie ex Manethone Iſraëlitarum exitum ad Amenophis illius tempora referunt. Jam vero nullum plane tanti Victoris veſtigium in Hiſtoria occurrit Moſaica. Certe nequaquam convenit in Seſoſtrim, illum tot Gentium & Nationum domitorem, metus iſte, quo impulſus a Moſe, *Exod.* I. 9, 10. 11. 12. dicitur Novus ille Rex ad affligendos Iſraëlitas; quippe qui numero ſuo potentiores fierent Aegyptiis, contra quos idcirco callide eſſe agendum, ne invaleſcerent, & ſe aliquando jungerent Hoſtibus ipſorum. An enim ille, qui totam auſus eſt aggredi Aſiam, metueret Gentem unicam ſibi ſuis in finibus ſubjectam, eamque vano metu diceret *ἰσχύειν ὑπὲρ ἡμᾶς, potentiorem eſſe nobis* Aegyptiis? immo annon potius eos adhibuiſſet ad bella ſua, &, ſiquidem haberet ſuſpectos, per varias ſpargeret regiones? Quocirca incaſſum prorſus Nic. Abramus ex Hiſtoria Seſoſtris inanes quaſdam colligit circumſtantias, quæ conveniant in Regem Iſraëlitas in Aegypto affligentem. Videlicet, multa illum opera exſtruxiſſe: ſed quod varios feciſſe Reges ex tot Pyramidibus & Obeliſcis magnifice adeo inſcriptis, conſtat. Ad ea vero opera illum non adhibuiſſe quenquam Aegyptiorum, ſed

ſed ſolos captivos: Ergo Iſraëlitas, ait Abramus. Atqui Seſoſtris, non captivos, quos in Aegypto ſibi a majoribus relictos invenit, ſed quos ipſe variis ex Gentibus victor ceperat & abduxerat ſecum in Aegyptum, ad opera facienda admoviſſe legitur. Supereſt ergo nihil, niſi, ut hæc tam abſona rejiciamus, & verum credamus, quod ipſe Abramus de Aegyptiis tradit pag. 6. Manethonem Aegyptium *res Hebræorum, ſi non penitus abolere potuit, ſaltem fabulis & mendaciis obſcurare conatum*: Atque ideo, quod Ego jam addo, Eum, ut initia Hebræorum, quos ab infima fæce Aegyptiorum, ſeu Leproſis Aegyptiis, volebat haberi ortos, ſeriora faceret, confinxiſſe hanc Leproſorum, eorumque Ducis, Moſis, fabulam, quaſi paulo ante Trojanum bellum demum geſtam; antiquiorem autem Paſtorum, qui veri fuerunt Iſraëlitæ, ut deinceps probare conabimur, Hiſtoriam ad alios obſcuros, immo ignotos plane, Homines retuliſſe: qua in re nollem Abramum, nec Uſſerium, Aliosve, illi auſcultaſſe. Sunt tamen & Alii, qui aliis rationibus, ſed itidem plane frivolis, Seſoſtrin longe etiam Moſe antiquiorem faciunt. Verum de His agemus infra *Cap.* XVI. *circa finem*, ubi ex profeſſo Seſoſtris ætatem indagabimus.

CAP.

CAP. XIII.

Series rerum Aegyptiacarum qualiscunque, conficienda est tantum ex Synchronismis Historicis. Nec rejici debet Historica comparatio, ratione sola Chronologiae Aegyptiacae ad aliud tempus eam referentis. Seriei talis constituendae initium ducendum est ab certiore, h. e. *novissimi temporis, Historia.* Pharao Necho, *in S. Scriptura memoratus, est Filius & successor Psammetichi.* Sous *Rex Aegypti tempore Hoseae, ultimi Israëlitarum Regis, & Hiskiae Judaeorum Regis, fuit. Videtur multis idem fuisse, qui* Seuechus *Manethonis, &* Sethon *Herodoti. At Usserius & Alii male ex* Soo *faciunt* Sabaconem *Aethiopem. Eusebius in horum Regum tempore graviter errat. Alii rectius forsan* Söum *credunt* Bocchorin *fuisse. Sed vi-*

 detur

detur optimum, ut Soum *S. Scripturæ, &* Sethonem *Herodoti, statuamus fuisse* Zetum *ultimum Dynastiæ* XXIII. *Regem, & ita* Seucchum *relinquamus Aethiopum Dynastiæ.* Sabaco *&* Taraco *videntur iidem fuisse, ut ex Uno Rege duo fuerint per errorem facti.* Sulpicii Severi *errores in hac Historia.* Taracus *non fuit victus a Senacheribo, ut vult Vorstius. Locus* Esaiæ *Cap.* XX. *explicatur.* Sargon *istius loci est Esarhaddon. Is occupavit Asdodum, quam postea recepit Psammetichus. Videtur tunc Sabaco reliquisse Aegyptum, & inde orta istic Anarchia, &* XII. *Regulorum Dynastia. Pezronius refutatur. Grotius male Psammetichum refert ad tempora Senacheribi. Jac. Cappellus pessime ex* Salmanassare *Assyrio facit* Sesosin, *quasi Aegyptii Sacerdotes suo* Soo *vel* Sesosi *attribuerint Assyrii illius res gestas.*

Sed

Sed ohe! refutationum jam tandem satis est. Nihil enim agere me aliud, clamabunt forsan plerique, quam ut aliorum sententiam refutem, & Chronologiam abjiciam, quum ipse interim certius aut melius nihil proferam: facilius autem esse, destruere aliquid & negare, quam adstruere & probare. Ego vero fateor ultro, hoc unum me hucusque egisse & voluisse, ut probarem, nihil certi ex Chronologia Aegyptiorum antiquissimi temporis ante Psammetichum, Pharaonis Nechonis Patrem hauriri posse: omnemque illam Chronologiam, sive ex Manethonis Dynastiis, sive ex Eratosthenis Regibus, sive ex Herodoto aut Diodoro petitam, esse non incertissimam modo, sed & corruptissimam ac fabulosissimam: neque ergo Synchronismum aliquem Historicum sola temporis Aegyptiaci ratione esse explodendum vel rejiciendum. Hæc autem ipsa res maximæ est in rebus adeo antiquis utilitatis, siquidem videas passim Viros Doctissimos, non modo singulis pene rebus & Regibus certos assignare annos, quod nihil est aliud, quam strenue ineptire & nugari, quum in tantis Historiæ Aegyptiacæ tenebris paucissimas habeamus res, neque ullum earum nexum, neque vero ullum fi-

dei iis faciendæ documentum ex diversis Auctoribus inter se conferendis petitum: Sed & Eosdem videas, paucas illas res Aegyptiorum & facta, quæ cum Sacra Gentis Israëliticæ Historia videntur congruere, rejicere in alienum ab Sacra hac Historia tempus, & ita eandem rem redigere in dissensum vel diversitatem Historiæ, solo istius tam incertæ & fabulosæ Chronologiæ argumento. Exemplo sit illa, quam in extremo *Sup. Capitis* memoravi, & dein ex professo illustrabo, Pastorum Historia. Eam, licet in Israëlitarum Habitationem in Aegypto sic satis conveniat, plerique tamen, ex sola auctoritate Manethonis & Chronologia ejus, faciunt longe diversam, & Mosaicis temporibus antiquiorem, quum in rebus tam obscuris, & temporis tam antiqui & ἀδήλȣ, facta sint potius factis conferenda, quam anni annis, seu Chronologia solis annorum numeris subnixa simili Chronologiæ. Tutius enim longe & rectius constituas factorum Synchronismos Historicos, quam annorum Chronologicos. Sed tamen, utcunque incerta, obscura, corrupta sit Vetus Aegyptiorum Chronologia, nos quoque aliquid in ea ordinanda tentabimus per sua intervalla, ubi reperiri videtur qualiscunque Historiæ Judaicæ,

tum

tum Græcæ, & Aegyptiacæ, consensus, verum ita, ut ordine quidem temporis progrediamur, sed facta tantum factis, & eorum Seriem inter se comparemus, neutiquam vero annos utrimque Chronologicos in justam concordiam redigere studeamus, quod tam ἀδύνατον haberi debet, ac si quis cum ratione insaniens falsum vero conciliare conetur. Fixum enim id certumque nobis manere debet, Aegyptios Sacerdotes immane quantum auxisse sua tempora, ut tanto antiquiores aliis haberentur Gentibus, & forsan Hebræa potissimum, cujus antiquitas per majores suos continua Serie ab ipsa Mundi origine in Sacris Literis legitur repetita. Neque dubitandum est, quin in eodem luto hæserit Manetho, Sacerdos quoque Aegyptius, qui eo tempore, quo Judæorum antiquitates ex Hebraica Lingua in Græcam convertebantur, & ita omnium Gentium oculis exponebantur, immo in Bibliothecam Regiam recipiebantur, vixit, & ideo, depressis multum Judæorum originibus, atque ex ipsa Aegypto repetitis, suæ contra Gentis Origines & antiquitates in immensum, & ultra Mundi ipsius initia excurrens, produxit spatium.

Ceterum in constituendis Rebus & Synchronismis Historicis Aegyptiorum initium

tium faciendum censeo, non a Primis Regibus, in quibus nullum omnino habemus idoneum probandi quidquam documentum, sed ab ultimis, qui jam liquida & certa ratione, etiam ex Historia Sacra, immo & Graeca, probari possunt. Arripimus ergo *Pharaonem Necbonem*, qui ultimis annis Josiae, Regis Judaeorum, vixit, eumque vicit, sed dein tempore Joachimi, qui Josiae Filius, a Nebucadnezare vicissim fuit victus, 2. *Regum* XXIII. & *Jerem.* XLVI. 2. Hic vero est ille, quem Herodotus II. 158. 159. *Neconem* appellat Psammetichi F. & qui in Manethonis Dynastia XXVI. *Necbao II.* dicitur, Psammetichi successor. Nihil hic dubii aut controversi, quapropter inde progrediendum ad superiora, in quibus primo nobis loco occurrit *Sous* Rex Aegypti, quem Hoseas, ultimus Israëlitarum Rex, ad auxilium sibi ferendum contra Assyriae Regem, Salmanassarem, invitavit, 2. *Regum* XVII. 4. Jam vero Hoseae istius temporibus Regnum Judaeae capessere coepit Hiskias, quem simul & Aegyptum Salmanassaris Assyrii successor, Sennacheribus, oppugnavit. Videtur ergo *Sous* ille etiam Rex iste Aegypti fuisse, qui in Historia Hiskiae & Sennacheribi. 2. *Regum* XVIII. 21. communi illa *Pharaonis Regis*

Aegyp-

Aegyptii appellatione, non proprio suo Nomine, sed quod in rebus Hoseæ superiori Capite jam tamen erat expressum, designatur. Nam inter utrumque bellum Salmanassaris cum Hosea, & Sennacheribi cum Hiskia vix decem, immo vix octo, anni fuerunt interjecti. Hic autem Rex, si compararetur cum Dynastiis Manethonis, & cum Herodoto, videtur plerisque fuisse *Seuechus* Rex Secundus Dynastiæ xxv. certe *Sethon* Herodoti, quem Hic diserte bello petitum a Sennacheribo tradit. Discrepantia Nominis in diversis illis Scriptoribus, minor etiam est, quam inter Hebraicum Codicem, & Græcum in hoc ipso Rege. Græci enim Interpretes Soum hunc *Segor* vocant. Crediderim *So* dictum, & *Soach*, unde Josephus Græca terminatione *Soas*, & Manetho forsan *Seuechus*, & Herodotus *Sethon* contracte pro *Suechthon*, ut Græci *Segor* pro *Suechthor*. Certe huic Regi contra Sennacheribum suppetias tulisse in S. Scriptura dicitur Rex Aethiopum *Tirhaka*, vel *Taracus*, qui in Dynastiis Manethonis ei proxime jungitur, sive mortuo successerit, sive vivum regno spoliaverit, ut solent sæpe illi Gentium Victores opprimere eos, quibus auxilium tulerant. Convenit etiam ætas, siquidem in Dynastiis Manethonis *Taracus*

sæculo ferme abest ab extremis *Nechaonis* II. annis: Hiskiæ porro initia ab initiis Joachimi eodem fere spatio distant: Denique in Canone Ptolemaico Regum Babyloniorum Esarhadini, qui Senacheribo successit, & dein Babylonem quoque occupavit, Regnum, sed ab eo demum tempore, quo Babylonem jam tenebat, repetitum, octoginta pene annis distat ab initio Nebucadnezaris seu Nabocolassari. Obstare tamen videtur comparationi *Soi* cum *Seuecho* Manethonis, quod Hic illum in Dynastiam Aethiopum, inter Sabaconem & Taracum, conjicit. Ita enim Seuechus videtur fuisse & ipse *Aethiops* Jam vero tempore *Soi* & Hiskiæ diversus adhuc a *Pharaone Aegypti* fuit *Rex Aethiopiæ*, ut mox liquido docebimus. Ast si ita, tum vero idem fuisse non potuit *Sous* & *Seuechus*. Verum infinitis Manethonis erroribus facile adnumerari hic quoque possit, quod ex Seuecho Inferioris Aegypti Rege fecisset Aethiopem. At nos aliter, & paulo magis ex professo, hac de re mox agemus.

Frustra autem Usserius & Marshamus *pag.* 456. 457[a]. ex *Soo* faciunt nobis *Sabaconem*, diversum ab *Seuecho* & Sethone, atque iis priorem. Nam *Sous* utique Rex fuit

a *Pag.* 485. *E. L.*

fuit *Aegypti*, non *Aethiopiae*, tempore Hoseae & Hiskiae, atque adeo tempore Salmanassari & Senacheribi, quum *Sabaco* fuerit *Aethiops* & ex *Aethiopia* venerit in Aegyptum. Sed sequuntur illi Eusebium, qui in *Canone* suo Seuechi primum annum & Hiskiae XVIII. conjungit, & quidem duobus & XX. annis post Hoseam a Salmanassare debellatum. Ast hoc si recte fuit factum, tum sane non potuit Seuechus, sed potuisset Sabaco, conspirasse cum Hosea contra Salmanassarem, ut certe fecit Sous. Idem vero Eusebius Hoseae cladem & finem decem annis ponit etiam ante ipsius Sabaconis, & quinque ante Hiskiae, initia, reprehensus idcirco, sed male, ut puto, a Scaligero ad num. 1262. Ast ita per eandem Eusebii Chronologiam *Sabaconis* quoque Regnum fuit Hosea & *Soo* serius, Horum autem Regnum in Bocchoridis Saitis regnum incidisset: unde & factum, ut putarint nonnulli, ipsum illum *Bocchorin* fuisse hunc *Soum*, a Patria *So* vel *Sa* sic in Scriptura dictum. Vide Simson. *Chron. Cathol. ad An. M.* 3279. Quae sententia valde quidem est adversa Herodoto, quippe qui Sabaconis initia longe antiquiora facit, dum post ejus Regnum demum ab Sennacheribo gestum narrat nobis

bis bellum in Aegypto, Sabaconi autem annos tribuit quinquaginta. Quo pacto non potuisset Rex quispiam ante Sabaconis initia non modo bellum illud cum Senacheribo gessisse, sed neque conspirasse cum Hosea contra Salmanassarem. Verum tamen jam supra *Cap.* x. *pag.* 188. & *seqq.* ostendimus, etiam Herodotum minus accurate in his versari, & probabile videri, *Sabaconem* Aethiopem, ac *Taraconem* Aethiopem, fuisse eundem Hominem, quem diversis his nominibus diversi Scriptores insigniverint, unde & factum sit, ut Manetho duo hæc Nomina in duos diversos Homines distinxerit. Adderem illis pene etiam tertium, hunc ipsum *Seuechum*, quem Syncellus *Sebechon* appellat, quod cum *Sabacone* pene prorsus convenit; idque facerem tanto magis, quia Herodotus Sabaconi *annos quinquaginta* tribuit, eosque, neque hos integros, sed XLV. tantum annos, Manetho in hosce tres *Sabacum*, *Sebechum*, & *Taracum* quasi dividit. Sed tamen nihil hic affirmo, rem omnem potius prorsus in medio relinquens. Non possum tamen negare, me in istam ceteroqui sententiam aliquantulum inclinare, ut *Seuechum* Aethiopicæ Manethonis Dynastiæ relinquam, & *Soum* ac *Sethonem* habeam pro *Bocchori*

ri Saite, vel potius pro *Zeto*, ultimo Dynastiæ XXIII. quæ Tanitarum fuit, Rege apud Africanum, sed quem Eusebius & Syncellus omittunt. Etenim fuerunt tunc plures simul Aegypti in diversis ejus partibus Reges, etiam quos Manetho non memorat. Veluti Pater Bocchoridis, quem Diodorus [a] *Gnephachtho*, Plutarchus [b] *Technatin*, Alii aliter, vocant; Tum *Anysis* apud Herodotum [c]. Sed & æquales Bocchori videntur fuisse primi Dynastiæ XXVI. Saitarum Reges, siquidem quartus ejus Rex *Nechao*, Psammetichi Pater, æque ac Bocchoris, ab Sabacone legitur occisus apud Herodotum [d]. Idem Sabaco regno depulisse in palustria illum Herodoti *Anysin* quoque dicitur, ut adeo Unus ille Sabaco Tres minimum Reges diversos, partim Regno, partim etiam Vita spoliaverit. Quidni vero his accenseri possit etiam *Zetus*, qui proxime ante Bocchorin, & dein Sabaconem, ab Africano ponitur. Jam vero quum *Sous* in S. Scriptura tempore Senacheribi ante adventum *Aethiopis* dicatur *Pharao* Aegypti, & *Sethon* Herodoti eodem prorsus tempore contra Senacheribum bellum gesserit, atque adeo necessario ante, non post diutinum illud Sa-

baco-

a *Lib. I. pag.* 29. b de *Iside pag.* 354. *Ed. Franc.*
c *Lib. II. cap.* 137. d *Ibid. cap.* 152.

baconis Aethiopis regnum, regnaverit, minime a vero abhorrere videtur, *Soum* illum, seu *Sethonem*, esse *Zetum* Manethonis, cui Aethiops auxilium tulerit contra Senacheribum, sed quem dein, Hoc jam regresso, oppresserit, quæ & causa fuisse videtur, quare *Zetus* ille Dynastiæ suæ fuerit ultimus. Illo autem jam oppresso, Aethiops dein Bocchorin quoque vicerit, & ceperit, & neci dederit, Tum Anysin fugaverit, ac denique Nechaonem occiderit, atque ita totam sibi Aegyptum subjecerit. Eam tamen jam senex, tempore Esarhaddonis Assyrii, qui Aegyptum invasit, reliquisse videtur in Aethiopiam suam rediens, quæ res Anarchiæ & Dodecarchiæ Aegyptiorum fuerit causa. Certe longe mihi probabiliora illa videntur, quam ex *Soo* facere ipsum *Sabaconem* Aethiopem, de qua re modo agere cœpimus. Etenim diserte Scriptura Sacra istis temporibus in Historia Hiskiæ diversos plane facit, *Regem Aegypti* & *Regem Cuschi*, h. e. Aethiopiæ, 2. *Regum* XVIII. & XIX. & *Jesaiæ* XXXVI. ac XXXVII. (Vide me supra *pag.* 186.) Jam vero *Sous* diserte decem ferme annis ante nominatur, ut cum quo conspiraverit contra Regem Assyriæ Rex Israëlis Hoseas. Si ergo Aegyptus illo tempore, & decem annis post, proprios adhuc ha-

habuit *Pharaones* ſeu Reges, ab *Aethiopum Regibus* diverſos, tum certe *Sous* illius temporis *Rex Aegypti*, non fuit, quod nonnulli affirmant, ille *Sabaco Aethiops*, qui Aegyptum occupavit, & diu ſimul cum Aethiopiæ Regno tenuit.

Hoc tamen diſerte ſatis, ſed omiſſo Regis nomine, tradit Sulpicius Severus *Hiſtoriæ Sacræ lib.* I. *cap.* 49. de Hoſea ſcribens, *cum occultis conſiliis rebellionem pararet, Regemque Aethiopum, qui TUM Aegyptum obtinebat, in auxilium arceſſeret, idque Salmanaſſar comperiſſet.* At hæc eum ſcripſiſſe quis non miretur, quum ipſe *Cap. ſeq. Tirhac Regem Aethiopum* tantum, non item *Aegypti*, in proximi temporis Hiſtoria memoret. Sed & iſtic per alium errorem addit, Tirhacum *Regnum Aſſyriorum invaſiſſe*, & ideo *Sennacheribum ad ſua tuenda fuiſſe converſum.* Nam nihil de Tirhaco contra Senacheribum profecto ſciri poteſt niſi ex S. Scriptura, in qua dicitur tantum, *Aethiopiæ Regem progredi contra Senacheribum, ut pugnaret contra eum.* Quo nuncio Hic territus decreverit reverti ex Aegypto, ſed ita, ut prius per literas minarum plenas, & legatos, Hiskiam adigere voluerit ad deditionem, multa ſimul effundens in Dei Iſraëlis contumeliam. Quapropter Deus in illius exercitu percuſſerit ſubito & neci dede-

dederit 185000. hominum, quo facto ille reversus demum fuerit Ninivem. Omnia hæc tribuuntur uni anno Hiskiæ *Quartodecimo*. 2. *Regum* XVIII. 13. & *Jesaiæ* XXXVI. 1. Confirmatur ille annus etiam ex eo, quod post depulsum jam Senacheribum dicitur Hiskias ægrotasse, & addidisse tunc Deus diebus vitæ illius *quindecim annos*, 2. *Regum* XX. 6. & *Jesaiæ* XXXVIII. 5. Hi anni cum illis XIV. conjuncti faciunt *Novem & Viginti*, quos regnasse dicitur 2. *Regum* XVIII. 2. & 2. *Chronic.* XXIX. 1. Nihil autem in hisce reperitur, ex quo liqueat, Tirhacum invasisse ipsum *Assyriæ Regnum*, ad quod proinde tuendum reverti debuerit Senacheribus. Sed e contrario, quum Senacheribus in Palæstina agens oppugnaret varias istic Urbes, & bellum moveret etiam Aegyptiis, auxilio his venisse Regem Aethiopum Tirhacum, qui *processerit, ut pugnaret contra Senacheribum*, ubi tunc erat, h. e. in finibus Aegypti; id quod naturæ quoque rei opportunius erat, quum e contrario Regnum ipsum Assyriæ ab Aethiopia longe satis esset remotum. Diserte Josephus X. 1. Taracum *venire* voluisse per viam deserti ἐπὶ συμμαχίᾳ τοῖς Αἰγυπτίοις, *ut auxilium ferret Aegyptiis*. Potest tamen ille videri & videtur dedisse occasionem vel causam erroris istius Sulpicio.

picio. Siquidem addit ibidem, *& repente*, εἰς ΤΗΝ τῶν Ἀσσυρίων ἐμβαλεῖν, *terram Assyriorum invadere*. Sed hæc accipienda sunt, tanquam per Scripturæ S. interpretationem & Paraphrasin liberiorem dicta, non ita ex Annalibus fide dignis, aut ex S. S. verbis hausta. Præterea locus ille Josephi est manifeste in proximis vitiatus, atque ideo a Græcis Versio prorsus discrepat. Sine dubio complura inde exciderunt. Sed tamen omnia hæc recte in Unum annum, ut videtur, conjungit Sulpicius: at male multi in Tres annos hæc dividunt, & Tirhacum porro a Sennacheribo victum affirmant. Sic certe Vorstius in Notis, reprehendens Sulpicium, hæc ita narrantem, *quasi exercitus Sennacheribi tum, cum Regnum ejus Tirhak invaderet, ipseque bellum, quod intulerat Hebræis, omitteret, ab Angelo cæsus fuerit. Verum ex capite* XXXVII. (voluit haud dubie dicere *Cap*. XX. nam in priore illo Capite nullum rei, quam fingit Vorstius, vestigium reperitur) *Esaiæ intelligitur, Sennacheribum audito adventu Tirhakæ, Hierosolyma obsidione solvisse, novoque Hosti obviam ivisse, post Biennium vero, victo Tirhaka, obsidionem Urbis denuo tentasse, tumque deletum fuisse ejus exercitum*. Omnia hæc meri sunt commenti, cujus nullum plane documentum in *dicto capite* reperitur,
ubi

ubi æque ac in Libris Regum & Chronicorum omnia narrantur, tanquam uno anno, *quartodecimo*, Hiskiæ gesta. Sed videtur respexisse, ut dixi, *Caput* xx. Jesaiæ, unde Interpretes quidam eliciunt cladem Taraci. Sed tamen nulla neque istic Taraci mentio, nullum vestigium. Tantum dicitur Aegyptus & Aethiopia ab Rege Assyriæ vastanda; id quod in hoc tempus non cadit, quippe quo Taracus fuit Rex Victor, & Africæ domitor, Sennacheribus autem Rex Assyriæ neutiquam *abduxit* secum *captivam multitudinem Aegyptiorum & Aethiopum*, ut istic dicitur, sed *reversus est cum pudore vultus in terram suam*, 2. *Chron.* XXXII. 21. &, ut Josephus x. 1. bis ait, διαμαρτὼν τῶν ἐπὶ τὴν Ἄιγυπτον πραγμάτων; & τῆς ἐπὶ τοὺς Ἀιγυπτίους ἐπιβουλῆς, h. e. *infelix fuit in rebus suis contra Aegyptum*, & *in consilio suo contra Aepyptios*. Designatio temporis, quæ in *Esaia* occurrit, hæc est, *in anno*, *quo venit Tharthan Asdodum*, h. e. Azotum, *quum misisset eum Sargon Rex Assyriæ*, *& quo oppugnavit* (Tharthan) *Asdodum*, *& cepit*, *in illo tempore* hæc Deus per Jesaiam contra Aegyptum & Aethiopiam denunciavit. Plerique per *Sargonem* intelligunt istic Sennacheribum, secuti Judæos in *Seder Olam Rabba cap.* 23. Sed, ut dixi, neutiquam hæc conve-

veniunt in Sennacheribi tempora, aut bellum contra Aegyptios & Aethiopas gestum. Neque vero Sennacheribus inter Deos Urbium, qui nihil juverint suos populos contra ipsum, usquam memoravit *Deos Asdodi*, sicut *Deos Chamathæ*, *Arpadi*, *Zepharvajimorum*, *Samariæ* &c. memoraverat. Non fuit ergo *Sargon* ille Sennacheribus, sed potius, ut censuit jam Marshamus *pag.* 483. 484. [a] *Esarhaddon*, quod satis manifeste ipsum hoc Nomen videtur declarare, contractum scilicet in *Sargon* ex *Sarchaddon*, vel *Sarchedon*, ut appellari videtur *Tobiæ* I. 21. nam istic, & deinceps, legendum pro Σαχερδονὸς haud dubie Σαρχηδονός. Videtur ergo (nam confirmari certis rationibus hæc Historia ex aliis Scriptoribus non potest) Esarhaddon, postquam ceperat jam Babylonem, progressus in Judæam, aditum sibi voluisse, capta Asdodo, patefacere etiam in Aegyptum & Aethiopiam, sicuti mox Manassen Regem Judææ cepit & Babylonem abduxit. Et videri potest tunc sane Sabaco seu Taraco, non tam somnio territus, quod Sacerdotes Aegyptii, cladem suæ gentis dissimulantes, narrarunt Herodoto & Diodoro, sed victoriis Assyrii Regis, hujus Esarhaddonis, recessisse ex Aegypto in ultima Aethiopiæ.

[a] *Pag.* 514. 515. *E. L.*

Tanto magis, quia Esaias istic conjungit *Aegyptum* & *Aethiopiam*, tanquam socias sub eodem Rege, quem Assyrius bello petierit. Magnam certe rerum mutationem tunc accidisse Aegypto, probabile prorsus est, siquidem Anarchia tunc exstitit, & dein XII. Regulorum imperium, ex quibus Psammetichus post XV. annos tandem soli sibi totam Aegyptum vindicavit, atque Asdodum tunc, quippe in qua quantum momenti situm esset Aegyptiis, usu recenti cognitum jam erat, longissima omnium & pervicacissima obsidione (Vide Herodotum II. 157.) in potestatem suam redegit, ac, ut videtur, destruxit, siquidem Jeremias XXV. 20. tempore Jojacimi *residuum Asdodi* memorat, quod tunc exstiterit, ut solent Urbium illustrium reliquiæ, victore mortuo, se iterum congregare in quandam Civitatis speciem. Jam vero talis Anarchia, & XII. Regulorum novum imperium, magis videntur orta ex turbis bellorum, quarum metu aut vi compulsus prior Aegypti Rex Aethiops in Aethiopiam refugerit, quam in media pace, in qua ille tantum somnio quodam territus recesserit, nullo sibi Successore in Aegypti regnum relicto. Ita ergo tempora *Soi*, & *Tirhaci*, ac dein *Psammetichi*, in Aegypto ordinanda ac nectenda censuerim. Nam

qui

qui in Dynastia XXVI. Manethonis nominantur Reges, tres numero, ante Psammetichum, exstitisse videntur in Saitide nomo, tempore ipso Taraci seu Sabaconis, vel paulo ante. Certe Tertius, qui est Necho I. Pater Psammetichi, a Sabacone occisus diserte dicitur ab Herodoto II. 152. Non ergo post Sabaconem ille, aut post ejus reditum, Aegypti Rex fuit; atque adeo etiam hac in re gravissime errant Dynastiæ Manethonis, quæ illum, post Sabaconem & Taracum, ac duos insuper alios, Regem Aegypti in Dynastia XXVI. memorant. At miram nobis fabulam istarum rerum contexit Pezronius *Antiq. Temp. p.* 219. Nempe Taracum fuisse Filium Seuechi, Nepotem Sabaconis, qui Aegyptum occupaverit, & Filio ac Nepoti concesserit. Taracum vero victum a Sennacheribo, qui tunc Pelusium obsederit, atque inde repulsus fuerit ab Sethone Memphitarum Rege. Taracum autem retinuisse etiam diu postea Regnum Aegypti. At eo mortuo tandem, rediisse Sabaconem ex Aethiopia, & sibi vindicasse denuo Aegyptum, ac tunc patrem Psammetichi occidisse. Post Sabaconis vero mortem, Sethonem, qui antea Memphitarum tantum fuerat Rex, totam accepisse Aegyptum. Hæc omnia ille pro suo arbitratu ita ordinat,

& narrat, sed quorum pleraque supra jam refutavimus: Taraci quoque cladem a Sennacheribo victi nullo niti documento, paulo ante ostendimus. Sed & nihil omnium ille probat, ut facile ea contemnere possimus. Ceterum valde miror Virum illustrem, *Hug. Grotium*, qui ad *Caput* XIX. *Jesaiæ* conjungit quasi æquales, Sennacheribum Assyrium, & Psammetichum Aegyptium, adeo ut dicat ad §. 18. *Cum Sennacheribus Judæam primum invasit, Psammeticho, ut videtur, per Aegyptum regnante, multi Judæi se recepere in Aegyptum.* Alienissima hæc sunt a tempore Sennacheribi & Hiskiæ, quibus junior multum fuit *Psammetichus*, Pater Nechaonis, qui Josiæ & Filiorum ejus temporibus Rex fuit. At tempore Hiskiæ & Sennacheribi Rex erat *Sous* vel *Sethon.*

Magis etiam errat, absurdis indulgens conjecturis, *Jac. Cappellus* in *Historia Sac. & Exot. ad An. M.* 3274. Nempe *Soum* putat esse Diodori *Sesosin*, h. e. Sesostrim, ac Sacerdotes Aegyptios res ab Salmanassare Assyrio gestas *suo adscripsisse Soo, sive Sesoosi.* Hinc ergo ortam celebrem istam Sesoosis seu Sesostridis Historiam apud Aegyptios. Quibus quidquamne absurdius fingi potest? Demittit Sesostrim ad tempora, quæ post initia Epochæ Olympiacæ

piacæ acciderunt, totamque ejus Historiam ex figmentis tam ſeri temporis ortam auguratur, & quidem ex figmentis prorſus abſonis Sacerdotum res Aſſyrii Regis Salmanaſſaris, qui tamen nusquam pedem in Aſiam minorem intuliſſe legitur, adtribuentium ſuo Soo, *qui forte pedem ex Aegypto non extulerit*, ut ipſe ait; & tamen a Græcis omnibus dicatur totam Aſiam, majorem minoremque, victoriis ſuis peragraviſſe. Eadem incogitantia ſcribit ad *An. M.* 3282. *Aegyptum a Sennacheribo tentatam docet ejus ſtatua, quam vidiſſe ſe teſtatur Herodotus cum hac inſcriptione*, Ἐις ἐμέ τις ὁρέων, ἐυσεβὴς ἔςω. Et ſequitur eum Simſonius *ad An. M.* 3287. At Herodotus (Vide eum II. 141.) ſtatuam hanc non Sennacheribo Aſſyrio, ſed Sethoni Aegyptio, qui murium ope Sennacheribum dicitur depuliſſe, tribuit.

CAP. XIV.

Sisacus *R. Aegypti tempore Rehabeami videtur fuisse Primus Novæ Dynastiæ Rex. Fueritne* Sesonchis, *Primus Dyn.* XXII. *an* Asyches *Herodoti? an vero* Smedes *Primus Dyn.* XXI. *Rex? quod vult Syncellus, & forsan Eusebius.* Venephes *proximus ante Smeden videtur fuisse* Vaphres, *Socer Salomonis. Reges Dynastiæ* XX. *investigantur. Reges istius temporis apud Syncellum, nominantur eodem prorsus modo, ordine, annis, etiam in Dyn. Prima a Manethone. Tres Reges Herodoti & Diodori, temporis post captam Trojam elapsi. Aetas eorum probatur. Conferuntur cum Tribus Regibus Dyn. Quartæ, de quibus eadem traduntur a Manethone. Syncellus emendatur & illustratur. Male istos tres Reges in varia sæcula sparsit Marshamus.*

Ab *Soo* si jam adscendamus ad superiora, primus nobis occurrit in S. Scriptura *Sisacus*, Rex Aegypti tempore Salomonis & Rehabeami. Credo cum plerisque, fuisse hunc novæ Dynastiæ primum Regem, quia videtur Decessoris sui fuisse inimicus, certe non ejusdem Familiæ, cujus ille, Homo. Nam quum Rex Aegypti prior Filiam suam Salomoni dedisset præcipuum in matrimonium (Vide 1. *Regum* IX. 16. & 24.) Hic, Salomone jam sene, Exsules ex ejus Regno profugos in suam recepit tutelam, veluti Jeroboamum, 1. *Reg.* XI. 40. ac dein bellum gessit cum Salomonis Filio. 1. *Reg.* XIV. 25. & 2. *Chronic.* XII. 2. &c. Sed incertum, cujus Dynastiæ primus fuerit Rex. Plerique hodie Dynastiæ XXII. quæ *Bubastitarum* fuit, primum putant, qui *Sesonchis* dicitur apud Africanum, *Sesonchosis* apud Eusebium, at *Conchoris*, ut videtur, apud Syncellum. In isthac sententia est Scaliger, Usserius, Carpentarius, & vel maxime Abbas Pezronius in *Antiq. Temp. Rest. Cap.* 13. *p.* 208. 209. ubi tamen graviter errat, dum Sisacum Jeroboamo, ad se confugienti, narrat collocasse in matrimonium Sororem uxoris suæ Tachpenesæ, vel ut LXX. Θεκεμίνας, quod tamen sine dubio corruptum est, saltem,

ut μ male pro π fuerit positum. Nam di- serte in S. Scriptura 1. *Reg*. XI. 19. hæc Soror Reginæ nuptum dicitur data non Jeroboamo, sed Adado Idumæo. Verum deceptus forsan est eo, quod Sulpicius Se- verus *Hist*. *Sacr*. I. 41. Jeroboamum in Aegypto *uxorem accepisse ex stirpe regia* ait, ac disertius Syncellus *pag*. 184. de Jero- boamo, Γαμβρὸς αὐτοῦ γίνεται ἐπὶ θυγατρὶ, *Gener ipsius* (Sisaci) *fit*, *filia ejus ducta*. Variant hæc, sed quorum neque S Scri- ptura, neque Josephus, usquam quidquam tradidit.

Quod vero ad *Sesonchin* adtinet, nega- ri nequit, nomen ejus litera tantum N in- terposita, convenire sic satis cum *Sisaci* vel *Sesaci* nomine. Sed Nominum similitudo quædam, ut varia est in illis Regibus, ita ad probandum invalida. Josephus hunc ip- sum *Sisacum* appellat de *B*. *Jud*. VII. 18. Ἀσωχαῖον, vel forte Σασωχαῖον, quod No- men convenit quam maxime cum *Asychi* Herodoti II. 136. vel *Sasyche* Diodori *lib*. I. *pag*. 59. D. quem ille Legislatorem fuis- se Aegyptiorum dicit, sed jam ante Seso- strin, Herodotus vero etiam ab *Asychi* suo leges Aegyptiis latas memorat, sed longe post Sesostrin. Jam vero terminatio fere sola in hisce Nominibus aliter est formata; ceteroquin eadem plane videntur Nomina,

Aso-

Asochæus & Asyches, Sasochæus & Sasyches. Sed & *Asychis* iste ab Herodoto in tale tempus confertur, quod in Salomonis Regnum possit congruere. Nam inter illum & Protea, qui tempore B. Trojani exstitit, quatuor tantum Reges ponuntur. At post Asychin qui proxime memoratur, Anysis aliquanto infra istam ætatem rejici necessario debet, Sabaconi quippe æqualis. Nec enim sequitur, ut qui apud Herodotum dicitur *μετὰ τοῦτον* regnasse, illius proximus fuerit Successor, ut supra *pag.* 216. jam monuimus. Nemo tamen, quod sciam, *Asychin* pro *Sisaco* accepit, neque Ego affirmare id, sed neque negare ausim.

Neque vero *Sesonchidis* tempus ab *Sesaco* valde alienum est, si computetur hinc a Rehabeamo ad Hiskiam, inde ab Sesonchi apud Africanum usque ad Sabaconem. Sed tamen incertior est ratio illius temporis, quo Sabaco Rex fuisse dicitur: sed & confusa valde in illis Manethonis Dynastiis apud Africanum, Eusebium, & Syncellum reperitur successio vel ordo Regum, ut & ipsa Chronologia, per totum hoc, quod designavi, intervallum. Syncellus vero *pag.* 177. *Susakim*, quomodo Græci Interpretes Sisacum appellant, facit primum Dynastiæ XXI. quæ *Tanitarum* est, Regem, qui ceteroquin apud Africanum

& Eusebium *Smedes* vel *Semendis* vocatur. Etiam ipse Eusebius in *Canone* suo ad annum Semendis XII. refert Historiam *Susakimi Regis Aegypti*, ut adeo & ipse videatur Semendim & Susakim pro eodem habuisse. Quod quum Scaliger istic agnoscat, mirabar sane, quid ergo sibi vellet, quando ibidem ita loquitur, *Quod si Unus Rex tunc erat in Aegypto, isque binominis fuit, nullus alius esse potest præter Septimum* XXI. *Dynastiæ, nomine Susemnem, qui anno Regni sui* XIII. *hanc expeditionem in Judæam fecerit.* Atqui ipse ibidem paulo ante dixerat, *Quod si Susakim Rex Aegypti sub Semendi Rege Aegypti spoliavit templum, consequens est, ut aut Susakim & Semendis sit unus idemque Rex διώνυμος, aut duos Reges eodem tempore in diversis Aegypti partibus regnasse.* Si ita, quid tum causæ, quare mox a Semendi, Primo istius Dynastiæ Rege, ad Septimum seu ultimum, Susemnem, subito delabatur? Nempe arbitratur, Eusebium debuisse ad illius Susemnis tempus Regnum Rehabeami referre. Atque ideo ipse ita ordinavit Dynastias Manethonis, quas constanter sequitur, ut Rehabeami & Susemnis istius Regna in idem tempus concurrant. Vide ejus *Canones Isagogicos*, & maxime *pag.* 318. ubi ille Sisacum tamen, non Susemnem, sed Sesonchin, sequentis Dyna-

stiæ

ſtiæ primum Regem, fuiſſe putat, qui Filius Suſemnis, Patre adhuc vivo, expeditionem iſtam in Judæam & Rehabeamum fecerit. Sed ab omni ratione Dynaſtiarum alienum, certe rariſſimum, eſt, ut primus Novæ Dynaſtiæ Rex fuerit ultimi Superioris Dynaſtiæ Filius. Adjectus enim & ille ſuperiori Dynaſtiæ fuiſſet, æque ac Pater ad eam referebatur. Deinde recedit hæc ſententia ab auctoritate Euſebii & Syncelli, ac nititur ſolis annorum numeris, qui ſingulis Regibus tribuuntur in Dynaſtiis Manethonis. At hi quam diverſi ſint apud Africanum, Euſebium, & Syncellum, & quam corrupti ac incerti, ſatis ſuperque ſupra *Cap.* III. declaravimus, ut adeo illis ſolis inniti non deceat.

Euſebii vero & Syncelli ſententia videtur etiam ex Eupolemo confirmari. Nam ab Eo Rex Aegypti, tempore Davidis & Salomonis, vocatur *Vaphres* apud Euſebium *Præpar. Euang.* IX. 30, 31, 32. At apud Syncellum *p.* 170. proximus ante Semedin vel Suſakim dicitur *Vennephes*, tanquam ultimus Dynaſtiæ XX. cujus Reges Africanus & Euſebius nominatim non exprimunt. Ceterum Nomen illud, prout a Græcis nómina Orientalium & Aegyptiorum diverſis plane modis efferri vel ſcribi ſolent, ut vel ex *Soo*, de quo proxime egimus,

mus, liquet, illud inquam Nomen ab nomine *Vaphris* haud longe abscedit. Certe nullum alium reperimus Aegypti Regem circa hæc Salomonis tempora, cujus Nomen ad illud propius vel tam prope accedat. Pezronius *p.* 207. Salomonis Socerum dicit Psusennem, Semendis successorem, at neutiquam probat. Sed & absurdum, quod ita inter hunc Socerum, & Sisacum tempore Salomonis jam Regem, quem Sesonchin fuisse affirmat, interponere reliquos Dynastiæ XXI. Reges, quinque numero, debet. His ergo motus prætulerim ferme & Ego illorum sententiam, qui Sisacum censent Semendim fuisse, primum Dynastiæ XXI. Regem. Et spatium intervalli ab illo Rege usque ad Zetum vel Sabaconem, haud multum discrepat ab illo, quod inter Rehabeami initia & Hiskiæ intercedit, quod Petavio est 253. annorum. At in Dynastiis Manethonis apud Eusebium ab Semendis initio usque ad initium Sabaconis annos habemus 267. Neque vero in his rebus, quæ tot vitiis sunt obnoxiæ, accuratum plane consensum nobis polliceri debemus, aut multam exiguæ paucorum annorum discrepantiæ rationem habere.

Ab hoc *Sisaco* progrediendum jam foret ad tempus Belli Trojani, cujus temporis

Reges Aegyptii in Dynaſtiis Manethonis & alibi nominantur. Sed tamen prius agendum de Dynaſtia xx. quæ inter *Thuorin*, ſub quo captum dicitur Ilium apud Africanum & ceteros, qui Manethonis Dynaſtias nobis ſervarunt, & *Semendin* media immittitur. Verum Dynaſtiæ illius Reges ab Africano & Euſebio non nominantur, ſed a Syncello in *Serie Regum*, inter Thuorim Ultimum Dynaſtiæ XIX. & Seſacum Dynaſtiæ XXI. Primum, tres memorantur Reges, *Athotis Phuſanus*, *Cencenes*, & *Venephes*, qui quin ad Dynaſtiam xx. pertineant, nullum eſt dubium. Sed miram in his Regibus reperiemus denuo Chronologiæ & Hiſtoriæ Aegyptiæ varietatem, & perturbationem. Nam hi ipſi Reges eodem ordine, & iisdem Regni annis, a Manethone ſunt relati quoque in Dynaſtiam omnium Primam. Nam iſtic *Athotis* dicitur ipſius Menis ſucceſſor, & Filius, regnaſſe apud Euſebium (nam apud Africanum numeri ſunt alii, & haud dubie corrupti) *annis* 27. Hic *Athotis* apud Syncellum *pag.* 169. proximus poſt Thuorin, *annis* 28. *Cencenes* pariter apud Utrumque *annis* 39. *Venephes* itidem Utrobique *annis* 42. Vides manifeſtum nimis concurſum diverſi adeo temporis, ſeu Dynaſtiæ Primæ, ac Dynaſtiæ Vigeſimæ, in eundem

Or-

Ordinem Regum, Nomina, & Regni Annos, quam ut fortuitus & genuinus fuerit. Nec dubitaverim, quin vel Syncellus ex Dynastia Prima hosce Reges repetierit & ad tempus Dyn. Vigesimæ retraxerit, vel Manetho potius, quum priores Dynastias maximam partem fingeret, in eas immiserit nomina posteriorum Regum. Quæ plura forsan deprehenderentur, nisi ipsa illa nomina miris modis essent in his Dynastiis corrupta. Certe valde inter se conveniunt etiam *Semenphis*, Primæ Dyn. Rex, & *Semendis* Primus Dyn. XXI. & qui sequuntur utrobique, *Ubienthes* & *Phusenes*, denique *Nephercheres* simul Rex Ultimus Dynastiæ II. & Tertius Dyn. XXI. Ceterum alios longe Reges istius temporis inter Trojam captam & Asychin, interponunt Herodotus & Diodorus Siculus, in Nominibus tamen aliquantulum inter se discrepantes. Ille [a] enim ita eos nominat, *Cheops*, *Chephrenes* prioris Frater, *Mycerinus* Cheopis F. Diodorus vero [b], *Chemmis*, *Cephren Frater*, vel, ut alios ait tradere, *Chabryis Filius Chemmis*, denique *Mycerinus* vel *Mencherinus*. Eosdem hos esse, & Nomina, & Aetas eorum, declarant, siquidem utrobique post cladem Trojanam memorantur, nisi quod Diodorus Septem

a Lib. II. cap. 124. seqq. b. Lib. I. pag. 39. seqq.

Septem alios Reges, eosque ignavos & inglorios, qui tamen omnes itidem ad Dynastiam XX. quæ XII. Reges habuit, referri possunt, præmittat Chemmi, quum Herodotus Cheopem suum proxime jungat Rampsinito Protei Filio. Post hosce autem Tres Herodotus memorat Asychin, & ab eo transit confestim ad Anysin, quem Sabaco Aethiops ejecerit. At Diodorus post hosce tres progreditur statim ad Bocchorim, inter quem & Sabaconem ille quidem *multum temporis* effluxisse ait, at Manetho & alii Bocchorin a Sabacone victum & crematum tradunt. Sed & Facta utrorumque Trium conveniunt. Describuntur enim ab Herodoto duo illi priores, ut Impii, qui templa occluserint Deorum, & Homines adegerint ad Pyramides faciendas, quarum maxima a Cheope fuerit facta, alia, sed minor, a Chephrene. Hos autem adeo invisos fuisse Aegyptiis, graviter per eos opere faciundo afflictis, ut eos *præ odio ne nominare quidem soleant*, Herod. II. 128. Sed tertium Mycerinum fuisse humanum, & aperuisse iterum Deorum templa, atque ideo laudatum valde ab Aegyptiis. At ab Diodoro eadem de Pyramidibus exstructis traduntur, & quod duo priores populo fuerint invisi, qui operibus earum perficiundis valde fuerit fatiga-

gatus, quodque illi Reges multa violenta & truculenta fecerint, sed Mycerinum perosum superiorum Regum truculentiam, beneficum fuisse in cives, & in Deos pium. Satis apparet Herodoti & Diodori Reges esse eosdem. At an iidem sint etiam illis Tribus, quos Syncellus commemorat, incertum. Ad tempus quidem Dynastiæ XX. videntur pariter referendi, quum pariter proximo post Trojam captam tempore reperiantur relati. Confirmatur id vel maxime ex Diodoro Siculo, qui *pag.* 40. A. de Pyramide maxima a Chemmi vel Cheophe exstructa agens, inde *ad suam usque vitam non minus quam mille annos* præteriisse ex vulgari traditione ait, licet addat, esse *etiam, qui plus quam* 3400. *annos* a Pyramide condita effluxisse dicant. Posterius hoc referendum est ad aliam originem Pyramidum, quæ variis tribuitur Regibus, ut ipse ait *pag.* 41. At ex priore *Mille annorum* spatio possumus eruere ætatem Chemmis, quæ ita incidit in tempus Dynastiæ XX. seu in intervallum inter Trojam captam & Salomonis Hebræi Regnum. Etenim vixit Diodorus circa annum Romæ conditæ 700. ipse vero in fine *Proœmii* a Bello Trojano ad sua tempora elapsos ait 1138. annos. Petavius ad ann. V. C. 700. computat annos 1131. at a quarto anno Salomo-

lomonis 959. Liquet hinc, initium illud mille annorum cadere in tempora post B. Trojanum, & ante Salomonis regnum: ad quæ tempora Dynastiæ quoque xx. ætas ex Manethone est referenda, quum ab illo in ultima tempora Dynastiæ XIX. Bellum Trojanum rejiciatur, & ab XXI. Dynastia usque ad Cambysen, & inde usque ad 700. V. C. annum exoriantur apud Eusebium 955. anni. Sed Nomina Regum Herodoti ac Diodori cum Syncello non multum concordant. At vero potuerunt ejusdem fuisse Dynastiæ Reges, & tamen diversi, quum ea apud Africanum & Eusebium pariter Reges XII. habuisse dicatur, qui imperium per annos 178. tenuerint. Potuerunt ergo & illi Tres, quos Syncellus, & illi, quos Herodotus ac Diodorus memoriæ nostræ prodiderunt, diversi fuisse Reges, sed tamen ejusdem Dynastiæ. Nam neque in aliis Dynastiis ulli eorum Nominum Reges occurrunt. Istius autem Dynastiæ Reges nominatim non sunt expressi, haud dubie, quoniam in iis erant illi Impii & *non nominandi*, ut ex Herodoto retulimus. Sed una manet hæsitatio, quod Reges hujus Dynastiæ dicuntur a Manethone *Diospolitæ*, at Diodorus suum Chemmin dicit *Memphiten*. At vero ortum id

esse potest vel ex conjectura, quia Pyramidem maximam fertur exstruxisse, quæ, ut & reliquæ fere Pyramides, fuit juxta Memphim, vel ex eo, quod Memphi ille potissimum habitaverit & aulam habuerit, licet majores ipsius fuissent Diospolitani. Confer. *pag.* 282. Ceteroquin enim per totam Aegyptum videntur illi ex Historia Herodoti ac Diodori fuisse Reges, omnibus quippe Aegyptiis invisi.

Aliud quoque hic occurrit notandum, quod, quæ *Cheophi* tribuuntur a Græcis, eadem fere apud Manethonem in Dynastia IV. adscribantur *Suphi*. Nam & hic dicitur *maximam Pyramidem* erexisse, æque ac *Cheops*, vel *Chemmis* apud Diodorum. Sed & præterea Africanus de illo Suphi apud Sync. *p.* 56. ὗτος δὲ καὶ ὁ Περόπτης εἰς Θεὺς ἐγένετο, καὶ τὴν ἱερὰν συνέγραψε βίβλον, ἣν ὡς μέγα χρῆμα ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενος ἐκτησάμην. Vertitur: *Idem Peroptes dictus, inter Divos relatus est, Librumque de Sacris conscripsit, quem veluti pretiosam supellectilem in Aegypto mihi comparavi.* Res profecto mira, Goarium, Syncelli Interpretem, hæc ita accepisse, & Latine reddidisse, quum Eusebius apud Eundem Sync. *p.* 57. aliter & plenius ac rectius hæc extulerit, ὃς καὶ Ὑπερόπτης εἰς Θεὺς γέγονεν, ὡς μετανοήσαντα αὐτὸν τὴν ἱερὰν συγγράψαι βίβλον, ἣν

ὡς μέγα χρῆμα Αἰγύπτιοι περιέπουσι. Quorum ſenſus eſt ſecundum ipſam Goarii mentem, *qui etiam contemptor Deorum fuit, adeo ut dein pœnitentia ductus ſacrum conſcripſerit Librum, quem Aegyptii, ut rem magnam, veneratione proſequuntur.* Patet utique clariſſimum in modum, ex hisce Euſebii illa Africani eſſe emendanda, & pro ὁ περόπτης iſtic quoque legendum Ὑπερόπτης, quando omnia bene ſe habent. Et ita Joſephus *Antiq.* X. I. τῶν δὲ δικαίων καὶ τοῦ δέοντος ὑπερόπτης, *juſti & æqui contemptor.* Quamvis autem hoc ſatis videatur liquidum, tamen Marshamus Africani Scripturam, ſed vel ſic ab ſe prius pro arbitrio correctam, præfert Euſebianæ, tanquam quæ poſterior ſit Africano, qui ſua hauſerit ex ipſo Manethone. Legit ergo verba Africani hunc in modum [a], οὗτος δὲ καὶ περιόπτης εἰς Θεοὺς ἐγένετο, *Hic etiam contemplator in Deos fuit.* At quæ hæc eſt agendi ratio? cum ſimplicia & idonei maxime ſenſus verba habeas apud Euſebium, qui ex Africano ſua *transſcripſit*, ut ipſe ait Marshamus, nolle tamen iis acquieſcere, & corrupta Africani verba non ex liquidis & integris Euſebii, ſed ex conjectura potius vaniſſima, velle reſtituere. Nam nihili vox eſt Περιόπτης, nusquam reperta, nusquam annota-

[a] *Pag.* 52. *E. L.*

ta, quæ ipsa tamen, si exstaret in Græcis, notaret vel sic ex Analogia significationum, vel *Contemptorem*, vel *Prudentem* virum & *omnia circumspicientem*. Accedit jam his, quod Eusebianus & genuinus sensus, atque ipsa Suphidis, qui maximam Pyramidem exstruxit, descriptio, confirmentur vel maxime ex Herodoti Cheope, qui itidem dicitur maximam Pyramidem exstruxisse. Nam ut Suphis traditur fuisse *contemptor Deorum*, sic & Cheops apud Herodotum II. 124. dicitur *occlusisse omnia templa, & Aegyptios ab Sacris faciendis avertisse ac prohibuisse*. Congruit ergo sic satis Historia Suphidis & Cheophis, vel Chemmis, quia uterque dicitur illam maximam omnium Pyramidem exstruxisse, & uterque describitur, tanquam extra ordinem impius Deorum contemptor, ut adeo unus vere videatur ex altero sumptus. Forsan etiam alterutro in Scriptore corruptum est nomen Regis. Nam certe, si una litera mutata, legas in Manethone Χȣ̃φις, haberes ipsum *Cheophis* nomen, nec longe abscedens ab ejus Fratris *Chephrenis* nomine. Nam & in iis, qui sequuntur, aliquid similitudinis reperio. Secundus enim Herodoto & Diodoro est *Chefbren* Frater, Manethoni iterum *Suphis*, vel forsan

ſan *Chuphis*; Tertius vero illis *Mycerinus*, vel ſecundum variam lectionem apud Diodorum *Mencherinus*, & ita plane Tertius apud Manethonem *Mencheres*. Non aliena a veriſimilitudine hæc comparatio videbitur illis, qui ex ſuperioribus proximis repetent & conferent, quæ diximus de iisdem tribus Regibus Dynaſtiæ xx. apud Syncellum, & Dynaſtiæ Primæ apud Manethonem; & novum præbebit argumentum ſubleſtæ fidei, quæ in Dynaſtiis Manethonis, præſertim antiquiſſimis paſſim reperitur. Ceterum licet iſti Reges Herodoti ac Diodori ſatis liquido conveniant in tempus Dynaſtiæ xx. inter Trojam captam & Salomonis Regnum, & licet ab ipſis illis Auctoribus, qui ſoli fere horum Regum nobis memoriam prodiderunt, conjungantur in idem non modo ſæculum, ſed & cognationem; ut Primi Secundus dicatur *Frater*, Tertius *Filius*, Marshamus tamen ſolita ſibi audacia & liberrimo arbitrio, quo in his utitur, eos ita ſpargit & ſeparat, *pag*. 49. ut Cheophin ſeu Chemmin referat ad Sæculum VI. & Regem Dynaſtiæ VI. Quartum, *Phiopa*, *pag*. 50. Chephrenem ad Sæculum III. & ad Regem Dynaſtiæ III. Ultimum, qui a Manethone Κερφέρης nominatur, ſola, ut videtur, in his nominum ſimilitudine ductus, *pag*. 47.

Mycerinum denique *pag. ead.* ad Sæculum V. & Regem Quartum Dynaſtiæ Quartæ, *Mencherem*, cum quo ipſo nos quoque Mycerinum comparavimus, ſed ita ut Utriusque duos Deceſſores itidem pro iisdem habeamus. Verum iſta Marshami refelluntur clariſſime ex ipſis Herodoto & Diodoro, non modo quod, ut diximus, eos in proximam Patris, Fratris, & Filii, cognationem conjunxerint, ſed & quod Reges illi pariter ab utroque in tempora poſt Trojam captam rejiciantur, quæ in ipſa Marshami Chronologia Sæculo demum XII. refertur capta.

CAP. XV.

Reges Aegyptii tempore Belli Trojani. Thuoris *videtur fuiſſe* Thonis *Homeri & Herodoti. Euſtathius notatur.* Proteus, *Deus Marinus, fuit Rex Aegypti. Dicitur* Memphites *ab Herodoto, & cur, quum Rex fuerit proprie* Diospolitanus. *Ab Aegyptiis* Κέτην *dictus. Videtur* Sethos *fuiſſe Primus Dynaſtiæ* XIX. *apud Manethonem Rex, &*

Κῆρτος, *vel potius* Κῆτος, *apud Syncellum. Reliqui istius Dynastiæ Reges conveniunt cum iis, qui ab Aliis tempore B. Trojani exstitisse traduntur.* Tithoni *nomen potest videri ortum ex illo* Κέτην. Memnon Tithoni *F. quis fuerit. An vere Trojanis opem tulerit, & perierit in eo Bello. Ex Poëta & Homero certa Hominum ætas constitui non potest, siquidem ille undecunque illustres Viros arripuit ad Poëma suum ornandum & explendum.* Memnon *potuit fuisse* Amenophis *ultimus Dynastiæ* XVIII. *vel* Amenemnes *Quartus Dynastiæ* XIX. *Rex. Aegyptiis etiam* Imandes *vel* Mendes *dictus. Quare* Aethiops *fuisse dicatur. Franc. Blanchini Veronensis sententia de B. Trojano, & de Sesostride refertur & exploditur.* Sesostris *non fuit Aethiops, nec Arabs, sed proprie Aegyptius. Error Blanchini in* Justino *exponendo. Pessime* Psammetichum,

qui XII. *Regulis successit, pro Filio Sesostris habet. Locus* Strabonis *male versus explicatur ex Herodoto.* Menelai *nomen unde ortum in littoribus Aegypti.* Actisanes *Aethiops Diodori antiquior B. Trojano.*

Progrediendum nunc denique ad ipsa Trojani Belli tempora, ad quæ diversi Scriptores diversos Aegyptiorum Reges referunt. Manetho in Dynastiam XIX. & ad ejus ultimum Regem, *Thuorim*, rejicit hoc bellum, siquidem secundum Africanum & Eusebium Thuorim tradidit esse illum, qui *Homero dicitur Polybus, Alcandræ Maritus, sub quo captum sit Ilium.* Neque aliter Syncellus in *Serie Regum.* Ego vero contulerim potius hunc Thuorim cum *Thoni*, quem itidem memorat Homerus *Odyss.* Δ. 228. ubi Eustathius: *Ferunt ipsum Regem fuisse istic, ubi ostium erat Nili juxta Canobum, & inventorem medicinæ apud Aegyptios. Ab eo appellatum istic quoque oppidum, Thonin, & primum apud Aegyptios mensem, Thoth.* In his videtur ille mihi confundere *Thuorin*, & *Athotin*, qui apud Syncellum proxime post illum positus reperitur, & ad

Hunc

Hunc referre, quæ Manetho de antiquissimo *Athothi*, Menis Primi omnium Regis Filio, & ita Primæ Dynastiæ Secundo Rege, tradit. Nam eum Ille ait apud Eusebium, Ἰατρικὴν ἐξασκῆσαι *Medicinam excoluisse* primum. Sed & ab illo Mensis *Thoth* nomen suum accepisse perhibetur. Quæ non conveniunt in Regem tam Seri temporis. *Polybum* autem Homeri, *Odyss.* Δ. 126. Regem Thebanum, nemo, quod sciam, nisi ex ipso, memorat.

At Herodotus & Diodorus *Protea* Memphitem, Regem istius temporis fuisse tradunt, qui *Thonin* Canobitico ostio præfecerit, & ad quem Paris cum Helena a Thoni fuerint missi, tanquam ad unicum inferioris Aegypti Regem. Neque ignoravit *Protea* Aegyptium Homerus, sed ex eo fecit Deum Marinum in littoribus Aegypti. *Odyss.* Δ. 385. Ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος. ubi Eustathius de Proteo ait, ἱστόρηται, ὅτι ἀνὴρ ἦν τις Μεμφίτης, ᾧ κατὰ Ἑλλήνων γλῶσσαν ὄνομα Πρωτεὺς, *traditum, fuisse eum Virum Memphiten, cui secundum linguam Græcorum nomen fuerit Proteus.* Sed hæc ex Herodoto II. 112. sunt sumpta, & de *Rege Proteo* istic dicuntur, ut adeo Eustathius quoque & Deum illum Homeri, & Regem Herodoti, pro eodem habuisse videatur, aeque ac Diodorus, ut mox videbi-

 mus.

mus. Nihil autem in his reperimus, quod nos ducat in viam quandam ad inveniendum in Dynaſtiis Manethonis, Aegyptium hunc Regem. Quin immo *Memphites* hic Proteus dicitur Herodoto, quum apud Manethonem Reges Dynaſtiæ XIX. ad quam refertur tempus Trojæ captæ, dicantur *Diospolitæ*. Sed difficultas hæc non adeo magni eſt momenti, ſiquidem Proteus tenuit inferiora Aegypti, ſaltem a Memphi usque ad Mare Mediterraneum. Potuit ergo fuiſſe origine & familia Diospolitanus, ſed ſedem fixiſſe Memphi, ejusque rei varias habuiſſe cauſas, & interim littori præfeciſſe diverſos præfectos, inter quos fuerit ille Thonis. Hinc ergo *Memphites* Herodoto, qui *Diospolitanus* Manethoni. Confer. *pag.* 274.

Ceterum Diodorus aliquid hic habet, quod memorari a nobis debet. Refert ille *pag.* 38. &c. poſt Seſoſtris poſteros exſtitiſſe plures Reges, & tandem quendam crudeliſſimum, *Amaſin* dictum. Hunc oppugnatum ab *Actiſane* Aethiopum Rege, & deſtitutum ab ſuis, qui eum odio habebant, regno excidiſſe, quod ita Aethiops ille facile occupaverit. Sed eo mortuo, Aegyptios iterum ſui juris factos, elegiſſe indigenam Regem, *Mendem* vel *Marum*, qui belli nihil geſſerit, ſed Labyrinthum

ex-

exſtruxerit, ad cujus exemplar Cretenſem dein fecerit Dædalus. Ab ejus dein morte exſtitiſſe Anarchiam, ſeu interregnum ἐπὶ γενεὰς πέντε *in quinque ætates*. Poſt quas elapſas Aegyptii elegerint quendam ex ignobilibus, quem ipſi *Ceten* (Κέτην) at Græci *Protea* dixerint, qui ventorum & tempeſtatum ſcientiam ab Aſtrologis didicerit, & quia pro inſignibus Regni adhibuerit variorum animantium atque aliarum rerum formas capiti circumdatas vel impoſitas, inde fabulam apud Græcos ortam (quæ videri poteſt apud Homerum *Odyſſ.* Δ. & Ovidium VIII. *Metam.*) potuiſſe illum in varias quam plurimas mutare ſe formas. Priora illa minus conſonant aliis aliorum traditionibus, & Seſoſtrim nimis vetuſtum removent in tempus. At quæ tradit de *Proteo*, ab veriſimilitudine non videntur aliena. Probabile eſt, illum a Græcis fuiſſe dictum Πρωτέα, quia *Primus* fuerit poſt Anarchiam aliquam Rex, *Primus* ſuæ Familiæ, *Primus* novæ Dynaſtiæ. At Aegyptii ipſi eum *Ceten* appellarunt, quod nomen cum nullo iſtius temporis Rege propius congruit, quam cum Sethoſe, Primo Dynaſtiæ XIX. Rege, qui ab Syncello in *Serie Regum* videtur Κήρτος, *Certus*, dictus, haud dubie pro Κῆτος. Litera S. in hoc nomine, & in illo, *Sethos*, debetur Græcis,
qui

qui solent ultimam Barbarorum nominum literam mutare in eam, quæ sua in Lingua terminationibus nominum est propria. Sic passim in S. Scriptura, *Rehabeam*, *Jeroboam*, *Abiam*, &c. Græcis desinunt in S. Sic ex Hannibal fecere Ἀννίβας, &c. K porro solet mutari in T, & T in S. Hinc ex Κέτην fecisse priores Græci *Tithon*, posteriores *Sethon* vel *Sethos*, videntur. Huic a Manethone successor tribuitur apud Syncellum, Africanum, & Eusebium *Rampsis*, *Raphaces*, *Rapses*, sicuti Proteo apud Diodorum *Remphis*, apud Herodotum *Rampsinitus*. Nomina hæc pariter corrupta videntur variis modis ex uno genuino & sæpius usitato, *Ramesses* vel *Rhamses*. Et hinc Plinius N. H. XXXVI. 8. *Ramisen* nominat, *quo regnante Ilium fuerit captum*. Videtur ergo tempore Belli Trojani *Proteus*, sive *Sethos*, sive *Keten*, sive etiam *Tithonus*, ut mox dicemus, celebris Aegypti Rex exstitisse, ut & ejus Filius *Rhamsis* vel *Rhamsinitus*: *Ammenemes* autem & *Thuoris*, seu apud Græcos *Memnon* & *Thonis*, fuisse primum Duces illorum Regum, at dein Reges: Hæc autem Nomina *Amenophis* & *Amenemmes*, videntur Græci confudisse in unum suae Linguae Nomen *Memnon*, de quo nunc agendum erit.

Eum

Eum ergo *Aethiopem* fuiſſe, & *Filium Tithoni*, ajunt antiquiſſimi Poëtae, Heſiodus & Pindarus. Tithonum autem ab ſe adamatum Aurora rapuiſſe dicitur, & *abduxiſſe in Aethiopiam*, atque ita ex eo concepiſſe & edidiſſe *Memnonem*, apud Apollodorum *lib.* III. *cap.* 11. Sed & Pauſanias in *Phocicis* [a], *Memnonem Aethiopum fuiſſe Regem* ait, *veniſſe tamen ad B. Trojanum non ex Aethiopia, ſed a Suſis, Perſarum Urbe, debellatis omnibus iis nationibus, quæ mediæ ſint usque ad Choaspem flumen. Monſtrare etiamnum Phryges, quo itinere exercitum duxerit, dum locorum compendia ſectaretur*. Nempe *ex Aethiopia ille in Aegyptum venerat, & Suſa usque penetraverat*, ut Idem tradit in *Atticis* [b]. Diodorus quoque Siculus *lib.* II. *p.* 77, 78. quum prius retuliſſet, Tithonum Memnonis Patrem præfectum fuiſſe Perſis ab Rege Aſſyrio, apud quem gratia valuerit, & qui Memnonem Trojanis auxilio miſerit, addit dein, Aethiopas tamen juxta Aegyptum habitantes affirmare, apud ſe natum eſſe & vixiſſe Memnonem, ſupereſſe etiamdum palatia iſtic, quæ ab illo *Memnonia* dicantur: occiſum autem in B. Trojano, & Aethiopas cadaver illius cremaſſe, & oſſa ad Tithonum retuliſſe. Sed & apud Philoſtratum in

a *Cap.* XXXI. b *Cap.* XLII.

in *Vita Apollonii Tyanei lib.* VI. *cap.* 4. dicitur *Memnon neutiquam venisse Troiam in regionem, nedum ibi periisse, sed in Aethiopia mortuus, quum Rex Aethiopum fuisset per generationes quinque.* Quin in *Heroicis Cap.* III. §. 4. ait *exstitisse quidem Memnonem Aethiopem*, δυναστεύοντα ἐν Αἰθιοπίᾳ, *regnantem in Aethiopia, tempore Trojani Belli, eique Sacra facere in Urbibus Meroë & Memphi Aegyptios & Aethiopas: Trojanum autem Memnonem fuisse alium.* Patet ex his omnibus, Memnonem a Græcis proprie *Aethiopem* dici, immo *ex Aethiopia in Aegyptum venisse* creditum, si fides Pausaniæ in *Atticis*. Sed vix dubitandum, quin illud ortum sit ab antiquissimis Poëtis, qui omnem superiorem Aegyptum, & maxime Thebaidem, communi nomine vocarunt *Aethiopiam*. Vide Marshamum *pag.* 136. & 406 [a]. Fuit autem celebris illa Memnonis statua in Urbe Thebarum, ut notissimum est, atque ejus Regia in Urbe Abydo, infra Thebas sita. Ceterum facile credo Philostrato, Memnonem hunc nunquam venisse Ilium, ut auxilium ferret Trojanis; sed neque alium crediderim exstitisse *Trojanum Memnonem*, nisi quem moveat in contrarium, quod in Troja supra Aesapi ostium in tumulo *ostenditur Sepulchrum*

[a] *Pag.* 141. & 430. *E. L.*

chrum Memnonis Tithoni F. prope quem locum ſit quoque Pagus Memnonis, apud Strabonem *lib.* XIII [a]. Verum hæc videntur poſterioris eſſe temporis, & ex antiquis illis Græcorum Poëtarum fabulis profecta, unde multa loca nomen ſuum deinceps acceperunt.

Quid ergo? Putem potius, Homerum, quum celebris fuiſſet circa illa tempora, laxius ſumpta (nam a Poëta fidem Chronologicam exigere neutiquam debemus) Memnon iſte, qui ex Aegypto & Thebaide progreſſus in Orientem, Suſa tenuit, arripuiſſe ergo illum non quidem ex profeſſo, ſed quaſi prætereundo, ut jucunda rerum varietate opus ſuum tanto magis illuſtraret ornaretque. Sic ſine dubio Sarpedonem quoque & Glaucum ex Lycia, aliosque adhibuit ex Veteri & Mythica Hiſtoria repetitos, non quod revera tunc tales exſtiterint & Trojanis ſuppetias tulerint, ſed quod vellet Poëta Heroas celebres cujuscunque temporis, ſed antiqui, conferre in ſui Poëmatis argumentum ad gratiam varietatis illi conciliandam. Certe enim Sarpedonis & Glauci ætas, ſecundum ipſam Homeri Genealogiam, non ſatis congruit in Belli Trojani tempus. Bellerophontis enim Nepos ex Filia Sarpedon,

[a] *Pag.* 587.

don, ex Filio Glaucus fuisse traditur. Vide *Iliad*. Z. *v*. 196. &c. Jam vero Bellerophon vixit Prœto æqualis, siquidem Prœti Uxor eum amavit, & cum repulsam tulisset, apud maritum suum accusavit, qui eum tunc cum literis in Lyciam ad Socerum misit;. ut istic e medio tolleretur. Acrisius porro Prœti Frater, fuit avus Persei, Perseus per diversos Filios Proavus Herculis. Hujus vero æquales fuerunt Patres illorum, qui Trojam oppugnarunt. Ut adeo tempore Belli Trojani vixerint Prœti & æqualium Pronepotes Pronepotum, quum Bellerophontis tantum Nepotes fuerint Sarpedon & Glaucus. Similiter ergo neutiquam ex eo, quod Homerus, & dein alii Poëtæ Græci, Memnonem retulerunt ad Bellum Trojanum, & inter Duces, qui Trojanis suppetias tulerint, numeraverunt, certi quid & definiti de ætate illius affirmari posse putem, idque tanto minus, quoniam Græci Historiarum Scriptores in rebus & Regibus Aegyptiis *Memnonem* nullum, immo plane alios Aegypti Reges, tempore B. Trojani nominent. Non tamen prorsus rejecerim eum, quippe cujus monumenta in Aegypto supererant complura. Sed crediderim vixisse ac res præclaras in Oriente gessisse circa B. Trojani tempus, quem ideo arripuerit, ut diximus,

Ho-

Homerus, & ad instruendam ac explendam suam Iliadem adhibuerit.

Quod si quis tamen omnino eum tunc vixisse, & Trojanis subsidio venisse velit, dici forsan posset, fuisse Memnonem hunc vivo Patre mortuum; missumque in Asiam majorem, occupasse Susa, inde vero flexisse in Asiam minorem, & ibi obviam factum Græcis, qui in eandem passim excursiones faciebant, atque ab iis cæsum. Ita vero posset videri Filius Protei, seu *Sethosis*, & hoc ipsum nomen a Græcis, litera T priore in S conversa, quod frequentissimum illis fuit, formatum ex *Tithonus*, ad quem ossa ejus reportasse Aethiopes dicuntur apud Diodorum. Ceteroqui (nam variis viis lubens in hisce obscuris verum investigo) quia diserte tamen apud Pausaniam [a] Memnonis hujus statua ab indigenis dicitur referri ad quendam *Phamenophan*, seu potius *Amenophin*, & quia circa hæc tempora duos istius nominis reperimus Reges, Octavum & Sextum decimum, seu ultimum Dynastiæ XVIII. ad alterutrum ergo retulerim hunc Memnonem. Syncellus quidem & Eusebius ad priorem, h. e. Octavum, referunt. Ego ad ultimum malim, quia is proxime ante Sethosin præmittitur, & Sesostrin sequitur, quod

[a] In *Attic. Cap.* XLII.

fecisse Memnonem vero propius est, quam præcessisse, maxime si circa Trojani B. tempus vixit. Sed & quia *Memnonis* nomini propius etiam est *Amenemmis* nomen, idque in Regibus Dynastiæ XIX. ad cujus tempus referendum omnino videtur Bellum Trojanum, occurrit, vero congruens sic satis mihi certe videtur, *Memnonis* nomen apud Græcos inde ortum. Accedit, quod Syncellus hunc Amenemmen vocat *Amensen*, a quo non adeo longe recedit, quod Strabo ait *lib.* XVII. *p.* 813. vulgo *tradi, Memnonem ab Aegyptiis dici Ismanden.* Hoc ipsum autem nomen paulo ante *p.* 811. *Imanden*, vel, ut in Epitoma est, *Mainden* scripsit, licet alterius id videatur Regis fuisse, & illius, qui Labyrinthum fecerit. Eum autem Diodorus Siculus *lib.* I. *pag.* 39. & 61. *Mendem* vel *Marum* vocitat. Strabo *Ismanden*, *Memnona*, & *Imanden* Labyrinthi conditorem, eundem fuisse hominem suspicatur *pag.* 813. Sed fuerint diversi, tamen, sicuti ex *Imandis* nomine *Menden* ortum, nos docet Diodorus, sic ex *Ismandis* nomine facile Syncellus *Amensen*, & ex *Amensis* atque *Amenemmis* nominibus Græci solita sibi depravatione *Memnona* fecisse potuerunt. Removendum superest, quod specie quadam opponi potest nostræ de Memnone sententiæ, fuisse Eum con-

stan-

ſtanter a Græcis *Aethiopem* dictum. Non ergo fuiſſe Dyn. XVIII. vel XIX. Regem, qui fuerunt *Diospolitani:* Sed videntur Hi Reges opibus aucti, protuliſſe identidem ſui imperii fines, & in iis tunc conſediſſe. Sic Protea vidimus jam Memphim tenuiſſe & ibi habitaſſe. Atque ita Memnon hic, ſive Amenophis fuerit, ſive Amenemmes, occupaſſe videtur Thebaidem, quæ *Aethiopia* a Veteribus Græcis dicebatur. Et ſane ſi Memnon bellum intulit remotis adeo in Aſiam regionibus, valde probabile eſt, eum prius totam Aegyptum ſibi ſubjeciſſe. Aſt ita, non ex Aethiopia in Aegyptum, ut vult Pauſanias, ſed ex Aegypto in Aethiopiam veniſſet, quod & longe veriſimilius.

Verum hæc omnia in incerto poſita fateor, eaque non niſi pro conjecturis vendito, nihil aſſeverans, nihil affirmans. Sufficit mihi, ſi in hiſce rebus tam obſcuris & reconditis, non multo quidem certius quid, ſed tamen longe veriſimilius attulerim, quam fecerunt alii, qui quidvis, quod ſuæ Hypotheſi congruit, confidenter affirmant, & non tam rationibus ac argumentis, quam aſſeverationibus diſputant. Hoc tamen pene certum, & ſatis liquere, exiſtimem, in tempus Dynaſtiæ XIX. incidiſſe Bellum Trojanum, ſiquidem omnia fe-

re istius Dynastiæ Regum non suspectorum nomina aliquid ad id probandum conferre videntur. Primus enim est Σέθως, qui Diodoro Κέτην, & qui a Græcis *Proteus* videtur dictus, quia *Primus* fuit Novæ Familiæ & Dynastiæ Rex. Secundus est, qui ab omnibus designatur tali nomine, quod ex nomine *Ramessis* vel *Ramsis* est conflatum. Eum *Protei Filium* dicunt Herodotus ac Diodorus, sicuti Manetho *Sethosi Filium*. Quin & Plinius sub eo captum dicit Ilium. Tertium & quartum, omissos a Syncello, & ab Josepho pro suppositis & confictis habitos, Nos quoque suspectos, etiam aliis argumentis, satis declaravimus. Quintus est *Amenemmis*, vel *Amensis*, ex quo *Memnon* apud Græcos videri potest ortus, nisi quis malit, ut dixi, *Amenophin*, proximum ante Sethosim, pro Memnone accipere. Sextus est *Thuoris*, sub quo Manetho dicit Ilium esse captum, sed qui sine dubio est ille idem, qui ab Homero & Herodoto *Thonis* vocatur. Pro mera tamen fabula habeo, quod Herodoto narrarunt Sacerdotes, & ille pro vero vult haberi [a], Parin cum Helena Lacedæmone aufugientem, ut Trojam se conferret, appulisse in Aegyptum, atque ibi utrosque ab Thoni præfecto littoris ad Regem Protea

[a] *Lib. II. cap.* 113.

tea miſſos; ab Hoc autem Parin dimiſſum, ſed Helenam retentam, ut repetenti eam Marito redderet. Nam quis Græcos credat maluiſſe bellum tam difficile gerere cum Trojanis, quam explorare prius, utrum Helena, quod dicebant palam, ſi credimus Herodoto, Trojani, in Aegypto extra Trojanorum poteſtatem ageret, nec ne. Deinde *Thuoris* ille Rex fuit, ſi fides Manethoni, poſt Protea, Rhamſen, & Amenemmen, non ergo Præfectus fuit littori Canobico ſub Proteo. Potuit tamen Præfectus fuiſſe iſtius oræ, & poſtea evaſiſſe Rex, ſed non ſub Proteo, neque capti Ilii tempore: quod poſterius tamen Manetho dicit, licet eo tempore Proteus Rex fuerit Aegypti, & ejus Filius Ramſes, vel Rhampſinitus.

Cum hiſce meis argumentis ſeu conjecturis facile jam patior aliorum aſſeverationes conferri, qui omnia affirmando ſine ullis fere vel in ſpeciem rerum documentis conficiunt. Ceterum non poſſum, quin hic tandem breviter quoque exhibeam de rebus Aegyptiacis ſententiam Franc. Blanchini Veronenſis, qui Italica dialecto *Hiſtoriam Univerſam* abhinc annis tredecim Romæ edidit, & *Capite* XXX. res Trojanas, Aegyptias, & Aſiaticas inter ſe miris modis implicitas exponit, & ita, ut omnem

Historiam istarum rerum incredibile quantum pervertat. Sentit ergo ille *Sesostrim* fuisse *Cuschanum Rischathaim*, Regem *Syriæ fluviorum*, h. e. Mesopotamiæ, qui primus Israëlitas post Josuæ tempora in servitutem redegit. §. 25. Illum vero fuisse etiam *Memnonem Aethiopem*, diversum tamen a Memnone Assyrio, qui Trojanis opem tulerit. §. 49. *pag.* 472. Hunc autem Aethiopem Memnona, seu Sesostrin, censet ex Aethiopia Orientali, h. e. Arabia, venisse, trajecisse Sinum Arabicum, occupasse finitima atque ipsam Aegyptum, inde reliquam Asiam, idque probat ex Herodoto II. 102. quia istic Sesostris dicitur ex Arabico Sinu progressus navigasse in Mare Erythræum. Nam eo argumento affirmat, fuisse ergo *Arabem*, seu *Aethiopem Orientalem*, & occupasse Aegyptum. Atqui Herodotus eo loco nihil aliud declarat, quam Sesostrim Aegyptium ex vicino sibi sinu Arabico navigasse versus Austrum, & Oceanum, seu Mare Erythræum. Unde quum implicitus hæreret vadis, ὀπίσω ἀπίκετο ἐς Αἴγυπτον, *retro abiit in Aegyptum*, unde scilicet venerat. Ibi ergo novum collegit exercitum plane validum, quo continentem Asiæ domuit. Nihil utique in his reperitur, ex quo liqueat fuisse illum Aethiopem, aut Arabem, non Aegyptium.

Quin

Quin e contrario ipse Herodotus *cap.* 137. *Regem Sesostrim*, & *Regem Aethiopem*, distinguit & opponit, tanquam diversarum Gentium Reges, dum ait, terram Aegypti fuisse primum aggestam ex fossis ἐπὶ Σεσώστριος βασιλέος, *tempore Regis Sesostris* factis, deinde iterum ἐπὶ τοῦ Αἰθίοπος, *sub Aethiope* Rege. Liquet inde sic satis, Sesostrim Herodoto non fuisse *Aethiopem*; nam ceteroqui distinctio hæc foret ineptissima. Adde, quod neque alibi aliter ab eo, quam *Rex Aegyptius*, ostentetur. Hanc in rem nihil disertius potest dari, quam quod ait *cap.* 110. ubi sic de Eo: Βασιλεὺς μὲν δὴ οὗτος δὴ μοῦνος Αἰγύπτιος Αἰθιοπίης ἦρξε, *Rex quidem ille Aegyptius solus potitus est Aethiopiæ*. Ergo Aegypti ab initio fuit Rex, sed qui dein Aethiopiam quoque tenuit, non contra, sicuti vult Blanchinus. Præterea Diodorus Sic. *lib.* 1. *pag.* 34. Sesostrin a Patre missum *in Arabiam* tradit, eamque gentem barbaram, quæ nunquam antea servierat, domuisse. Etiam hinc manifestum, non venisse ergo eum *ex Arabia* primum, tanquam ex patria, sed fuisse paternum Arabum Hostem. Adde & Strabonem *lib.* XVI. *p.* 769. de *Aethiopia* simul & *Arabia* ab Eo subactis. Sed & idem Blanchinus gravissime peccat, quando §. 31. *pag.* 448. locum Justini l. 1. exponit ita,

ut Vexorin, seu Sesostrin, excessisse tradat victoriis suis usque in Aegyptum, Tanaum vero ex Scythia usque in Pontum, quum diserte contrarium dicat Justinus, *Fuere quidem temporibus antiquiores, Vexoris Aegypti, & Scythiæ Rex Tanaus, quorum alter in Pontum, alter usque Aegyptum excessit.* Quis quæso in Aegyptum usque excessit ex patria sua? Non utique Rex ipsius Aegypti, sed Scythiæ; alter vero ex Aegypto in Pontum usque per latitudinem totius Asiæ pervenit victor.

Ceterum has victorias Sesostris peperisse autumat, in primis post ejus mortem, conspirationem seu fœdus variarum Gentium contra Aethiopas & Aegyptios, immo hinc factum esse, ut tota Asia in duas quasi factiones divideretur, unde ortum fuerit Bellum Trojanum. Illud autem modo describit tanquam a Græcis gestum, sed ita, ut Dionis Chrysostomi lusum ingenii, seu Orationem ad Ilienses, secutus, non captam Urbem, sed pace facta, ac re infecta, Græcos discessisse domum affirmet, modo ut Iliadem Homeri agere judicet de potentia Aethiopum, Assyriorum, Aegypti, Asiæ, & vicinorum populorum, fidelius & distinctius, quam vulgo videatur, si modo sub nominibus personarum, Deorum specie inductarum, velimus agnoscere

Prin-

Principes & Monarchas. Vide §. 29. Per *Deos* ergo & *Deas* intelligit populos vel Reges difficulter vel facili negotio victos §. 36. Per *Jovem* Sesostrin & ejus successores, per *Junonem* Syriam, per *Neptunum* Asiam minorem, per *Apollinem* Babyloniam, per *Dianam* Amazonas, per *Martem* Armeniam, per *Mercurium* Phœnicem, per *Venerem* Cyprum, per *Minervam* denique Aegyptum §. 46. Conjunctos autem in unum fœdus fuisse, & Trojanis favisse, Babylonios, Assyrios, Armenios, Colchos, Iberos, Thracas, at Græcis Aethiopas, Aegyptios, Syros, §. 34. Gestum autem bellum potissimum de Dominio Maris Aegei & Mediterranei. *Ibidem*. Sed pacem factam, ut cuique Genti navigatio istic esset libera §. 49. *pag*. 469. 470. Res profecto mira, hanc rerum summam a Blanchino statui, quum apud ipsum Homerum *Iliad*. B. habeamus recensionem copiarum, auxiliorum, populorum, qui ad Bellum Trojanum, pro Urbe vel contra eam pugnaturi, fuerint profecti, nec ulla in iis mentio occurrat illorum populorum, qui præcipuas in eo partes a Blanchino sustinuisse dicuntur, seu inter quos præcipue Bellum hoc, non tam Trojanum, quam Asiaticum, fuisset susceptum: quum porro in *Odyssea* sæpe fiat mentio *Aegypti*,

Phœnicum, &c. ac nullas tamen partes iis in hoc communi, ut vult Blanchinus, Asiæ bello tributas ab Homero reperiamus.

Addit deinde, mox post hocce Bellum Aegyptios excussisse jugum Aethiopum Orientalium, ab Sesostri sibi impositum. Verum inde ortam aliquam Anarchiam, seu XII. Regulorum Principatum. Nempe segnius egisse Reges, qui fuerint tempore Belli Trojani, Protea, & Rhampsinitum, nisi quod hic tyrannice quoque regnaverit. Putat autem *Rhampsinitum* hunc & *Psammitichum*, qui successisse dicitur XII. Regulis apud Herodotum, esse prorsus eundem. §. 30. *pag*. 446. & §. 50. *p*. 474 475. & *p*. 484. Rationem addit plane indecoram, scilicet Psammitichum non fuisse adeo longe remotum a Sesostri, quia apud Strabonem *lib*. XVII. *pag*. 804. dicatur *Filius Sesostridis*. Verum turpis hic est error, ex versione arreptus. Dicit istic Strabo fossam inter Nilum & Sinum Arabicum *incisam primum a Sesostri ante Trojanum bellum*: οἱ δὲ ὑπὸ Ψαμμιτίχου παιδὸς, ἀρξαμένου μόνον, εἶτ' ἐκλιπόντος τὸν βίον: ὕστερον δὲ ὑπὸ Δαρείου &c. Male hæc versa etiam in ultima editione: *Nonnulli eam a Psammeticho Filio solum inchoatam putant, morte eum præcipiente: postea vero a Dario* &c. At vero vertendum erat manifeste prorsus, *Nonnulli vero*

vero a Psammetichi Filio scil. incisam primum putant, sed *qui* opus hoc tantum *inceperit, quum dein* brevi *moreretur*. Postulat id omnis Historiæ Fides, quæ Sesostrim longe antiquiorem facit, quam ut potuerit Pater fuisse Psammetichi, si maxime Hic vixisset proxime post Trojanum bellum; & quæ insuper Sesostri nunquam & nusquam talem tribuit Filium. Deinde vero, si Psammetichus fuisset Rhampsinitus, fuisset utique Protei, non Sesostridis Filius. Sed vel maxime res manifesta ex Herodoto, quem Strabo respicit. Ille enim est, qui fossam primum duci cœptam a Psammetichi Filio disertissime tradit *lib.* II. *cap.* 158. ubi ait, *Psammetichi vero Filius Necos fuit, Aegypti Rex, qui primus fossam in Rubrum mare aggressus est, quam Darius Persa secundum effodit.* Liquet hinc, quis post Sesostrim Straboni fuerit, qui secundum quosdam Primus effoderit hanc fossam, non Ψαμμίτιχος ipse, sed παῖς, non tamen Σεσώστριος, sed Ψαμμιτίχου. Alterum, quo Blanchinus utitur, argumentum itidem leve prorsus est. Homerus, ait, jam novit Aegypti etiam interiora; sed & reliquit istic Menelaus sui nominis memoriam: ergo Psammitichus ille, qui primus aditum Græcis dedisse in Aegyptum traditur, vixit jam ante Homerum, immo

jam

jam ante Menelai adventum in Aegyptum, atque adeo fuit ipse ille Rhampsinitus Protei F. Quasi non potuisset Homerus multa, sed vulgaria, de Aegypto, ex fama & narrationibus variorum, etiam exsulum ex Aegypto, cognovisse, & quasi non Græci fuerint soliti nomina barbara in suæ Linguæ similem fere vocem flectere. Certe Ego neutiquam ex eo, quod Græci in littore Aegypti Urbem & Portum & Nomon *Menelai* memorant, collegerim aut affirmaverim, hoc nomen illis locis impositum a Menelao Lacedæmonio; sed potius Græcos, quum reperissent istic nomen Aegyptiacum a nomine Menelai non multum abhorrens, illud ergo nomen in ipsum hoc *Menelai* conformasse, tanto magis, quoniam in Homero errores Menelai per littora Aegypti reperiebant narratos seu confictos. Quin ipse Homerus forsan eos confinxit, quia sciebat in littoribus Aegypti esse quosdam portus ac Urbes, quæ nomen habebant, quod ad *Menelai* nomen detorqueri facile posset. Facessat itaque Psammitichus a temporibus Trojanis, in quæ eum produxerat Blanchinus, ac redeat ad sua, quæ etiam sunt Manassis & Josiæ Judæorum Regum, post Romam jam conditam.

Ce-

Ceterum pergit Blanchinus Seriem rerum Aegyptiacarum ita nobis exponere; post has scilicet turbas, per quas Aegyptii mox post Trojam captam excusserint Aethiopum Orientalium seu Arabum jugum, quum ortus jam esset XII. Regulorum Principatus, excitatum Actisanen Aethiopem, sed ex illis, Aethiopibus, qui in ipsa Africa prorsus Meridiana supra Aegyptum habitarint, & ab Obale Jectanis, Phalegi Fratris, Filio, non a Cuscho Chami F. fuerint orti, eumque occupasse & sibi subjecisse tunc Aegyptum. §. 30. *p.* 445. 446. & §. 51. *p.* 475. At Actisanis hujus memoriam nobis unus conservavit Diodorus Siculus, quem idcirco relinquere non debemus, si quid de illo affirmare volumus. Diodorus autem Actisanen ait dejecisse de regno Amosin, crudelem prorsus & invisum suis Regem, atque ita regnum Aegypti obtinuisse, sed longe ante B. Trojanum, ante Protea & Remphin, immo ante illum Regem, qui Labyrinthum exstruxerit, ad cujus exemplum Cretensem fecerit Dædalus. Quantæ ergo audaciæ est, ex Diodoro nobis obtrudere Actisanen, eumque tamen demittere præter & contra disertam illius auctoritatem in tempus post B. Trojanum. Sed pergit: ortos ab hoc Actisane

ne videri illos Reges, Cheopha, seu Chemmin, & Chephrenem, qui ab Aegyptiis dicebantur impii in Deos fuisse, clausisse templa, & Homines ad Pyramidas exstruendas adegisse. Nempe hosce Aethiopas, ut dixi, ortos putat ex Jectane Phalegi Fratre, atque ita ex Hebero & Semo; retinuisse ideo veriorem Dei cultum, eaque de causa, quum tenerent Aegyptum, studuisse istic exstinguere superstitiones ab Aethiopibus Orientalibus seu Arabibus, a Cuscho, & Chamo descendentibus, in Aegyptum inductas, partim studio verioris religionis, quam penes se servaverint magna ex parte incolumem, partim politica ratione, ne Aegyptii, vinculo hoc communium sacrorum aut superstitionum excitati*, tanto lubentius redirent ad partes Aethiopum Orientalium, contra Aeth. Africanos. Sicuti factum postea, quando Mycerinus templa Deorum iterum aperuit, siquidem paulo post Sabaco Aethiops ex Arabia denuo occupaverit Aegyptum. Vide Eum *dictis* §. §. Verum hæc omnia (nam & reliqua sunt ejusdem farinæ) istius sunt generis, ut retulisse ea idem esse putem ac validissime confutasse. Nam quid tandem in iis traditur, quod non sit a vero alienum, & contortum in,

quam

quam lubuit, formam, sine ulla modestia aut verisimilitudine? Si in Italia talium fabularum & figmentorum quisquiliis animum pascere & oblectare possunt Viri Docti, non equidem invideo, sed miror quam maxime; Nos hic credimus id demum, quod, non quidem mathematice, sed historice & verisimiliter, probatum videmus. Certe nemini hic, nisi qui animum forsan habeat paradoxis & inauditis alias opinionibus vanitate quadam frivola deditum, persuadebit Blanchinus, eam, quam fingit fuisse Trojani Belli causam, rationem, & Historiam, in tales factiones distractam tunc fuisse Asiam, eam fuisse Regum Aegyptiorum Seriem, & Aethiopum Regum in Aegypto diversitatem, Sesostrim fuisse non Aegyptium, sed Aethiopem primitus aut Arabem, fuisse Cuschanum Rischataim, fuisse Memnonem, fuisse ipsum & ejus Successores Jovem Homericum.

CAP.

CAP. XVI.

Sesostris *ætas ad tempora Judicum Hebræorum referenda. Probatur id ex ætate* Myridis *apud Herodotum, &* Busiridis *apud Isocratem.* Tacitus *explicatur & tentatur.* *Manetho Sesostrin in Dyn.* XII. *longe ante tempora Moses & Pastorum, memorat. Sed hæ Dynastiæ ante Pastores prorsus sunt suspectæ. Possit etiam alius fuisse ille Sesostris, sed cui Africanus celeberrimi istius descriptionem de suo addiderit. Manetho certe, dum ex Sesostri vel* Sethosi Aegyptum *facit,* Danai *Fratrem, ad longe serius tempus eum retulit. An* Sethosis*, primus Dyn.* XIX. *Rex, fuerit Sesostris, an vero* Ramesses *inter ultimos Dynastiæ* XVIII. *Reges. Græcorum tempora ante B. Trojanum valde incerta. Sesostris temporibus* Judicum *occupasse videtur*

detur Palæstinam, quando Israëlitæ a Cananæis, & eorum Rege Iabino, in servitutem erant redacti, atque ideo nulla ejus victoriæ mentio in Libro Judicum *occurrit. Tempus, quod inter Exitum ex Aegypto & Templi ab Salomone exstructionem intercessit, fuiße videtur non* 480. *sed minimum* 580. *annorum. Inachus vixit tempore Mosis. Neutiquam verisimile, Homines jam tempore Abrahami & Isaci transiiße ex Asia in Peloponnesum, & ibi Regnum condidisse. Confertur tempus hinc a Mose, inde ab Inacho, usque ad Danaum & Trojam captam. Possit forsan victoria Sesostridis etiam in Tempus Moabiticæ servitutis conferri. Probatur illius ætas ex initiis* Nini *& Aßyriorum. Sesostris eruitur ex Dynastiis Manethonis, & temporibus* Servitutis Israëlitarum Cananææ *accommodatur. Sed incertissimum est, utrum Sesostris fuerit* Danai *Fratre. Quod*

si non accipimus, tum vero nulla superest difficultas in ejus ætate ad tempora Judicum *&* Servitutis Cananææ *referenda. Anonymus in* Memor. Trivult. *Sesostrin longe antiquiorem Mose facit, eo quod* Caphthoræos *in Pentateucho jam memoratos, ortos affirmat ex Colchis, illis ipsis, quos Sesostris in illa regione reliquit, sed clarissime refutatur.*

Sed jam tempus est, ut de *Sesostri* nos quoque magis ex professo agamus, & ejus ætatem investigemus, qua in re vel maxime hæret, ut sententiarum mira discrepantia, ita veri quid constituendi difficultas summa. Satis liquido jam refutavimus in superioribus Marshami sententiam, & Clerici, aliorumque, qui Marshamum temere sequuntur, & Sesostrin demittunt usque post B. Trojani tempus, & post Salomonem ipsum, Israëlis Regem. Abjecimus etiam supra *Cap.* XII. *circa finem*, illorum opinionem, qui Sesostrin referunt ad tempora supra Mosen vel Exitum Israëlitarum ex Aegypto, quæ etiam debuissent tam vasto imperio parum haberi opportuna,

na, ipsis quippe rerum initiis nimis adhuc propinqua. Sed & hac de re agemus denuo *in fine Hujus Capitis*. Superest ergo, ut in temporibus *Judicum* quæratur & inveniatur. Ad quæ tempora nos quoque ducunt designatæ ab Auctoribus Priscis certorum intervallorum summæ. Ita Herodotus II. 13. dicit Regem Myrin nondum *nongentis annis* fuisse mortuum tunc, quando ipse accepit pleraque ab Sacerdotibus Aegypti. Jam vero Myrin fuisse proximum decessorem Sesostrios scribit *cap.* 101. 102. At Diodorus I. *p.* 34. *septem* γενεὰς seu *successores* interponit. Ipse porro Herodotus ad sua usque tempora a Bello Trojano tradit *cap.* 145. circiter *annos octingentos* effluxisse, ab Hercule autem Alcmenæ Filio circiter *nongentos*. Secundum hanc Chronologiam vixisset Sesostris, ne integro quidem sæculo ante B. Trojanum, æqualis quippe Herculi Alcmenæ F. vel paulo serior. Hoc enim ex illa computatione sequitur. Sed revera tamen aliquanto fuit antiquior, inprimis, si idem fuit, qui Aegyptus, cujus Frater Danaus Tritavus fuit Persei, qui Herculis proavus. Constat tamen inde, quod diximus, ad *Judicum* tempora referendum videri Sesostrin: Myri porro æque ac Sesostri antiquior etiam est *Busiris* Primus & II. apud Dio-

dorum Siculum, ſed qui majorem in modum auget & extendit Chronologiam Aegyptiorum, gentis vanitati nimium indulgens. Græci Buſirin tradunt Patruum fuiſſe Danai, Fratrem Beli, qui Danai & Aegypti Pater. Utcunque ſit, antiquior fuit Danao & Seſoſtri, ſicut Hi antiquiores Bello Trojano. Jam vero Iſocrates in *Buſiridis laudatione circa finem*, Eum *ducentis annis* ante Perſea Herculis proavum vixiſſe ait. Ab Acriſii autem a Perſeo occiſi nece ſi retro regrediamur usque ad initium Danai, *annos* 160. plus minus reperiemus in Argivorum & Græcorum Chronologiis ac Genealogiis : quod tempus incidit juxta Petavium in tertium poſt mortem Joſuæ annum. Liquet ergo & inde, *Soſoſtrin*, qui *Buſiride* recentior, Joſua quoque recentiorem fuiſſe, certe neutiquam ſupra *Judicum* tempora promovendum.

Sed turbat hic nos Tacitus, qui *Annali* VI. *cap.* 28. de Ave Phœnice agens ait, *De numero Annorum*, quibus vivere ſoleat Phœnix, *varia traduntur. Maxime vulgatum Quingentorum ſpatium: Sunt qui adſeverent, mille quadringentos ſexaginta unum interjici; prioresque alites Seſoſtride primum, poſt Amaſide dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui He-*

Heliopolis nomen, advolavisse. Sed Antiquitas quidem obscura; inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. Etenim *Quingentos annos* inter priorem & posteriorem Phœnicem interjici, *maxime vulgatum* ait: ac dein visam Primam sub Sesoitride, Alteram sub Amaside. Amasis autem quando ita absolute nominatur, intelligitur a Græcis & Latinis potissimum ille, qui tempore Cyri vixit. Sequitur inde, inter hunc ergo Amasidem & Sesostridem quingentos tantum annos ex vulgatissima opinione de Phœnice, interjectos statui debere. At ita Sesostris demitteretur infra B. Trojanum, siquidem inter Trojam captam & Amasidis illius initium intercedit 615. annorum spatium: Id quod ab Sesostridis ætate est alienissimum, quippe qui ante illud B. Trojanum vixit, ut liquido in superioribus demonstravimus. Sed & bene habet, quod ex sequentibus satis patet, nihil argumenti ex hoc Taciti loco posse elici, nihil in eo certi aut veri, nihil immo verisimile, inesse. Nam & inter Amasidem ac Ptolemæum tertium itidem seu eadem ratione intercedere debuissent quingenti anni. At vero certum est vel ex Canone Ptolemaico inter Cyri, qui Amasidi æqualis fuit, mortem, & Ptolemæi tertii seu Euergetæ initium,

effluxisse annos tantum trecentos & tres atque octoginta. Ipse etiam Tacitus abunde declarat, nihil se tribuere vulgatæ huic traditioni, siquidem postremum intervallum inter Ptolemæum tertium, ac Tiberium Cæsarem subsidere infra dimidiam partem istius quingentorum annorum spatii affirmat, dum *MINUS* quam *ducentos quinquaginta annos* ei tribuit: *Antiquitatem* vero, ut *obscuram* & sibi ignotam, plane in dubium vocat, ut ne consideret quidem aut examinet. Quapropter omnia hæc de Phœnice, & inprimis de illo *quingentorum annorum* intervallo, quod ipsum inter Auctores variat, ut ex Plinii *Nat. Hist.* x. 2. constat, nugatoriæ esse & fabulosæ traditionis, cum Salmasio in *Plinianis* (Vide Eum *pag.* 551 [a]. &c) & Ego dixerim. Unum est, quo *Antiquitas* illa *Obscura* expediri forsan & illustrari posset, si alium inveniremus *Amasin*, qui medius plane esset inter Sesostridis & Ptolemæi tertii ætatem. Nam huic intervallo si mille, ut oporteret ex iterato quingentorum annorum spatio, annos adscriberemus, haberemus tempus paulo magis idoneum, & vixerit ita Sesostris aliquandiu ante B. Trojanum, quod ad veram illius ætatem multo propius accedit. Amasis autem ille vixisse

[a] *Pag.* 389. *Edit. Traj.*

xiſſe debuiſſet circa tempora Jothami Achazi, aut Hiskiæ Regum Judæ. Regem autem reperimus his ipſis Hiskiæ temporibus vel paulo poſt apud Euſebium *Ammeren*, Dynaſtiæ XXVI. Primum, quem Syncellus in ſua *Regum Serie*, *Amaën*, vocat, at Africanus plane omittit. Hunc ergo, ſive *Amaën* ſive *Amerin*, convertiſſe Græci in Regem multo notioris ſibi nominis, *Amaſin*, videri poſſunt. Sed longe etiam propius vero eſt, nomen hoc *Amaſis* ortum eſſe, ſeu corruptum vel a Librariis, vel ab ipſis Auctoribus, ex nomine *Anyſis*, quem Herodotus memorat II. 137. & 140. & qui vixit ipſis *quingentis annis ante Ptolemæi Tertii Regnum*. Nam fugatus fuiſſe ab Sabacone Aethiope, atque adeo habenas Regni tenuiſſe dicitur ante Eum. Sed de Sabacone ſupra *Cap.* XIII. egimus, ante quem, quum exſtiterit jam Anyſis, neceſſum eſt, ut vixerit temporibus Jothami vel Achazi, intra quorum regnum incidit omnino initium Quingentorum annorum ante Ptolemæum Euergeten. Si vero jam alteros Quingentos annos inde ſurſum verſus computare inſtituamus, reperiemus eorum initium aliquandiu ante B. Trojanum, quod nobis hic ſufficere debet. Annos enim ipſos accurate definire in hisce tam incertis *obſcuræ antiquitatis* rebus, ſto-

lidi eſt & vani hominis. Satis habendum ſi latiorem quandam temporis periodum cuique rei aſſignare poſſimus. Troja autem capta anno Periodi Julianæ 3530. Cambyſes porro cœpit regnare an. 4185. Intervallum hoc eſt 655. annorum. Jam vero a Cambyſis initio usque ad Ptol. Euergeten ſunt anni 283. Sic habemus a Troja capta usque ad Euergeten annos 938. Aliquanto quidem etiam antiquiorem, ut *pag.* 307. dixi, & remotiorem a Troja capta, credo Seſoſtrin, quam ex hisce numeris ſtatuendus foret. Sed exiguæ discrepantiæ in antiquiſſimis his rebus rationem vix ullam habeo, certe minuta in iis, quarum rara adeo aut nulla reperimus documenta, expedire nec tento nec curo, certus quippe inanem me ſumpturum operam. Ceterum in Tacito, ſi ille locus ad veri quandam ſpeciem revocari debeat, vel pro *Amaſide* legendum prorſus putem *Anyſi* ſeu *Anyſide*, vel per *Amaſin* intelligendum ſaltem illum Herodoti *Anyſin*.

Multo autem magis nos turbat in hac Seſoſtridis ætate conſtituenda Aegyptius ille Manetho, prout ejus reliquias quasdam in Dynaſtiis Aegyptiis habemus, cum apud Syncellum ex Africano & Euſebio, tum apud Joſephum. Reperimus enim hunc ipſum *Seſoſtrin* apud Syncell. *pag.* 59. & 60.

ex

ex Africano & Eusebio in Dynastia XII. quae temporibus Pastorum atque ipsius Mosis longo prorsus praemittitur intervallo. Reges istic memorantur *Sesonchoris*, tum *Ammenemes*, Tertius est *Sesostris*, qui *Novem annis* totam sibi dicitur Asiam subjecisse, atque in ipsam Europam ex ea, seu in Thraciam usque, trajecisse, atque ubique suæ victoriæ reliquisse monumenta, quibus ad testandam gentium fortitudinem vel ignaviam virilia vel muliebria insculpi curaverit membra. Manifesta est hæc celebris illius Sesostridis descriptio. Refert autem hujus Dynastiæ atque adeo ipsius Regni Sesostridis initium Pezronius ad tempora, quæ fuerunt ante Abrahamum natum, licet Sesostridis nullam istic mentionem faciat. Vide Eum *pag.* 183. & in *Canone Chronol. ad An. Mundi* 3349. Sed hæc a vero sunt, & ab illo tempore, quo nullædum tantæ Monarchiæ exstiterunt, aut exsistere potuerunt, alienissima, quare Marshamus *Sæculo* XV. *p.* 391, 392 [a]. ex Dynastia XIX. hanc Duodecimam ab Africano effictam, vel ab ea avulsam putat, atque adeo hanc ad illius tempus remittendam, illamque XIX. ex hac Duodecima explendam censet. Verum hoc, quam facile ponitur, tam facile rejicitur. Credi-

a *Pag.* 415. *E. L.*

derim potius, Africanum ad nomen Sesostridis, quod istic forte reperiebat, addidisse hanc descriptionem, licet alius ille esset Sesostris, quam qui ab Herodoto, Diodoro, aliisque Græcis celebratur, prout multi etiam alii diversissimi Reges ejusdem tamen nominis in Dynastiis Manethonis occurrunt. Neque etiam repugnaverim illis, qui totam hanc XII. Dynastiam ac ceteras antiquiores pro commentis haberi velint ad antiquitatem Aegyptiorum immodice extollendam a Manethone confictis. Notavimus enim jam supra *Cap.* XIV. *pag.* 269. &c. similia prorsus exempla ex Dynastiis Prima & Quarta, quorum Regum nomina & descriptio congruunt plane cum Regibus Dynastiæ Vigesimæ, & Aliis, qui Pyramidas exstruxerint, ab Herodoto & Diodoro memorati. Sed & hujus XII. Dynastiæ primi duo Reges, *Sesonchoris* vel *Sesonchosis*, & *Amenemes*, in *Serie Regum* Syncelli itidem occurrunt, Octavus scilicet & Nonus, sed qui ratione sui ordinis ac temporis etiam illius Duodecimæ Dyn. ætatem superare deberent.

Verum clarissime confutatur hæc Sesostridis mentio vel descriptio in Duodecima Manethonis Dynastia ab Josepho, qui diserte tanquam ex ipso Manethone nobis narrat, primum Dynastiæ XIX.

Re-

Regem, Sethoſin eſſe *Rameſſen* & *Aegyptum*, h. e. eſſe celebrem illum Seſoſtrin, ejusque Fratrem Armain eſſe *Danaum*, qui ex Aegypto Argos fugit. Vide Eum *lib.* I. *contra Apion. p.* 1041. ubi ait, *Dicit autem* (Manetho) *Sethoſim dictum fuisſe* Aegyptum, *Armain vero Fratrem ejus* Danaum. *Hæc quidem Manetho.* Quid poteſt diſertius ſcribi ad faciendam fidem, vere hæc a Manethone ſic fuiſſe tradita? Vix ergo videtur ab ipſo Manethone profectum, quod in Dyn. Duodecima de Seſoſtride apud Africanum legitur. Repetit fere eadem Joſephus *pag.* 1052.

Verum & hic, licet Pezronius, Sethoſin hunc fuiſſe *Aegyptum Danai* Fratrem, pro certiſſimo haberi velit, & pro argumento, quod etiam difficillimis Lectoribus ſatisfacere poſſit, magnam tamen ea res habet difficultatem. Nam quum in eandem Dynaſtiam XIX. incidat tempus Belli Trojani, ut ſupra oſtendimus, atque adeo quum Sethoſis hic, ſi non fuit ipſe Proteus Aegypti illo B. Trojani tempore Rex, quod veriſimillimum declaravimus, fuerit certe temporis ante B. Trojanum proximi, non videtur ergo ille Sethoſis fuiſſe Danai Frater, quippe qui Danaus ab ipſo Pezronio ſtatuitur 302.

annis

annis ante venisse in Græciam, quam Troja caperetur. Vide Eum *pag*. 202. Petavius undecim quidem annis minus facit hoc intervallum, sed quod vix memoratu dignæ est differentiæ. Accedit, quod in Dynastia XIX. nullus memoretur Armais, neque tanquam Rex, neque tanquam Frater Regis, apud Africanum & Eusebium. Memoratur autem in Dynastia XVIII. cujus ultimi Reges sunt *Armais*, *Ramesses*, *Ramesses Miamûn*, & *Amenophis*. Quid ergo? Malim hic sequi Eusebium, quam vel Josephum, vel ipsum Manethonem. Ille vero ex hisce duobus prioribus Regibus *Armai* & *Ramesse*, Danaum facit & Aegyptum, sed male eos ad ultimos Mosis annos refert. Vide Eum *Num*. 529. & 534. & 543. Adde Syncellum, qui in sua *Regum Serie*, *Armais* hujus seu *Danai*, ut & *Ramessis* seu *Aegypti*, Historiam refert *pag*. 155. & 160. Manetho ut in multis vere erravit, sic & hic potuit errasse, nominum quadam similitudine deceptus, nec satis ad receptam Græcorum Chronologiam attendens, quæ Danaum longe supra tempus Trojani Belli removet. Verum quidem est, quod ille Bellum Trojanum ad ultimum ejus Dyn. Regem, *Thuorin*, referat At nos *Cap*. *Sup*. longe probabilius osten-

di-

dimus, Primum hujus Dyn. Regem, ipsum hunc *Sethosin*, fuisse Græcorum *Protea*, sub quo cœptum fuit, vel jam parabatur, bellum, at Filium ejus & Successorem *Rhamsen* fuisse illum ipsum, sub quo nominatim Plinius *Ilium* dicit *captum*, sicut & Alii Scriptores idem vel affine Nomen Protei Filio tribuunt, æque ac Manetho Sethosis Filio. Sed tamen etiam hoc ipsum tempus istorum Regum Dyn. XVIII. ad *Danai* apud Græcos ætatem non ascendit, si Trojanum Bellum statuimus sub Sethosi vel ejus Filio gestum. Ast ab altera parte neque adeo longe supra B. Trojani tempus *Sesostrin* ponit, præter hunc Manethonem, etiam Herodotus; cui adde quæ de *Myridis* ac de *Busiridis* ætate, ut & de *Phœnice* ex Tacito disputavimus. Contra hæc tamen ad *Danai* ætatem vicissim accedunt, qui Sesostrin *Minoë*, *Argonautis*, atque ipso faciunt *Nino* & *Semiramide* antiquiorem, de quibus supra *Cap.* IX. *in princip.* egimus. Quid igitur in his faciendum mihi, Lector? Arripiamne unam sententiam, eamque licet nihilo altera certiorem, unice tamen pro verissima magnis adseverationibus venditabo, quod multos facere video? Meum id non est, qui fateri malo, nihil me certi hic habere, & undique multis difficultatibus implicitum teneri. Nam

non

non Aegyptiorum modo Chronologia obſcuriſſima eſt & turbatiſſima, ut in ſuperioribus abunde demonſtravi, ſed & Græcorum in rebus ante Perſica bella, & multo magis ante Trojanum, geſtis, quod oſtendit præclare Vir Eruditiſſimus, & magnæ apud Doctos omnes exiſtimationis, Henr. Dodwellus in *Prælectionibus Academicis*, *prælect. Inaugurali*. §. 4. & 11. Sed & diſerte Thucydides I. 1. *Quæ ante* motus Peloponneſiacos geſta, *& quæ etiam antiquiora, liquido inveſtigari propter temporis longinquitatem nequeunt*. Adde Diodorum Siculum in *Præfat*: *pag*. 4. A. ubi diſerte ait, *ſe res ante B. Trojanum certa fide non definire, quia fide dignum Parapegma illius temporis exſtet nullum*. Denique Syncellum *Chronogr*. *pag*. 97. *Græcorum antiquæ res omnes quidem valde inter ſe diſſentiunt apud Scriptores, inprimis vero illæ, quæ geſtæ ſunt ante Primam Olympiadem*. Et *pag*. 154. de Deucalionis Diluvio, *Non facile eſt ejus tempus accurate demonſtrare, quia omnia tempora Græcorum, quæ ante Primam Olymp. traduntur*, (διασφάλλονται) *a vero aberrant*. Et ita Chriſtiani Patres fere omnes. Sacra vero Hebræorum Chronologia, quantis & illa nodis, qui non tam ſolvi quam ſecari ſolent, ſit obſita, vel maxime in temporibus Judicum, id vero ex

ſcri-

ſcriptis quamplurimis illorum, qui eam aliis atque aliis rationibus ſubinde expedire tentarunt, eſt notiſſimum. Vide omnino Nic. Abramum *Phari lib.* x. §. 3. & ſeqq. Manifeſtum inde, quam difficulter Synchroniſmus rerum Aegyptiacarum cum Hebræis aut Græcis conſtitui poſſit, quum ubique omnia ſint ferme æque obſcura.

Videbimus tamen, an aliquam ſaltem veri ſpeciem in ea, quam quærimus, Seſoſtridis ætate reperire poſſimus. Diximus referendam haud dubie ad tempora Judicum Hebræorum, vel ad illud intervallum, quod inter Exitum. Iſraëlitarum ex Aegypto & B. Trojanum interceſſit. Verum hic objicietur mihi, quod nulla prorſus *Seſoſtridis* aut ejus victoriarum mentio fiat in *Judicum Hiſtoria*, quæ debuiſſe fieri videtur omnino, ſi ille, quod fecit, Palæſtinam quoque terram, in qua habitabant Iſraëlitæ, tunc ſibi ſubjeciſſet; de quo jam egimus per occaſionem ſupra *Cap.* VIII. *pag*. 130. & 137. At iſthæc difficultas, ut tunc diximus, removeri facile poteſt, ſiquidem novem annos, quos victoriis ſuis impendit Seſoſtris, referamus ad tempus aliquod Servitutis Iſraëliticæ, ut variis illa Gens populis tunc ſerviit. Ponamus immo, quod Ego etiam vero proximum reor, expeditionem Seſoſtridis inci-
diſſe

diſſe in illud tempus, quo Iſraëlitæ ſervierunt per xx. annos Jabino Regi Cananæorum. Venerit ergo tunc Seſoſtris, & Cananæos cum reliquis Palæſtinis *facile* ſubegerit. Id quod revera ſic factum docent columnæ, quas Herodotus II. 106. *ipſum ſe vidiſſe* ait *in Syria Palæſtina*, *muliebri membro inſignes*, quod indicio erat, ut dixerat *cap.* 102. illum ἀμαχητὶ καὶ εὐπετέως, *ſine pugna & facile*, iſtam regionem occupaſſe. Quum vero Cananæi, Iſraëlitarum tunc Domini, tam facile ſe ſubmitterent Seſoſtri, conveniens erat & conſequens, ut idem facerent Iſraëlitæ, ſeu potius, ut Cananæi Domini in eandem traherent fortunam ſecum Iſraëlitas ſibi jam antea ſubjectos. Sed & poſtquam Hi illorum jugum jam tandem ab ſuis depulerunt cervicibus, neque tunc Iſraëlitis quidquam negotii cum Ægyptiis fuiſſe videtur, ſiquidem imperium Seſoſtridis cum ipſo fere deſiit, ut Cap. ſeq. oſtendemus. Ita vero nihil mirum eſt, nullam iſtius expeditionis Aegyptiacæ ſervatam in S. Literis memoriam, præſertim, quum Iſraëlitæ manerent iisdem Cananaeis ſubjecti, & Seſoſtris tam facile iſtic victor, breviſſimo haud dubie tempore per Palæſtinam tranſierit, ad alias properans Gentes itidem debellandas, ac porro, ſi fides Juſtino I. 1. *Contentus victoria*,

ctoria, *imperio abstinuerit*, h. e. non mutaverit Populorum rempublicam, nec redegerit eos in unius Imperii corpus, satis habens ad summum, si tributum sibi penderent. Jam vero tempus illud, quo Cananæis servierunt Israëlitæ, Sesostridis ætati est opportunum satis, & simul ab Danai ætate non ita valde abhorrens, modo Chronologia Hebræorum aliquantulum supra vulgo creditam ejus summam extendatur, Græcorum vero contrahatur.

Spatium illud ab Exitu ex Aegypto usque ad quartum Salomonis annum, quo Templum ille exstruere cœpit, definitur I. Regum VI. I. *Quadringentis & Octoginta annis*. At numeros hos esse corruptos manifestum, non modo ex Serie *Libri Judicum*, sed maxime ex *Actis Apost.* XIII. 20. ubi Deus Israëlitis post Josuam, seu Terræ divisionem, dicitur dedisse *Judices annis* 450. qui desinant in Rege primum constituto, seu in Sauli initio. His vero si addas annos XL. quos Israëlitæ egerunt in deserto, dein annos Josuæ & Seniorum usque ad primam defectionem a Deo, & Servitutem, denique annos Sauli & Davidis, longe exsuperabunt isti omnes illos 480. annos. Quapropter Viri Doctissimi ad emendanda isthæc *Actorum* verba, aut in alium plane sensum obtorto quasi collo

rapienda, certatim ruunt. Sed nihil in iis mutandum esse, certissimum est ex eo, quod hæc ipsa summa 450. *annorum* exsurgit ex annis Judicum, & annis Servitutum, in *Libro Judicum*, & *Samuelis primo*, expressis. Quocirca ut Scriptura S. Veteris & Novi Testamenti redigatur in concordiam, corrigenda est potius 1. *Regum* VI. 1. *annorum* 480. summa. Neque enim ulla potest dari ratio, certe si Dei providentiam hic respiciamus, non curas Hominum, quare minus liceat in Veteri Testamento quidquam in rebus tam contrariis emendare, quam in Novo, in quo facilius tale quid tentant plerique. Nec mirari satis possum, quando video Viros Doctissimos in hoc ipso argumento graviter monere, *esse rem non exigui momenti, sollicitare lectionem Verbi Divini*, scil. in loco *Regum*: at mox de loco *Actorum* profiteri, *probabile se potius habere, Librarium aliquem hunc Textum describentem, Orationem Paulinam, collectis Numeris ex Libro Judicum, hac lacinia voluisse exornare*. Mihi modestius longe & reverentius videtur, mutare istic unam numeri notam, quam hic complura exturbare penitus vocabula. Utcunque sit, malim Ego non quidem cum illis, qui huic intervallo tribuunt 680. annos, sed cum Vossio, Cappello, & quibusdam aliis, le-

ge-

gere in *d. l.* 580. *annis* pro 480. Id quod tanto eſt probabilius, quia ipſa hæc ſumma oritur ex Numeris Annorum, qui in Hiſtoria Judicum exprimuntur. Vide omnino exactiſſimum mea ſententia etiam in his Chronologicis Virum, non Hypotheſi, quæ fundi Chronologici præcipua eſt calamitas, ſed ſimplicitati veritatis unice attendentem, Gerh. Joh. Voſſium in *Iſagoge Chronol. Diſſ.* VIII. maxime *cap.* 6. & 7.

Jam ſi ad Græcorum Chronologiam nos convertamus, pro maxime probabili id ſumo, quod omnes Veteres ante Euſebium uno conſenſu tradiderunt, Inachum & Phoronea vixiſſe temporibus Moſis. Longe enim plus tribuendum reor auctoritatis tali Synchroniſmo Hiſtorico, quam Numeris Annorum vitio & corruptelæ ſemper & ubique obnoxiis, ſed vel maxime in rebus adeo antiquis. De ipſo hoc Inacho Syncellus *pag.* 124. *Tempus vero Regni ipſius* (ἀσύμφωνος) *incertum eſt apud Græcos propter antiquitatem, æque ac reliquorum*, ſcil. Regum Argivorum. Sequamur ergo modeſtiam vetuſti Scriptoris, Diodori Siculi, in *Præfatione circa finem*, de rebus ante Trojanum Bellum geſtis, quas ſe non ita accurate definire auſum profitetur, ut liquet ex ejus

verbis paulo ante *pag.* 318. allatis. Si ille adeo nihil certi ante isthæc tempora potuit proferre aut definire, an nos ergo ex vitiosissimis illis annorum numeris, contra consensum Historicæ traditionis, affirmabimus, in Europa, & in ipsa Peloponneso, exstitisse jam tempore Abrahami & Isaci Homines, immo Regnum jam ibi condidisse ac gubernasse? quum nulla utique dari possit ratio, ut pluribus jam probavimus in *Babylon. Origin. Cap.* XIV. *pag.* 391. 392. 393. quare jam tunc Homines aut voluerint aut debuerint, relicta fertili Asia, trajicere vel per mare vel longissimo circuitu per frigidi Septentrionis oras in Europam, & in Peloponnesum usque. Mihi certe id neutiquam fit verisimile; at longe verisimilius, quod voluerunt Veteres, Inachum vixisse illo demum tempore, quo Moses & Israëlitæ egerunt in Aegypto, vel quo Moses natus est, ut vult Syncellus *pag.* 62.

Verum ab Inacho hoc usque ad Olympiadem Primam, seu annum XXXIV. Uzziæ, secundum numeros annorum, qui singulis Argivorum Regibus tribuuntur, summa exoritur annorum 1081. a Mose vero seu ab exitu ex Aegypto usque ad eundem terminum putantur vulgo nunc anni tantum 721. Nimia hæc est in pari

utrim-

utrimque intervallo computationis discrepantia. At Veteres longe plures huic intervallo tribuunt annos. Etenim Africanus apud Syncellum *pag.* 64. & 65. Ogygen Inachi vel Phoronei æqualem, facit etiam Mosis æqualem, & addit ab utroque propriis Chronologiis usque ad Cyrum annos effluxisse 1235. & *ab Iisdem usque ad Primam Olympiadem annos* 1020. Quod si hæc summa admitteretur, nulla foret hæsitatio. Sed nos recipiemus vulgarem Hebrææ Chronologiæ, quæ est, ut diximus, 721. annorum. Addemus autem centum annos, quibus minimum vulgatam Temporis ab Exitu ad Salomonem usque summam exsuperat Vera, ut paulo ante ostendimus. Sic habebimus istic annos jam plusquam Octingentos. Eosdem reperiemus Græcæ Chronologiæ ab Inacho usque ad Ol. 1. tribui a Tatiano in *Orat. ad Græcos*, ubi primum *cap.* 60. Mosen & Inachum *quadringentis annis* antiquiores esse Trojano B. ait, & dein *cap.* 64. Olympiades cœpisse post B. Trojanum *annis quadringentis & septem*. Sic ergo & istic habemus annos paulo plus quam octingentos. Sed tamen non satis commode integri illi centum anni, temporibus Judicum addendi, in tempus ante Trojam captam referri possunt, sed possunt & debent 80. minimum

 anni.

anni. Praeterea intervallum inter Inachi initium & Trojam captam ſtatuitur vulgo 673. annorum, quæ ſumma longe exſuperat 400. annos, vel potius, ut ab Exitu ex Aegypto vulgaris Hebræorum Chronologia computat, 307. annos, quibus ſi maxime jam addamus 80. annos ex Judicum temporibus ante Trojam captam, & alios 80. ipſius Moſis ante Exitum ex Aegypto, habebimus tantum 560. vel potius, 467. annos. Poſteriores autem 80. annos ante Exitum addendos omnino huic intervallo inter Inachum & Trojam captam cenſuerim, partim quia Syncellus diſerte jam vixiſſe & regnaſſe Inachum ait, quando *Natus* eſt Moſes, partim quia alii Ogygen & Phoronea Inachi F. faciunt Moſi æqualem, alii, certe Syncellus *pag.* 121. & Polemon, Græcus & Antiquus Scriptor, ut Africanus nos docet apud Syncellum *pag.* 64. tradiderunt, *ſub Apide, Phoronei F.* atque ideo Inachi Nepote, *exiiſſe Aegypto eos, qui Syriam Palæſtinam dein tenuerunt.* Nam Ptolemæus Mendeſius, & Patres Chriſtiani, qui Exitum Iſraëlitarum, & Regem iſtius temporis Amoſin, ad Inachum referunt, videntur Inachi, tanquam clariſſimi & Primi Argivorum Regis, nomen præ alio quocunque arripuiſſe. Ceterum etiamſi hos 80. annos jam addamus, & Inachi initia

tia paulo ſupra ipſos Moſis natales removeamus, vel ſic tamen Græcorum computatio ab Inacho longe excedit Sacram Hebræorum a Moſe, usque ad Trojam captam. At vero hi anni Græcorum, quia oriuntur ex ſolis annorum Numeris, qui ſingulis Regibus Argivis adſcribuntur, cedere omnino debent Synchroniſmo Hiſtorico, quem omnes pene Veteres ultro agnoſcunt inter Inachum vel Phoronea, & Moſen. Quin & Numeros illos fuiſſe jam olim corruptos, vel immodice auctos, vulgari Gentium, antiquitatis præcipuæ gloriam ſibi vindicantium, ſtudio, prorſus veriſimile putem. Conſideremus primos quinque Reges, quorum Regno, *Inachi* 50. *Phoronei* 60. *Apidis* 35. *Argi* 70. *Criaſi* 54. tribuuntur anni. Quis credat, quinque tantum Reges impleviſſe ſpatium 269. annorum? Sed & *Danao* dein ac *Lynceo* plures haud dubie tribuuntur anni, quam debuerant. Neque enim ullam habet veri ſpeciem, Danaum, qui cum 50. Filiabus, omnibus viro maturis, & Genero Lynceo, veniſſe & fugiſſe dicitur ex Aegypto in oppidum Argivum, & qui iſtic aliquandiu inſuper privatam egit vitam, Regnum tamen Argivorum tenuiſſe quinquaginta annis, & tum demum ſucceſſiſſe ei Lynceum Generum, eumque dein itidem 41. annis

 regnas-

regnasse, quo pacto Hic, qui adultæ jam ætatis erat, Gener quippe jam *Danai*, ac Socius navigationis ex Aegypto in *Peloponnesum* (Vide Herodotum II. 91.) quando cum Danao Argos appulit, vixisset diu ultra Centum annos. Quid ergo? Statuamus sane, sed ex conjectura (nam ad ipsos annos definiendos nihil idonei habemus argumenti) Inachi initia in Decimo ante natum Mosen anno; inde vero usque ad Trojam captam habebimus ex Chronologia Sacra 477. annos. Supersunt 196. ex Græcorum computo, qui ab Inacho ad Trojam captam 673. numerant. At vero illos 196. qui ascendunt ultra constituta modo Inachi initia, expungendos prorsus putem. Dividuntur autem illi 673. ita ut ab Inacho ad Danaum anni effluxerint 382. a Danao dein ad Trojam captam 291. anni. Ast ab servitute Cananæa, ad quam lubens retulerim Sesostridis expeditionem, eaque jam depulsa, ad Trojæ excidium sunt ferme 160. tantum anni, ut adeo vel detrahendi sint plus centum anni Græcorum Chronologiæ ab Danao, vel missa Cananæa servitute referenda sit ætas Danai & Sesostridis in Moabiticam, quæ centum vel 98. annis ante Cananæam exstitit. Superest & ita quidem exigui temporis discrepantia, sed quæ in hisce rebus adeo antiquis

tiquis non multum ſollicitos habere nos debet. Sed & longe malim majorem annorum numerum detrahere priori intervallo inter Inachum & Danaum, ſiquidem illud tempus eſt minus cognitum & liquidum, & magis iſtic haud dubie erratum in numeris annorum, qui Inacho & ejus Succeſſoribus tribuuntur; unde & factum, ut, qui ad tempora Moſis in Aegypto nati referri debuerat, relatus fuerit ad tempora Iſaci media, vel Abrahami ultima. Quantum ergo annorum in vulgari Chronologia inter Iſacum & natum Moſen intercedit, tantum fere detrahendum eſt ætati & Chronologiæ Inachi, cujus initium refertur ex arctiore Hebræorum Chronologia ab Uſſerio in annum XXXV. ante mortem Abrahami, a Petavio in Sextum annum poſt mortem Abrahami: unde usque ad natum Moſen ex Illius ſententia anni exoriuntur 285. at ex Hujus 244. Hæ ſummæ etiam minuuntur octoginta annis, quos ex tempore Judicum ante Trojam captam addimus Chronologiæ Hebræorum, unde Moſes tanto vetuſtior evadit, & Inachus ad extrema plane Iſaci erit demittendus. Quum itaque Nos Inachi initia ponamus in Decimo ante natum Moſen anno, ſupererunt 154. vel 156. anni Epochæ Argivæ, quos ut auferamus tanquam ex auctis immo-

modice numeris ortos, & ſupra Hiſtoricum omnium Veterum ante Euſebium Synchronismum inter Inachum & Moſen elatos, in eo nulla videtur ineſſe hæſitandi cauſa. At in Danao, cujus, vel certe Poſterorum & Succeſſorum ejus, tempora aliquanto ſunt clariora & illuſtriora, major quædam eſt hæſitatio, ſi vere Seſoſtridis fuit Frater. Refert eos Uſſerius ad tempus, quo Iſraëlitæ exierunt ex Aegypto tanquam Filios Regis, in mari Erythræo cum toto exercitu ſubmerſi, immo proximo ſtatim anno Seſoſtrin expeditionem ſuam cœpiſſe cenſet, ſiquidem Novem annos adminiſtratæ per illius abſentiam ab Armaide vel Danao Aegypti concurrere ait cum *primis Novem annis, quibus in deſerto verſabantur Iſraëlitæ*. At Petavius, qui plures annos tribuit tempori Judicum, refert Danai adventum in Peloponneſum in tertium annum poſt Joſuæ mortem. Verum vix poteſt ille in tam antiquum rejici tempus, partim propter Inachi ætatem, ad quam, ſi ea in Moſis natales incidit, ut feciſſe oſtendimus, nimis prope accederet, partim propter Myridis ætatem, qui Seſoſtride fuit antiquior, & ex vulgari Ebræorum Chronologia cum Græcis collata in media fere Judicum tempora incurrit. Vide, quæ diximus ſupra *pag*. 307.

Acce-

Accedunt Manetho ipſe, qui Danaum ſeu Sethoſin ſuum neutiquam in tempus adeo remotum a Bello Trojano contulit, tum Herodotus, qui inter Seſoſtrin & Protea, qui vixerit Belli Trojani tempore, interponit unum modo Regem, ac denique Syncellus, qui *pag.* 154, 155. Danaum ſeu Armain Seſoſtridis fratrem in ipſum Servitutis Cananææ tempus confert, ſiquidem eam ad Ann. Mundi 4048. Regnum autem Armaidis per IX. annos in Aegypto ad Ann. Mundi 4049. refert. Verum hæc clariora longe forent, ſi certiores haberemus Chronologias illorum populorum, quorum res & tempora conferre volumus. Utcunque ſit, demittenda videtur Danai ætas ad tempora Judicum, partim propter annos ex illis Chronologiæ vulgari Ebræorum a nobis additos, partim etiam, quia ipſius Danai & Lyncei Anni in Chronologia Argiva haud dubie ſunt, ut modo oſtendimus, ſupra verum aucti. Sed neque certum eſt, *Seſoſtrin* ad *Danai* tempora omnino referendum, ſeu fratrem fuiſſe *Danai*. Quod ſi non fuit, tum vero omnis illa difficultas Chronologica ex Danai ætate, quam Manetho, qui ipſe ejus nullam habet rationem, nobis objicit, penitus erit ſublata, nec opus erit de alia, quam de Cananæa Hebræorum Servitute cogitare, in qua Seſoſtris ætas figatur.

Sed

Sed quid faciemus tunc Manethone, qui unus nobis *Danaum* suggessit, & tamen eum collocat in tempore ab rebus Trojanis non satis remoto. Nam si, quod ex eo tradit Josephus, Sethosis, primus Dynastiæ XIX. Rex, fuit Sesostris, & Danai Frater, tum in eadem Dynastia, quæ tantum est 204. annorum secundum Africanum, vel 194. secundum Eusebium, habebimus Sesostrin Danai Fratrem, & Bellum Trojanum simul, inter quæ tamen a Græcis intervallum statuitur 291. annorum. Quocirca certissimus ille est error Manethonis, si Græcis credendum de Danai ætate. Sed & satis probabiliter ostendimus superiori *Capite pag.* 281. &c. ac verbo repetivimus *pag.* 315. ipsum hunc Sethosin fuisse potius Protea, atque ejus filium fuisse tunc Regem, quando captum est Ilium. At si hoc ipsum pro vero aut probabili accipimus, tum vero, ut paulo ante jam dicere cœpimus, etiam illi ultimi Reges Dynastiæ XVIII. nimis prope ad Trojana accedent tempora. Et fateor lubens, nos, ut Servitutem Cananæam non potuimus, sic neque hosce Reges posse cum Danai apud Græcos ætate in concordem redigere Synchronismum. Ast concurrunt illi ultro in Servitutis Cananææ tempus. Quod ut probem, accipio, quod diserte ait Plinius,

sub

ſub Rameſſe, qui Protei vel Sethoſis fuit Filius, captum fuiſſe Ilium. Vixerit ergo Sethos ante B. Trojanum, & usque ad ejus initium. Nam quod etiam Menelaus ad Protea apud Herodotum dicitur poſt captum Ilium veniſſe, fabuloſum haud dubie eſt, ut ſupra oſtendimus. Sethoſi autem tribuuntur a Manethone apud Euſebium LV. anni, apud Africanum LI. apud Joſephum *lib.* I. *contra Ap.p.* 1052. LIX. Ultimi porro Reges Dynaſtiæ XVIII. ſunt *Armais*, *Rameſſes*, *Rameſſes Miamun*, & *Amenophis*, quibus Joſephus annos tribuit XCI. & menſem unum, Euſebius vero CXIII. Si Euſebiano huic numero addamus jam LV. annos Sethoſis, itidem Euſebianos, habebimus CLXVIII. annos, qui a Troja capta retro reducti in tempus Servitutis Cananææ incidunt. Quod ſi jam ab Armai ſurſum aſcendamus ad primum Dynaſtiæ XVIII. Regem, Amoſin vel Tethmoſin, qui ſtatim poſt ejectos ex Aegypto *Paſtores*, h. e. Iſraëlitas, regnaverit, reperiemus annos circiter 300. qui non adeo longe ab noſtris abscedunt rationibus, niſi quod eas exſuperent in S. Chronologia inter Exitum & Servitutem Cananam, ante quam cœptam reperimus 211. annos, ſi Joſuæ & Senioribus ſimul 25. tantum concedamus, quibus certe pau-

cio-

ciores tribui nulla ratione possunt; subsidant vero infra Græcam 382. annorum ab Inacho ad Danaum. Sed Græca in hoc intervallo haud dubie est contrahenda, siquidem Inachus fuit Mosi æqualis. Aegyptiaca autem hinc jam incipit majorem in modum augere sua tempora: nec mirum ideo, quod exsuperet hic Sacram.

Verum ita ferme omnia hæc disputavimus, quasi necessarium esset Sesostrin statuere *Aegyptum* Fratrem *Danai*; id quod minime est opus, & quod tamen præcipuis nos implicat difficultatibus. Etenim nemo id tradidit præter Manethonem, qui videtur Græcis, & maxime Macedonicis Regibus, qui per Herculem ab Danao sui generis originem repetebant, voluisse blandiri, &, quum audivisset, Danaum Argivi Regni alterum conditorem venisse & fugisse ex Aegypto, eum ergo ad illustrissimi Sesostridis familiam & cognationem referre, inprimis quum tempus utriusque aliquantulum congruere forsan putaret. Ceteroquin Alii diversum ab Sesostri faciunt *Aegyptum*, quem certe Diodorus Siculus dicit *Nili Filium*, Sesostri longe antiquiorem, & tamen etiam ἐπ' ἀρετῇ θαυμασθέντα, *propter virtutem in admiratione habitum*, ac nomine suo toti regioni imposito honoratum. Vide Eum *pag.* 33. B. Herodotus

vero

vero II. 91. tantum abest, ut ex Sacerdotibus Aegyptiis audiverit *Danaum* fuisse illius Sesostridis Fratrem, ut e contrario Eum & Lynceum, fuisse Chemmitas, & tanquam privatos plane Homines, navigasse in Graeciam, ab iis didicerit. Hecataeus vero Milesius, si fides Diodoro in *Excerptis* apud Photium *pag*. 1151, 1152. *Danaum* & Cadmum praecipuorum *Alienigenarum*, qui ex Aegypto fuerint ejecti, Duces, cum iis in Graeciam navigasse tradit, sicuti Moses cum plebejis eodem tempore in Judaeam abierit. Alienissima est etiam ab regno Sesostridis haec peregrinorum ejectio, qui eos ad bellum potuisset adhibere, ut alia taceam. Ceterum satis ex his jam liquet, incertissimum esse, quod Manetho affirmavit, Sesostrin fuisse *Danai* Fratrem. Quo demonstrato, tollitur omnis difficultas, quae vel maxime in eo erat sita, ut Sesostridis aetas ad aetatem *Danai* apud Graecos accommodaretur. Nihil enim nunc nos impedit, quo minus Sesostrin ad Servitutem Hebraeorum Cananaeam referamus, a qua nos unice illa *Danai* aetas abducere videbatur. Ast unum superest verbo expediendum, quippe quod nostrae videtur adversari sententiae, quum revera faveat. Nempe ipso Assyriorum Nino, qui dudum ante Abrahamum in Chronicis collo-

lo-

locatur, antiquior a Veteribus dicitur fuisse Sesostris. Ego vero neutiquam antiquum adeo fuisse Ninum censeo, idque in *Assyriacis*, si Deus volet, clarissime probabo. Immo illum revera post Sesostridis expeditionem exstitisse reor, atque illius exemplo forsan ad subjugandos bello populos excitatum. Certe Herodotus I. 95. tribuit Assyriorum imperio tantum 520. annos, antequam Medi deficerent. Hi autem defecerunt tempore Hiskiæ, & Sennacheribi Judæa depulsi. Vide Tobiam I. 15. & Josephum *Antiq.* x. 3. Jam vero si ab extremis fere Hiskiæ ascendamus ad superiora, reperiemus initia Nini, seu illorum 520. annorum, idoneo prorsus loco & tempore, seu centum & amplius annis post Sesostridis expeditionem, ac Servitutem Israëlitarum Cananæam. Sic tandem emersimus utcunque ex illis difficultatibus, quibus undique constricti tenebamur. Ostendimus id quidem satis liquido, ut arbitror, ad tempora Judicum referendum Sesostrin. Nec opportunius reor inventurum quenquam tempus, quam illud, quo Israëlitæ servierunt Cananæis, aut, si quis ita malit, Moabitis. Si quis tamen melius quid aut speciosius habeat, rem mihi faciet gratissimam, si id in medium protulerit, modo rerum documentis id probet, nec
asse-

asseverationibus inanissimis defungatur.

Sed opponit se omnibus illis, qui ad *Judicum* tempora Sesostrin referunt, Anonymus quispiam in *Memoriis Trevultiensibus Anni* 1702. *Mensis Septembris, art.* 2. statuens, *Sesostrin regnasse diu ante Exitum Israëlitarum ex Aegypto*: seque *usurum argumentis* jactitans *ad constituendam Sesostridis Epocham, quibus nihil contra opponi queat*, h. e. *d'une maniere, qui me paroit incontestable*. Quid ergo? Arripit ex Bocharto, *Phalegi* IV. *capp.* 31. & 32. *Casluchim* Scripturæ Sacræ, quos ait fuisse Colchos: Hos autem esse coloniam Aegyptiorum, quum utique *Casluchim*, eorum Progenitor, inter Filios Mizraimi referatur *Genes.* x. 14. Porro autem ab hoc Casluchimo, vel ab his Casluchæis, ortos *Philistæos* & *Caphthoræos*, ut ibidem dicitur; denique *Caphthoræos* fuisse Cappadocas, Colchis vicinos, eosque, prodeuntes vel ortos ex Caphthoræa, ejecisse *Hevæos* ex quibusdam Palæstinæ oppidis, eaque occupasse, uti traditur jam a Mose *Deuteron.* II. 23. Omnia hæc, ut dixi, a Bocharto tradita ipse assumit, & vel maxime illud dein arripit, quod & Herodotus Colchos ab Aegyptiis ortos declaret, & ab Sesostride istic relictos putet, idque confirmetur a Poëtis, Apollonio Rhodio, &

Valerio Flacco. Hinc ergo *inexpugnabile* illud argumentum nobis extundit: Nimirum, si Colchi, Aegyptiorum coloni, ab Sesostride demum sua initia trahunt, ac dein ab hisce Colchis profecti Caphthoræi consederunt in vicina Cappadocia, ac denique ex Cappadocia prodeuntes jam ante exitum Israëlitarum occuparunt oppida Hevæorum, tum vero certum est, Sesostrin *diu ante* hunc Exitum jam regnasse, tanto magis, quia, ut ait, *hæc omnia non potuerunt perfici, nisi in satis longo temporis spatio.* At quia etiam Philistæi a *Casluchimo* itidem dicuntur orti *Genes.* x. & jam tempore Abrahami & Isaci memorantur in Cananæa *Philistæi*, *Genes.* XXI. & XXVI. sequi ergo hinc debebat, etiam Abrahamo & Isaco antiquiorem esse Sesostrin, quippe quorum æquales jam fuerint Philistæi, orti ab iisdem illis *Casluchæis* vel *Colchis*, a quibus & *Caphthoræi*. Verum hoc, licet eadem omnino utriusque sit ratio, ille rejicit, & *Philistæos* censet dici in Historia Abrahami & Isaci tantum, quia habitarint in terra, quæ proprium hoc *Philistæa* nomen habuerit, non vero, quia essent a *Casluchimo* orti. An ergo magis inde orti illi *Caphthorim?* quum & ipsi vel maxime Nomen hoc videantur habuisse a Terra, cui hoc proprium fuit, ut ipse Anonymus con-

concedit, & Bochartus probavit, siquidem *Caphthorim* lingua Hebræa notat *mala Punica*, quo fructu ista Cappadocum regio abundabat. Quid multa? Abjicit ille totam hanc objectionem, *l'objection porte a faux, parce qu'elle suppose comme certain, ce qui n'est point prouvé, & ne sçauroit l'etre: sçavoir, que ces Philistins, dont les Roys firent alliance avec Abraham, étoient ceux la meme, qu'on lit dans l'Ecriture, qui estoient sortis des Casluim.* At quam multa sunt in ejus ipsius argumento, quæ ponuntur tanquam *Certa*, quum nihil minus sint. Nam quum Moses in universum dicat *Philistæos & Caphthoræos* ortos esse a *Casluchim*, si tamen incertum est, Philistæos tempore Abrahami esse a Casluchim ortos, quia illud diserte non dicitur, quidni æque incertum habebitur, Caphthoræos *Deuteron.* II. 23. a Casluchim seu Colchis esse ortos, quum utique neque illud istic diserte addatur? Deinde vero, unde constat Philistæos & Caphthoræos in Syria Palæstina esse demum ortos a Casluchim, postquam hi consederunt jam in Colchide? nisi quis velit credi, Patrem Casluchæorum, Filium Mizraimi, secessisse statim cum omni Familia a Patre suo, & abiisse recta in Colchidem: sed quod absurdum foret, nec statuitur ab nostro Anonymo. Secundum

 illius

illius enim sententiam hæserunt Casluchæi in Aegypto aut vicino in tractu usque ad tempora Sesostridis. Quidni ergo medio illo tempore inter Mizraimum & Sesostrin, Philistæi, &, saltem ex parte, etiam Caphthoræi, a reliquo Casluchæorum corpore secesserint, & hæserint in Syria? Probatur id sic satis ex Philistæis, qui revera istic tempore Abrahami jam exstitere. De Caphthoræis si idem diserte satis probari nequeat, neque contrarium ejus, seu quod Caphthoræi non ex Syria aut Aegypto, sed ex Cappadocia demum, orti occupaverint terram Hevæorum, probari poterit. Certe in S. Scriptura *Gen.* x. occurrit nobis tanquam Mizraimi Filius ille *Casluchim*, a quo dein itidem Filiorum specie dicuntur profecti Progenitor *Philistæorum* & Progenitor *Caphthoræorum*. Certum inde, quod jam ab initio exstiterit alicubi talis familia *Casluchæorum*, a quibus mox secesserint in peculiares familias & gentes *Philistæi* & *Caphthoræi*, quorum illos tempore jam Abrahami reperimus propriam & separatam ab aliis in Syria constituisse familiam, civitatem, gentem, seu regnum. Nihil ergo causæ est, quare *Caphthoræos* magis quam *Philistæos* statuamus necessario a *Casluchæis* demum ortos, post quam illi ab Sesostride in *Colchidem* jam essent

de-

deducti. Sed & incertum plane, annon & alii præter Cappadoces olim fuerint *Caphthoræi*, sive in Syria, sive in Africa, juxta Aegyptum inter reliquam Mizraimi progeniem separatim habitantes, & quacunque tandem ratione a malis Punicis sic dicti; vel ipsi, vel eorum Progenitor. Certe Doctissimus Vir, Christoph. Cellarius, istic eos collocat, & inprimis *insulam Caphthor*, quæ in Cappadocia fuisse vix potuit. Quin immo pervenerint ex Aegypto *Caphthoræi*, primum una cum *Casluchæis* in Colchidem, & inde in Cappadociam; potuisset tamen pars quædam eorum mansisse in Aegypto, vel Syria, æque ac *Philistæi* remansere in Syria, & æque ac creditur deinde pars quædam *Caphthoræorum* ex Cappadocia rediisse in Syriam, & occupasse oppida Hevæorum. Denique fuerint jam *Caphthoræi* primitus nusquam, nisi in Cappadocia, fuerint omnes ex Colchis seu *Casluchæis* in Colchide orti, quid hoc ad ætatem Sesostridis constituendam pertinet? Nempe ergo tota vis *inexpugnabilis* istius argumenti oritur ex dubia traditione Herodoti: nam hic ipse *incertum* ultro declarat, utrum *ab Sesostride* fuerint relicti in Colchide Aegyptii; id tantum certius affirmat, Colchos videri ab Aegyptiis ortos.

Quid enim egerit Sesostris, postquam ad Phasin fl. pervenerat, οὐκ ἔχω, inquit II. 103. & 104. τὸ ἐνθεῦτεν ἀτρεκέως εἰπεῖν, *non possum, quid deinde gestum sit, certo dicere, utrum Sesostris partem exercitus istic reliquerit, ut regionem* ad fl. Phasin *inhabitarent, an Militum quidam ultro istic remanserint. Colchos* vero addit (φαίνεσθαι) *videri, esse* origine sua *Aegyptios. Quod ut inquireret, rogasse se utrosque* Historiam rei. *Et Colchos quidem magis meminisse Aegyptiorum, quam Aegyptios Colchorum. Dixisse autem Aegyptios*, quum audirent scil. ab Herodoto, Colchos videri origine sua esse Aegyptios, νομίζειν, *se existimare, Colchos* ergo *fuisse ab exercitu Sesostridis* ortos. Quid tandem in his certi, unde decernamus, *Casluchaeos* a *Sesostride* in *Colchidem* deductos & ibi relictos? Credebat quidem Herodotus Colchos esse Aegyptiorum colonos, sed quando & quomodo eo devenerint, Aegyptii ipsi liquido affirmare non poterant. Quia tamen nullam aliam rei Historiam sciebant, Sesostrim autem etiam ad fl. Phasin pervenisse credebant, *putabant* idcirco Aegyptii una cum Herodoto, sed ex conjectura, Aegyptios, qui in Colchide olim consederint, pervenisse eo per Sesostridis sui expeditionem in Asiam. Ex solo autem hoc

hoc Herodoti loco extunditur *inexpugnabile* illud argumentum. Nam Poëtæ posteriores, Apollonius & Valerius Flaccus, ex Herodoto sua hauserunt, undique conquirentes, quæ ad argumentum suum varietate quadam ornandum commendandumque adhiberi possunt, de veritate rei ac fide Historica parum solliciti. Diodorus quidem de hac Colchorum origine quoque agit *lib.* I. *p.* 35. C. Verum ita ut sequatur fere Herodotum, sed cum varietate quadam. Nam (φασὶ) *Fertur*, inquit, *quosdam Aegyptiorum relictos* ex exercitu Sesostridis *apud Paludem Mæotin, condidisse gentem Colchorum*: Nempe & illi incertissima hæc erat traditio vel conjectura, inde orta, quod Colchi ab Aegyptiis viderentur esse oriundi. Rectius igitur Bochartus Colchorum originem ex Aegypto agnoscit quidem, at traditionem de Sesostride prorsus rejicit, & quacunque alia ratione nobis ignota, in continua illa primi temporis Gentium migratione, Cassluchæos in Colchidem demigrasse censet. Ego vero nihil itidem in his omnibus reperio, quare credam, Sesostrin ergo fuisse antiquiorem Mose & primis Judicibus Israëlis, inprimis quum huic sententiæ repugnent, non modo omnis ratio tam antiqui temporis, ab tam lon-

longinquo & amplo unius Regis imperio alienissima, sed & omnia, quæ supersunt apud Veteres, ætatis Sesostridis vestigia. Quapropter æque mihi rejicula est illa Anonymi istius opinio, tanto licet promittendi hiatu ostentata, quam illa Blanchini, quæ Sesostrin, ut supra jam diximus, Cuschanum Rischatajim fuisse affirmat, quod sicuti sine ullo rerum documento ponitur, ita a nobis facili etiam negotio rejicitur atque exploditur.

CAP. XVII.

Sesostridis Filius incertus. Imperium ejus neutiquam fuit diuturnum, sed cum eo desiisse videtur. Obeliscus Rhamsis *apud Tacitum non ad alium, quam Sesostrin, videtur referendus. Obeliscus* Rhamestis *apud Ammianum Marcell. cujus fuerit, utrum Sisaci, an Quarti Regis Dyn.* XIX. *Videtur potius fuisse* Ramessis *illius, qui Protei Filius. Obelisci plures fuerunt, sed qui continebant etiam res na-*

naturales, non semper res bellicas. Eos tamen, Sacerdotes Exteris persuadebant, continuisse tantum res gestas antiquorum Regum. Hebrææ Gentis Historia non admittit durantem diu Aegyptiorum potentiam. Memnon *quis fuerit, incertum. Quinam Reges Dynastiæ* XII. *fuerint. Videntur a Manethone conficti Reges primarum Dynastiarum, ad Aegyptiæ Gentis antiquitatem extollendam.* Sesonchosis *Dicæarchi quis fuerit.* Myris *vel* Mœris, *unde lacus supra Memphim nomen habuit, videtur fuisse* Mephres *vel* Miphris, *Rex Octavus vel Nonus Dynastiæ* XVIII. *Forsan etiam idem, qui* Mithres *vel* Mestres *apud Plinium.*

Agendum nunc superest de Filio Sesostridis, & imperio Successoribus relicto. De Filio res est incertissima. Herodotus II. III. *Pheronem* vocat, qui nullam fecerit expeditionem, & cæcus evaserit. Huic porro successorem dat Protea,

 qui

qui tempore B. Trojani fuerit. *Diodorus* quoque *pag.* 38. A. Filium Patris nomen adſciviſſe, nec quidquam prorſus bellicum aut memorabile geſſiſſe tradit, multos deinde Reges ſubjungens, antequam ad Protea perveniat. Plinius N. H. XXXVI. 11. Seſoſtridis Filium *Nuncorea* appellat, qui duos obeliscos erexerit. *Chronici Paſchalis* Auctor *pag.* 48. *Nachorem* appellat, quod cum *Nuncoreo* convenit, & utrumque forſan levi cum mutatione ſumptum eſt ex Manethonis Dynaſtia XII. in qua Seſoſtridis F. apud Africanum ſcribitur *Lachares*. Nam ſolent literæ L. & N. in nominibus propriis Orientalium inter ſe permutari, ut vel ex *Labynito* apud Herodotum conſtat, quippe quod nomen ex *Nabonadii* vel *Nabonidi* nomine eſt formatum. Ceterum ex hisce liquet, verum Filii nomen incertum fuiſſe, & ſine dubio obliteratum paterno nomine, quod ille Rex jam factus aſſumpſit, ut eo ſe commendaret aut venerabilem redderet ſuis populis. Hinc ergo, quia in Dynaſtia XVIII. Manethonis apud Joſephum poſt Armain duo ſequuntur *Rameſſes*, ſed quibus ſine dubio falſi annorum numeri ſunt adſcripti, dum priori ne biennium quidem datur, crediderim *Rameſſen* priorem eſſe Seſoſtrim, alterum vero *Rameſſen* (nam male *Armeſſes* ſcribitur)

tur) *Miamûn* ejus Filium, ab Ἀμȣ̃ν antiquissimo apud Aegyptios Deo (Vide Bocharti *Phaleg.* I. 1.) sic haud dubie cognominatum. Liquet & illud ex superioribus, crudam hanc servitutem gentium sub Aegyptio jugo mox exstinctam. Nec enim credibile est, eas adeo recens domitas, quum audirent mortuum Sesostrin, & Filium ejus ac Successorem Hominem esse ignavum, & imbellem, & cæcum, tulisse patienter novum & insolitum hoc jugum, ac non studuisse illud excutere. Nec dubito, quin Ninus aliquandiu post Sesostridis demum mortem Assyriæ suæ nomen extulerit in celebritatem, & magnam partem Asiæ sibi subjecerit illius exemplum secutus, & forsan ipsos tunc Aegyptios ex Asia, si qui modo superessent istic, primus expulerit. Certe quum Justinus I. 1. palam adeo affirmet, Sesostrim *non imperium sibi, sed populis suis gloriam quæsivisse, contentumque victoria, imperio abstinuisse*, quumque vix ullum reperiamus tantæ potentiæ Aegyptiorum vestigium per Asiam majorem minoremque exstantis post Sesostrim, crediderim omnino, imperium ejus una cum ipso, vel paulo post, desiisse paulatim, plane uti postea Attilæ & Timurlani accidit. Negat id Marshamus *pag.* 390 [a].

Sed

a *Pag.* 413. *E. L.*

Sed nullum nobis Regem ex proximis ejus successoribus ostendit, qui jus in populos a Patre aut Avo victos acquisitum sibi asseruerit, aut res quasdam bello gesserit, si ab uno discedamus Memnone. Herodotus quoque & Diodorus nihil prorsus potentiæ Successoribus Sesostridis in alias tribuunt Gentes. Immo Diodorus diserte ait, post Filium Sesostridis, Successores exstitisse multos, sed qui οὐδὲν ἔπραξαν ἀναγραφῆς ἄξιον, *nihil fecerint notatu dignum.* Quocirca neque alium Ego, quam ipsum Sesostrin, fuisse censeo illum *Rhamsen* apud Tacitum, *Annal.* II. 60. cujus res gestæ & elogia obeliscis inscripta istic memorantur. Fuisse Obeliscos hujusmodi ab Sesostride excitatos docent nos Diodorus Siculus *lib.* I. *p.* 37. & Plinius N.H. XXXVI. 9. Fuisse hunc etiam *Ramessen* dictum agnoscunt omnes: sed & Manetho in Dynastiis hoc eum nomine videtur designasse, sive is fuerit Ramesses Dynastiæ XVIII. ex sententia Eusebii & Syncelli, quam nos recipimus, sive Sethosis Dynastiæ XIX. quem Josephus [a] ideo etiam *Ramessen* dictum ait, & cui tribuit res gestas Sesostridis, in quo plerique nunc eum sequuntur. Alium autem ab hoc Sesostride diversum Ramessen, qui res magnas gesserit, non reperimus.

Mars-

a *Lib. I. contra Apion. pag.* 1041.

Marshamus [a] obeliscum & inscriptionem ab Tacito memoratam ad Sesostridis F. *Rhamsen* quoque dictum, refert, nullo alio, ut videtur, argumento, quam quia istic Rhamses *Bactrianos* quoque domuisse dicitur, qui in Historia Sesostridis neutiquam memorentur, & quia etiam Rex Osymandys, qui creditur esse Memnon seu Amenophis, bellum gessisse traditur apud Diodorum *pag.* 31. B. πρὸς τὲς ἐν Βάκτροις ἀποςάντας, *contra eos, qui in Bactris defecerant*, Vide Marsham. *p.* 404 [b]. Sed frivolum plane hoc est argumentum, quum Sesostris utique dicatur *omnem Asiam domuisse, nec tantum eas regiones, quas postea Alexander M. invasit, sed & quas ille non adiit, immo Gangem trajecisse, & totam Indiam usque ad Oceanum pervasisse*, apud Diodorum Siculum *pag.* 35. C. Quid? Annon Alexander Bactrianos domuit? An hac descriptione victoriarum Sesostridis continentur Bactriani minus quam alii Asiæ populi? An vero necesse erat singulos Asiæ populos nominatim recensere? Ego vero tantum abest, ut huic argumento quidquam tribuam, ut e contrario putem, victorias Sesostridis, sive Rhamsis, & apud Diodorum, & apud Tacitum, longe supra verum extolli. Rectius itaque Carpentarius

a *Pag* 417. b *Pag.* 428. *E. L.*

rius in Libro Gallico *de l'Excellence de la Langue Franç. Cap.* 41. *p.* 962. *Rhamsen* Taciti putat ipsum esse Sesostrin. At idem *pag.* 945. *Rhamesten* Obelisci apud Amm. Marcellinum XVII. 4. censet esse Sisacum, diversum plane ab Sesostri. Utitur autem eam in rem argumento prorsus tenui; scilicet, quia istic dicitur, πληρώσας τὸν νεὼν τῶν φοίνικος ἀγαθῶν, *implevisse templum bonis Phœnicis*, inde colligit, victoriam iis verbis designari de Judæis, qui sint *Phœnices*. Quia vero in S. Historia solus Aegyptiorum Sisacus nobis occurrit, qui Judæos vicerit, & eorum spolia abduxerit in Aegyptum, eum ergo intelligi existimat, tanto magis, quoniam sola hæc *Phœnicum spolia* hic memorentur, nulliusque alterius Gentis nominatim fiat mentio. At de Sisaco nihil habemus, nihil scimus, nisi quod Rehabeamum Regem Judææ vicerit, & ad tributum pendendum adegerit, eoque facto, & spoliato insuper ejus palatio & templo, domum redierit. Nullum aliud ejus bellum usquam reperitur. Neque vero a quoquam ille *Ramesses* appellatur. Præterea Sesostris *Phœnicas* & Palæstinos quoque vicit, ut vel ex columnis in ea gente relictis patet: atque adeo & ille *Phœnicum bonis* sua templa locupletasse potuit. Marshamus [a] vero obe-

[a] *Pag.* 455. *E. L.*

obeliscum hunc refert ad *Rameſſen*, quartum Dynaſtiæ XIX. Regem, qui ſecundum ipſius ſententiam tertius fuerit Seſoſtridis ſucceſſor, ſcil. ut tanto longiorem imperii tam ampli poſſeſſionem poſteris Seſoſtridis attribuere poſſet. Verum hic ipſe *Rameſſes* ab Euſebio, &, ſicut videtur, etiam ab Syncello in *Serie Regum*, plane ignoratur, nec a Marshamo quicquam aliunde adfertur, unde liqueat hunc Rameſſen quidquam rerum geſſiſſe, nedum res Inſcriptioni hujus obelisci congruas. Confundit autem hunc *Rameſſen* cum eo, *quo regnante* Plinius *Ilium* dicit *captum* N. H. XXXVI. 8. licet ipſe illum longe poſt Iliacum bellum ponat, quippe poſt Seſoſtrim, quem utique ad Rehabeami tempora relatum, Iliaco bello ſeriorem proinde facit. Verum ille e contrario Plinium hac in re erroris inſimulat, ſed male prorſus. Nam *Ramiſes* iſte Plinii fuit Protei Filius, & Rex vere temporis iſtius, quo Troja fuit capta, ut ſupra oſtendimus. Neque vero ulla poteſt dari ratio, quare obeliscus iſte non tribuatur huic Rameſſi, Protei F. æque & potius, quam obſcuro illi, quem Marshamus arripit, Euſebius & Syncellus in ſua Regum *Serie* ignorant, & de quo nihil rei geſtæ a quoquam traditur, quum ad alterum illum diſerte Plinius conferat

hunc

hunc Obeliscum, & alios ad ipsum *Sesostrin* & *ejus Filium Nuncorea capp.* 9. & 11. Nullam ergo veri speciem habet, Plinium hic *in tempore peccasse*, aut male Ramessi Protei F. adscripsisse Obeliscum, qui fuerit Ramessis alterius, seu, alicujus incerti & obscuri Regis. In eundem impingit errorem Carpentarius, dum Obeliscum hunc ex Plinio XXXVI. 8. & 9. exponit, & ita ad illum *Ramisen*, sub quo Ilium fuerit captum, refert *pag*. 844. & tamen dein *pag*. 945. de Sisaco eum interpretatur, qui diu utique post B. Iliacum vixit etiam ex ipsius Carpentarii sententia, rejicientis quippe eum in Dynastiam XXII. & ad primum ejus Regem, *Sesonchin*, referentis *pag*. 954. & 973. quæ neutiquam cohærent. Incertus ergo est & manet *Ramesses* hujus Obelisci. Quod si tamen Sisacus usquam *Ramesses* quoque dictus fuisse legeretur, in Carpentarii sententiam forsan discedere possem. Nunc malim, *Ramessen* illum, quo regnante Ilium captum, hujus obelisci eredere Auctorem, siquidem Plinius *d. l.* eum amplissimum & altissimum erexisse obeliscum memorat. Et potuit etiam ille templum *Phœnicum bonis* facile ornavisse, sive bello, sive aliter, quæsitis. Nam certe ne Sesostridi adscribam hunc Obeliscum, facit tenuitas rerum gesta-

gestarum, quæ istic memorantur. Longe plura enim & majora de Sesostride dici possent, & dicerentur haud dubie, quum nihil rerum in eo fere memoretur apud Ammianum, quod non in quemcunque Regem facile cadat. Omnia sunt adulationum elogia, quibus isti Reges more Gentium Orientalium sibi applaudebant, vel applaudi patiebantur. Nullum itaque satis idoneum in ea Obelisci Inscriptione, ad cujuscunque tandem Regis honorem pertineat, habemus documentum durantis præcipuæ illius Aegyptiorum post Sesostridem in ejus Successoribus potentiæ, quam nunc investigamus.

Plures tamen fuisse Aegypti Reges, qui in finitimos multum juris habuerint, colligendum forsan videbitur ex eo, quod Ammianus *d. l.* dicit, Thebis *vidisse se Obeliscos plures, aliosque jacentes & comminutos, quos antiqui Reges, bello domitis Gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, Diis superis in religione dicarint.* Disertius etiam Strabo *lib.* XVII. *pag.* 816. Thebis ait *supra Memnonium esse sepulchra Regum in speluncis incisa, in quibus exstiterint Inscriptiones Obeliscorum, declarantes opulentiam Regum, qui tunc fuerint, & imperium usque ad Scythas & Bactrianos, & Indos, & quæ nunc dicitur Ionia, prolatum,*

Z

tum, ut & Tributorum atque exercitus usque ad 100. *myriadas magnitudinem*. Ego vero non dubito, quin hæc fuerit, non omnium Obeliscorum, ſed pauciſſimorum, forſan unius & alterius, Inſcriptio. Sacerdotes autem Aegyptii videntur unam interpretati, de reliquis voluiſſe exteros, qui eas legere & intelligere non poterant, opinari, quasi ejusdem eſſent argumenti, quum tamen multi Obelisci *continerent*, ut nos docet Plinius XXXVI. 9. extr. *rerum naturæ interpretationem ex Aegyptiorum philoſophia*. At talis Inſcriptio, qualem memorat Strabo, unice convenit in Seſoſtridem vel Rhamſen Taciti, & ſine dubio de Eo egit, ideo præ ceteris, quasi Una inſtar omnium foret, explicita Exteris. De Seſoſtride enim diſerte Diodorus *pag.* 37. A, *duos* illum ait *erexiſſe Obeliscos, quibus inſcripſerit magnitudinem* τῆς δυνάμεως, *potentiæ*, ſeu *virium, & copiarum, tum multitudinem Vectigalium, & Gentium debellatarum numerum*. De Rhamſe Tacitus fere ſimilia, quo *cum exercitu* quas gentes *imperio* ſuo ſubjectas *tenuerit*, tum *indicta Gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerum armorum equorumque, & dona templis ebur atque odores, quasque copias frumenti & omnium utenſilium quæque natio penderet*. Conveniunt hæc ſic ſatis cum iis, quæ Strabo memorat, ut

adeo

adeo videantur omnia de uno Sesostride dicta. Certe præter hunc Regem vix ullus alius nobis in Veteri Historia occurrit Aegyptius, qui tot Gentes Asiæ suo imperio tenuerit subjectas. Neque vero conciliari potest tanta Aegyptiorum in finitimos potentia, si aliquandiu duravisset, cum Sacra, seu Gentis Hebrææ, quæ Aegyptiis erat proxima, Historia, in qua nullum nobis Aegyptiæ potentiæ vestigium ante Salomonis tempora occurrit. Potuit illa unius Sesostridis expeditionem & victoriam, licet veritati congruam, silentio involvisse, per causam, ut diximus, servitutis publicæ, qua Hebræi Cananæis jam serviebant, atque ideo, quæcunque rerum mutatio accideret cum maxime in Palæstina, easdem tamen illi portabant tunc clitellas. Sed ut etiam diu postea per sæculum aut sesquisæculum mansissent in potestate Aegyptiorum, ejusque Rei ac Gentis vel sic nulla omnino in ipsorum Annalibus fieret mentio, id vero speciem veri habet nullam.

Unus tamen in Græca nobis obtruditur Historia *Memnon Aethiops* seu Thebanus, qui vixisse debuerit post Sesostrim circa Trojani Belli tempora, & videri possit illius exemplum voluisse sequi, atque adeo per Arabiam & Babyloniam, usque in Su-

ſa & Perſidem moviſſe arma, forſan etiam in Bactrianos, qui defecerint, ſi tamen Memnon, & non ipſe Seſoſtris, idem eſt, qui *Oſymandys* Diodori, *pag.* 31. B. & ſi nomen *Bactrorum* iſtic nihil habet vitii. Nam, ut vere dicam, Bactra longe nimis ab Aegypto erant remota, quam ut diu adeo videantur Aegyptiis manſiſſe ſubjecta. Verum de hoc Memnone ſupra jam egimus, quantum potuimus per ſpiſſas illas tenebras, quibus illius Hiſtoria tenetur implicita. Nam neque Manethonis Dynaſtiæ hic nos quidquam juvant, niſi quod Africanus & Euſebius Amenophin, Septimum vel Octavum Dynaſtiæ XVIII. Regem, dicant eum eſſe, qui *putetur Memnon fuiſſe.* Neque vero ſeries Regum, ab Herodoto & Diodoro expoſita, ejus meminit, niſi forte apud Diodorum [a] *Mendes*, qui Labyrinthum fecerit, interjectus inter Seſoſtrin & B. Trojanum, pro Memnone ſit accipiendus. Sed repugnat huic opinioni, quod Mendes iſte diſerte *nullam omnino* (πολεμικὴν πρᾶξιν) *bellicam rem* dicatur *feciſſe*, quod utique in Memnonem non convenit.

Supereſt adhuc in rebus ad Seſoſtrim pertinentibus aliquid, de quo paucis agendum videtur. Quinam ſcilicet fuerint illi Re-

ges,

[a] *Pag.* 39. *A.*

ges, quos in Dynaſtiam XII. contulit Manetho, in quibus adeo palam & nominatim *Seſoſtris* nobis exhibetur, & tanquam celebris ille, ſed haud dubie ab Africano, deſcribitur. Sed & alii iſtic nominantur, qui ab illo non valde ſunt alieni; nimirum *Seſonchoſis* vel *Seſonchoris*, *Ammenemes*, *Seſoſtris*, *Lachares*, *Ammeres*, *Ammenemes*. In his *Seſonchoſis* primus eſt, cujus nominis Rex ab Dicæarcho deſcribitur tanquam Victor Aſiæ & Colchidis conditor, in *Scholiis* Apollonii Rhodii *lib.* IV. *v.* 272. & 276. ut adeo *Seſonchoſis* Dicæarcho fuerit idem, qui Seſoſtris Herodoto, cum quo Scholiaſtes Apollonii eum quoque confert, & ex ipſo Herodoto illuſtrat. Sed confuſio hæc forſan orta ex eo, quod Seſonchoſis Pater vel Avus fuerit Seſoſtridis. At ita Seſonchoſidis ætas nimis longe remota foret in tempus vetuſtum etiam ab Dicæarcho, qui ab Ejus Regno ad Regem *Nilum* ponit annos 2500. a *Nilo* ad I. Olympiadem annos 436. Jam vero vixit hic Nilus, ſeu Nileus, juxta Diodorum [a], poſt B. Trojanum, inter quod Bellum & I. Olympiadem intercedit ſpatium 408. annorum, quæ ſumma non longe ſubſiſtit infra illam Dicæarchi. At Seſonchoſis, ſi Seſoſtridis eſt Pater vel Avus, recte qui-

 dem

[a] *Pag.* 39. *A.*

dem *post Horum* dicitur *regnasse*, quoniam *Horus* Rex Octavus vel Nonus in Dynastia XVIII. memoratur, & ante *Ramessen*, h. e. Sesostrin, Quintus vel Sextus nominatur, unde error Dicæarchi, dicentis eum *post Horum*, sed *Isidis & Osiridis Filium*, *regnasse*, potest videri ortus. Sed & inde forsan ortum, quod intervallum illud a Sesonchoside ad Nilum statuit Dicæarchus plane immodicum, & longe exsuperans Diluvii tempora, quia Sesonchosin credidit Successorem *Hori*, qui Isidis & Osiridis F. id quod fuit potius Menes, primus Hominum Rex. Sed tamen ab Hoc ipso usque ad 1. Olymp. majus adhuc intervallum finxit vanitas Aegyptiorum. Quocirca pene putem, delendam vocem, δισχίλια (2000.) in Dicæarchi fragmento. Quo facto, summa quidem istius inter Sesonch. & Nilum intervalli, quæ tunc erit 500. annorum; major etiamdum foret vero, sed non adeo, quin vanitati Gentis indulgeri queat illud, quod excedit verum, si computationem instituas ab Sesostridis Avo usque ad Nilum vel Nilea, qui, ut diximus ex Diodoro, regnavit aliquanto tempore post B. Trojanum. *Ammenemis* autem nomen, quod bis hic occurrit, idem videtur esse, quod *Memnonis*. Denique *Lachari* Sesostris F. nomen tribuitur, quod a *Nacho-*

re in *Chronico Paschali*, & a *Nuncoreo* Plinii non adeo longe abscedit, neque etiam a *Maro* apud Diodorum *pag*. 39. A. Certe uterque, & *Lachares* iste, & *Marus*, quasi vere essent iidem, dicuntur celebrem illum Labyrinthum in Arsenoite Nomo, ἑαυτῷ τάφον κατασκευάσαι, *sibi Sepulchrum construxisse*. Vide hæc ipsa verba pariter, & apud Syncellum *pag*. 59. & 60. in Dynastia XII. ex Africano & Eusebio, de Lachare, & apud Diodorum *d. l.* de Maro. Verum totam hanc Dynastiam XII. Marshamus *pag*. 391. 392 [a]. censet ab Africano male divulsam a Dynastia XIX. atque in Hanc idcirco revocandam. At quam rationem habere potuit Africanus, ut id faceret? Crediderim potius, Manethonem priores Dynastias XIV. fere numero, plane confinxisse, ut Aegyptiorum antiquitatem supra alias Gentes extolleret: quia vero plerique Reges varia & complura habuerunt nomina. (Syncellus *pag*. 63. διώνυμοι καὶ τριώνυμοι πολλαχοῦ τῶν Αἰγυπτίων οἱ Βασιλεῖς εὕρηνται, *Reges Aegyptiorum plerumque binomines vel trinomines reperti sunt* in Historiis) ex illis quædam arripuisse, & iis seriem Dynastiarum implevisse, atque ita ex Dynastia XVIII. ubi Sesostris appellatur *Ramesses*, sumpsisse ipsum *Sesostridis* nomen;

a Pag. 414. 415. E. L.

& similiter alia aliorum Regum nomina, eaque contulisse in Dynastiam XII. Utcunque sit, seu undecunque ea hauserit, certum est, Sesostrim tam antiquo tempore, tam diu ante Mosen, immo ante *Pastores*, h. e. Israëlitas, non vixisse, nec ullum tunc adeo amplum exstitisse imperium.

Ante Sesostrin Rex fuit *Myris*, vel *Mœris*, celeberrimus propter lacum sui nominis, & maximæ utilitatis, effossum. Eum in Dynastiis Manethonis isthoc nomine non reperimus. Marshamus *pag.* 228 [a]. ex Eratosthenis Catalogo *Marin* profert. Sed Eratosthenis Reges sunt tantum Thebani, certe plane diversi ab iis, quos Herodotus, Diodorus Siculus, & ipse Manetho, memorant. *Myris* autem inferiori in Aegypto fuit Rex, ubi laçum supra Memphim effodit, sicuti & ipsam eam Urbem propylæis exornavit ad templum Vulcani exstructis. Diodorus autem inter *Myrin* & *Sesostrim* sex tantum vel septem [b] interponit Reges, seu Γενεὰς. Fuisse ergo ejusdem Ordinis vel Dynastiæ Rex videtur, cujus Sesostris, atque ideo crediderim esse eum, qui in Dynastia XVIII. apud Josephum *Mephres*, apud Eusebium *Miphris*, apud Syncellum *Misphris*, scriptus

a *Pag.* 237. *E. L.* b Ἑπτὰ γενεὰς dicit *pag.* 34. *A.*

tus legitur. Ille vero Octavus vel Nonus est ante *Armain* & *Rameſſen*, h. e. Seſoſtrim. Forſan idem eſt & ille, qui apud Plinium N. H. XXXVI. 8. & 9. *Mitres*, vel *Mesphees*, in vulgatis edd. appellatur. Harduinus ex MStis utrobique legit *Meſtres*, quod & facit Kircherus, putatque eſſe ipſum Mizraimum Chami F. Et ſane is *Meſtraim* & *Meſtrem* apud Syncellum vocatur, *pag.* 53. & 91. Sed quum ille *Meſtres* apud Plinium dicatur *in Solis Urbe*, h. e. Heliopoli, *regnaſſe*, & *primus obeliscos excidiſſe*, longe alius, & longe poſterioris temporis, quam Chami F. fuiſſe videtur. *Myris* autem ædificator fuit, quippe qui etiam duas Pyramidas cum ſepulchro in lacu ſuo excitavit, ut Herodotus & Diodorus narrant.

CAP. XVIII.

Moſes & Iſraëlitæ exierunt ex Aegypto circa tempora Inachi Argivi, & Amoſios Aegyptii, Primi Dyn. XVIII. *Regis. Teſtantur id Profani Scriptores, & ex iis Patres Chriſtiani. Notatur Africani* & Juſtini Martyris *incuria duplex. Apion*

& Manetho Pastores *Aegypto pulsos tradiderunt tempore* Amosios. *Error Syncelli referentis Exitum ad Sexti Regis Dyn.* XVIII. *tempus, idque ex Josepho, quum Josephus plane contrarium dicat. Sequitur tamen Syncellum Marshamus, nisi quod Josephum ultro erroris accuset, sed qui defenditur. Reges* Pastores *Primi, male ab Eusebio in* XVII. *Dynastiam sunt relati, & proxime præmissi Regibus Dyn.* XVIII. *quum rectius Africanus eos in* XV. *retulerit, quod probatur ex Josepho Syncellus in eo accusat graviter Eusebium, & tamen mox palam ipse eum sequitur.*

Ceterum hinc jam progrediemur ad Exitum Mosis & Israëlitarum ex Aegypto, quem Veteres fere omnes referunt ad *Amosin*, primum Dynastiæ XVIII. Regem. Sic Josephus. *lib.* I. *contra Ap.* Justinus Martyr *Exhort. ad Græcos p.* 10. Tatianus *in Or. ad Gr.* §. 59. Clemens Alexandrinus *Stromat.* I. *p.* 320. & Eusebius in *Præpar. Euang.*

Euang. x. 11. Omnes hi non ex conjectura, aut sua ipsorum antiqui Temporis expositione, neque ex Josepho, ut ait Marshamus, *pag*. 308 [a]. *sententiam istam alio non inniti fundamento, quam* προχρονισμῷ *Josephi* affirmans: sed ex antiquioribus Scriptoribus, atque ipsis Aegyptiis, illud hauserunt. Ipsa enim proferunt verba Ptolemæi, Mendesii Sacerdotis; de quo, quis non miretur Marshamum, quando ita contemptim loquitur, *Ptolemæum nescio quem Mendesium*, laudaturus eum haud dubie, si hypothesi suæ reperisset faventem. At eum Tatianus & Eusebius vocant *literarum Aegyptiacarum interpretem*, & *Sacerdotem Mendetis*, qui *Regum Aegyptiorum res gestas exponens*, *dixerit*, κατὰ Ἄμωσιν Αἰγύπτου Βασιλέα γεγονέναι Ἰουδαίοις τὴν ἐξ Αἰγύπτου πορείαν, Μωσέως ἡγουμένου, *tempore Amoseos Aegypti Regis factam esse Judæorum ex Aegypto profectionem, ductore Mose*. At quis ille *Amosis?* Ille, ut Idem Ptol. ait, *qui vixit temporibus Inachi Regis*. Hoc ipsum credidit & affirmavit etiam Apion Grammaticus, Aegyptius & ipse, Γραμματικῶν vero περιεργότατος καὶ δοκιμώτατος, *Grammaticorum accuratissimus & præcipuæ existimationis*, ut Africanus & Tatianus eum appellant. Ille ergo *lib*. IV. *Aegypt*. de hoc *Amosi* itidem ait, eum

γε-

[a] *Pag*. 323. *E. L.*

γενέσθαι κατὰ τὸν Ἀργεῖον Ἴναχον, idque ex hoc ipso Ptolemæo Mendesio probat apud Tatian. *Or. ad Græcos* §. 59. & Clementem *Stromat*. I. *pag*. 320. At Africanus insuper apud Euseb. *Præpar. Euang*. x. 10. & Syncellum *pag*. 64. etiam ipsum Mosen, & Judæorum exitum ex Aegypto, ab illo ad hæc Amosios & Inachi tempora referri ait. Sequitur in eo Justinum Martyrem, qui in *Parænesi ad Græcos pag*. 10. hæc ex Apionis *Libro adv. Judæos & lib*. IV. *Historiarum* adfert, κατὰ Ἴναχον Ἄργες βασιλέα, Ἀμώσιος Αἰγυπτίων βασιλεύοντος ἀποστῆναι Ἰεδαίες, ὧν ἡγεῖσθαι Μωσέα, *tempore Inachi Regis Argivi ab Amosi in Aegypto regnante defecisse Judæos, quorum Dux fuerit Moses*.

Sed valde mihi hic suspecta est fides Justini & Africani. Nam Josephus, qui ex professo *contra Apionem* hunc scripsit, longe aliam tribuit ei sententiam de Judæorum origine ex Aegypto; Nimirum pulsos fuisse Aegypto propter lepram & alios corporis morbos, *anno* I. *Olympiadis* VII. *quo* & *Pœni Carthaginem condiderint*. Ducem autem eos tunc habuisse *Mosen* quendam *Heliopolitanum*, qui Leges eis dein dederit. Vide *lib*. II. *contra Ap. p*. 1061, 1062. Manifeste hæc quidem falsi arguuntur vel ex sola temporis ratione, quod incidit

cidit in exſtinctum jam ferme ab Aſſyriis Iſraëlitarum Regnum, atque ideo alieniſſimum eſt a primis Gentis Iſraëliticæ ſeu Judaicæ initiis. Sed vel ſic ab Apione, Judæorum & eorum antiquitatis adverſario, quin fuerint tradita, nullum poteſt eſſe dubium, ſi Joſephi reſponſionem conſideramus At ſi ea tradidit, tum vero neutiquam credibile eſt, illum alibi retuliſſe Originem Judæorum & ipſum Moſen ad tempora Inachi. Sed &, ſi hoc feciſſet, haud dubie id illi ipſe Joſephus objeciſſet, quippe quo nihil magis erat idoneum ad labefactandam ejus fidem arguendamque lepræ calumniam. Quid ergo? Nullus dubito, quin Apion, æque ac Manetho, ut mox videbimus, ad tempora Amoſios retulerit ejectionem *Paſtorum* ex Aegypto, & hoc Juſtinus de *Judæis* fuerit interpretatus, atque ita Apioni tribuerit *Judæorum* & *Moſis* mentionem, quam ille tamen nullam iſtic fecerat. Quod tanto probabilius, quia Apion iſte dicit ibidem in illo *libro Quarto*, ab illo Amoſi *Avarin everſam*, ut docet nos Tatianus & Clemens Alex. dictis jam locis. Legitur quidem iſtic in vulgatis edd. κατασκάψαι Μαρίαν, vel Ἀθυρίαν, quæ de *lacu effoſſo* Maræotidis, & neſcio qua *Athyria*, acceperunt Interpretes. Sed ex MStis conſtat varias iſtic re-

pe-

periri lectiones, in quibus etiam Ἄυαριν habemus. Sed & apud Eusebium, qui *Præpar. Euangel.* x. 11. & 12. eadem hæc ex Tatiano & Clemente excerpsit, ut in eo Opere excerpta potissimum dedit, utrobique Ἄυαριν diserte legitur, ut vel ex eo istius lectionis veritas satis pateat. Sed & notum est ex Josepho, vel ex Manethone, *Amosin* seu *Tethmosin* (nam idem est) obsedisse *Pastores* in *Auari* Urbe, & coëgisse illos eam relinquere. Vide Josephum *lib.* 1. *contra Ap. pag.* 1040. qui tamen istic non *eversam* ab eo dicit Urbem, sed *pag.* 1052. ubi diserte ait ἐρημωθεῖσαν, h. e. *exhaustam incolis*, & *relictam* quoque *vacuam*, quod & ex tota istic Historia patet. Nullus autem dubito, quin ad eam rem respexerit Apion: atque ita etiam inde liquet, de *Pastoribus* Eum ex Aegypto expulsis dixisse, quæ Justinus Martyr, & ex eo Africanus, ad Judæorum exitum ex Aegypto, atque ipsum Mosen, interpretatione sua retulerunt. Sed & ibidem ejusdem Justini, haud scio, fidemne pessimam, an socordiam incredibilem, accusem. Nam ex Diodori Siculi *libro Primo* ostendere vult, *Mosen* fuisse Aegyptiorum antiquissimum & Primum Legislatorem, eamque in rem verba ipsius Diodori (quæ conferas velim ex *pag.* 59. B. C.) refert, sed in quibus ipse de

de suo *Mosen* nominat, quem Diodorus *Mneuem* dixit, qui se leges has a Mercurio accepisse simulaverit. Sed &, quum dein Diodorus varia aliorum exempla subjiceret, qui item a Diis suas leges se accepisse jactarint, atque ultimo loco poneret *Mosen*, qui Deum IAO suarum Legum auctorem finxerit, ille de Diodoro ait, τῶν παλαιῶν νομοθετῶν, μνησθῆναι βελόμενος, πρῶτε Μωσέως μέμνηται, *antiquos Legislatores commemorare volens*, *PRIMUM nominat Mosen*; & ipsa dein verba Diodori, sed a Mose demum incipiens, exhibet, atque ita *Secundum*, *Tertium*, &c. Aegyptiorum legislatores non refert ad *Mneuen Primum*, ut fecit Diodorus, sed ad *Mosen*. Sed velim, Lector, inspicias ipsos Auctores, & sic de fide Justini Mart. judices.

Ceterum, quod de Apione censui, id vero manifestum est in Manethone, qui fabulam quidem Leprosorum temporis feri itidem ad originem Judæorum refert, sed Pastores sub Amosi exiisse tradit. Nam disertissime ex eo Josephus *lib.* I. *contra Ap. pag.* 1040. & 1041. ejectos scribit *Pastores* ex Aegypto a primo Dynastiæ XVIII. Rege, sed quem ille *Thumosin*, vel *Tethmosin*, vocat. Ea autem quum exposuisset, addit *p.* 1041. τὰ τῦ Μανεθῶνος πῶς ἔχει πρὸς τὴν τῦ χρόνυ τάξιν, ὑπογράψω, *ea*

quæ

quæ tradidit Manetho, ad quod tempus referantur, subjiciam. Subjicit vero ex ipso Manethone seriem & annos Regum Dyn. XVIII. ac deducit usque ad Sethosin & Armain seu Danaum, unde tunc Josephus colligit, multis plane annis ante *Danaum* exiisse suos majores, quos *Pastores* illos fuisse arbitratur, ex Aegypto. Sed & inde *pag.* 1052. accusat Manethonem, quod aliam & longe seriorem Judaicæ Gentis originem ex Aegypto referat, Ἐπιλαθόμενος σχεδὸν, ὅτι πεντηκοσίοις ἔτεσι καὶ δεκαοκτώ πρότερον ἱσόρηκε γενέσθαι τὴν τῶν Ποιμένων ἔξοδον εἰς Ἱεροσόλυμα. Τέθμωσις γὰρ ἦν Βασιλεὺς, ὅτε ἐξῄεσαν. *OBLITUS ferme, TRADIDISSE SE, quingentis & octodecim annis prius evenisse Pastorum Exitum Hierosolyma. Rex enim, quando illi exierunt, fuit Tethmosis*, Dynastiæ XVIII. Primus: unde *quingenti & octodecim* illi anni, ut ibidem addit ipse, usque ad Amenophin, Dynastiæ XIX. Regem Tertium, ad quem falsam illam & fabulosam Judæorum originem retulit deinde Manetho, computandi sunt ex ipso Manethone. Certum ergo etiam ex Aegyptio illo Scriptore, sub primo Dynastiæ XVIII. Rege Pastores, quicunque tandem illi fuerint, ex Aegypto ejectos, occupasse Hierosolyma. Quin Abbas Pezronius adeo persuasus fuit de

de hoc, ſive Paſtorum, ſive Iſraëlitarum, Exitu ſub illo Dyn. XVIII. Primo Rege, ut, licet *Paſtores* ab *Iſraëlitis* diverſos fuiſſe crediderit, tamen utrosque ſub eodem Rege, vel potius ejus Patre *Halisphragmuthoſi*, exiiſſe putarit, ita ut Amoſis Patris in Rubro Mari exſtincti, dum perſequebatur Iſraëlitas, proximus fuerit Succeſſor.

Sed Syncellus nimio Euſebii accuſandi ſtudio omnia hic turbat. Amoſin ille primum Dyn. XVIII. Regem dicit *pag.* 63. Filium *Aſethi*; qui ab ipſo in *Serie Regum* proxime ante Amoſin ponitur, & ab Joſepho *Aſſis* videtur dictus. Sub illo ergo *Aſetho* natum ſtatuit Moſen, & ab ejus Filia, Amoſidis Sorore, educatum, *pag.* 68. Exiiſſe autem ex Aegypto cum Iſraëlitis ſub Rege Dyn. XVIII. Sexto, *Misphragmuthoſi*, qui & *Amoſis* fuerit dictus, *pag.* 63. 69. & 71. At nullam horum omnium reperio allegari auctoritatem, nullum documentum, niſi ex Joſepho, ſed in quo adhibendo ipſe Syncellus errat graviſſime. Nam ait *pag.* 103. *Joſephum lib.* II. *contra Ap. ſcribentem* (ἱϛορȣ͂ντα) *de profectione populi* Judaici *ex Aegypto ſub Duodecimo Rege poſt Concharin*, h. e. *ſub Misphrahmuthoſi*, *ſeu Septimo & Trigeſimo poſt Meſtraim* ſeu Menem, *exponere tempus* ſeu Regnum XXIII.

Regum per annos 594. At vero Josephus, non tam in *Secundo*, quam in *Primo contra Apionem libro*, hoc facit. Dein diserte, non sub *Duodecimo* post Concharin in illa Syncelli *Serie Regum*, sed sub *Octavo*; nec sub Rege *Septimo & Trigesimo* a Mene vel Mizraimo, sed sub *Tertio & Trigesimo*; hoc est, non sub *Sexto* Dynastiæ XVIII. sed sub *Primo*, id factum clarissime docet. Liquet id etiam ex eo, quod ipse Josephus *lib.* I. *p.* 1041. *post quam exiisset ex Aegypto Hierosolyma Populus Pastorum*, *regnasse* ait *Tethmosin* (sic enim ille appellat Primum Dyn. XVIII. Regem, non *Amosin*) qui *ejecerat eos*, *annis* 25. & illi tunc mortuo successisse Filium *Chebronem*; atque ita porro enumerat omnes Dynastiæ XVIII. Reges, inque iis sexto demum loco illum *Mephragmuthosin*. Accedit, quod dein Primum Dyn. XIX. Regem, *Sethosim*, pro Sesostri habet Danai Fratre, unde manifestum esse ait, *suos Majores*, *Pastores dictos*, *egressos ex Aegypto Palæstinam occupasse* 393. *annis ante*, *quam Danaus Argos venerit*. Jam autem Hi 393. anni non explent modo, sed & superant annos omnium singulatim totius Dynastiæ XVIII. Regum ab Amosi usque. Adde his Josephi verbis prorsus consentanea, quæ idem repetit, sed breviter, *lib.* II. *contra Ap. p.* 1061. Porro similiter

pag.

pag. 1052. rejiciens Manethonis fabulam de Amenophi, qui ejecerit Leprosos ex Aegypto, subjicit, illum ipsum Manethonem *tradidisse*, 518. *annis ante* scil. Amenophin hunc, *accidisse Pastorum exitum ex Aegypto sub Tethmose*, quorum annorum initium repetit tunc itidem ab ipso initio Dynastiæ XVIII. ac deducit usque ad Amenophin, tertium Dyn. XIX. Regem, ita ut tribuat Dynastiæ XVIII. annos 393. duobus autem primis Dyn. XIX. Regibus annos 59. & 66. qui numeri in unam summam conjuncti conficiunt illos 518. annos. Copiosius paulo hæc exsecutus sum, ut pateret, quam temere Syncellus Josephum advocasset, & ab vulgata de Pastorum Exitu sub *Amosi* sententia secessisset. Sed error ejus ex eo videtur ortus, ut jam animadvertit in Notis Jac. Goarius, Syncelli Editor, quem miror a Marshamo *p.* 308 [a]. dici, *nodum hic in scirpo quærere*, quum rectissime arguat Syncellum; cujus error, ut dicere cœpi, ex eo videtur ortus, quod Josephus *pag.* 1040. Amoseos seu Tethmoseos Patrem fuisse dicat *Alisphragmuthosin*, qui primus vicerit & expulerit Pastores, & quod dein *pag.* 1041. Sexto Dynastiæ XVIII. Regi *Mephragmuthosi*, Filium quoque, vel certe Successorem, tribuat

[a] *Pag.* 323. *E. L.*

Thmosin. Hinc orta haud dubie confusio temporis & Regum illorum apud Syncellum, quum utriusque nomina videantur eadem, sed per librarios corrupta, facillima mutatione inter Græcas literas Μ. & ΑΛ. seu inter Nomina Μισφραγμούθωσις, ut eum Syncellus vocat, & Αλισφραγμούθωσις.

Sequitur tamen Syncellum Marshamus, sed ita, ut tantum absit ab Josephi in suas partes pertrahendi studio, quod ille studebat, ut e contrario eum non tam erroris, quam, quod pejus est, malæ fidei insimulet. Scribit enim *p.* 134 [a]. *Josephum, ut tot annos in lucro haberet*, scil. ad explendam intervalli, inter Exitum Israëlitarum & Trojæ ἅλωσιν, summam, *non a Septimo, sed a Primo, Rege calculum ponere, eamque ob causam illius nomen mutasse*, scil. ex *Amosi* in *Tethmosin*. Et *pag.* 308 [b]. *Josephum, ut Pastores a Primi hujus Dynastiæ Rege expulsos SIMULARET, Primi Regis nomen Vitiavisse; eandem ob causam etiam Hujus Regis* (Misphragmuthoseos in *Mephr.*) *ejusque Filii* (Thumosis in *Thmosis*) *nomina temeravisse, ne Semetipsum redargueret.* Acris sane accusatio, sed cujus probationem frustra ab eo requiras. Certe Ego nihil apud Eum reperio, unde constet, Josephum in his

a *Pag.* 139. b *Pag.* 322. *E. L.*

his errasse (nam Nominum error, si qui est, incertum, in quo sit, Josepho an Syncello) aut mala fide egisse, ac Pastores non sub Primo, ut vult Josephus, sed Sexto ac Septimo Dyn. XVIII. Rege victos & Aegypto ejectos: nisi quod *pag.* 307 [a]. dicat, *Vides ex continuata tum Tanitarum tum Thebanorum Serie* (sed quam sibi ipse pro arbitrio finxit, & nobis ingessit Marshamus, at nos supra *Capp.* VI. & VII. jam refutavimus) *Regem hunc* (Sextum, Misphragm.) *Pastorum debellatorem, cum postremis eorum temporibus tam apposite convenire, ut de Chronologia ista nullum sit posthac dubium.* Facili negotio id perfici potest, ut omnia *apposite conveniant*, si nobis nostro arbitratu omnia ordinare & ad nostram hypothesin redigere licet, ut ille facit. Conjungit enim *pag.* 241 [b]. Dynastiam XVII. Pastorum, & Dynastiam XXI. ac XXIII. Tanitarum. Deinde *pag.* 298. 299 [c]. Eratosthenis Reges Thebanos, & Manethonis Reges Diospolitanos Dynastiæ XVIII. Hoc illi est *continuare Seriem.* Et sic *tam apposite conveniunt* Reges ultimi Pastorum, cum Primis Septem Dyn. XVIII. Regibus.

Una tamen ipsi (Vide Eum *pag.* 241.) ratio suppetit, nec ea inepta; sed quæ

 Hypo-

a Pag. 322. *b Pag.* 250. *c Pag.* 311. *seqq. E. L.*

Hypothesin ipsius minime probat, verum unice inservit ad tollendum continuæ Successionis inter Reges Pastores in Dynastiam XVII. ab Eusebio relatos, ac Reges Diospolitanos Dynastiæ XVIII. nexum. Tradit nempe Josephus ex Manethone, post constitutum jam dudum Pastorum Regnum in Aegypto, tandem *Reges Thebaidis & reliquæ Aegypti insurrexisse pariter in Pastores, atque eis bellum magnum & diuturnum movisse.* Ita ergo illos, victos tandem, excessisse Aegypto, postquam *tenuissent Aegyptum annis* 511. sub primis Sex illis Regibus, quos in Dynastiam XVII. rejecit Eusebius, & τοῖς ἐξ αὐτῶν γενομένοις, *qui ex illis orti sunt.* Idonea est hæc difficultas, sed aliter expedienda. Nam omnia illa ex uno hauriuntur Josepho, qui tamen diserte eodem in loco Pastores Aegypto ejectos a Primo Dyn. XVIII. Rege tradit, non a Sexto vel Septimo. Quapropter neutiquam isthæc Josephi verba ad refutandam disertam adeo illius sententiam a nobis adhiberi possunt aut debent. Quid ergo? Aliter, ut dixi, & salva Josephi, qui ipse isthæc argumenta Marshamo suggerit, auctoritate ac Historiæ nexu, difficultas hæc removenda, ut facile fieri potest, quum culpa omnis in Eusebio hæreat. Et ideo accusavit jam Eum Syncellus *pag.* 62.

62. & 63. quod *proprio sibi scopo Reges Dyn. XV. apud Africanum, exstitisse in Dyn.* XVII. *tradat*, quum *omnium consensu constet, Josephum sub Aphophi* istius Dynastiæ Rege *præfuisse Aegypto, quumque non inveniret rationem Josephi ad alium quem Regem referendi, transtulerit ergo Aphophin ex* XV. *in* XVII. *Dynastiam.* Et dein, *Eusebius neque Africano, neque Josepho, neque alteri cuiquam consona tradens, Nomina* Regum *ex* XV. *Dyn. Africani traduxit in* XVII. Non possum autem, quin heic dicam, mirari me, ita in eo accusari a Syncello Eusebium, licet recte prorsus accusetur, mirari tamen, quia ipse Syncellus in *Serie Regum* eosdem Sex, addito insuper uno, memorat Reges, eisque proximum itidem dat successorem Amosin, primum Dynastiæ XVIII. Regem. Sed, quod magis est, ipse dein diserte *pag.* 103. Concharin XXV. Regem *Seriei* ad XVI. Dynastiam refert, eique *successisse* ait *Tanitas*, h. e. Pastores, *Reges quatuor* (sed legendum prorsus puto *sex*: nam ex tot Regum in illa *Serie* annis, si Sexto tribuantur anni 44. *ex Manethone*, ut ipse ab eo fieri ait, oriuntur ipsi illi 254. anni, quos istic illis Regibus Tanitis in universum tribuit. Septimum autem, *Asethum*, obtrudit nobis, non pro Rege Pastore, sed pro Pri-

mo Dynastiæ XVIII. & Patre *Amoseos*. Vide Eum *pag*. 63. & 68.) *qui in* XVII. *Dynastia præfuerunt Aegypto per annos* 254. Ac mox *pag*. 104. Reges illos Pastores ab Josepho memoratos dicit esse eosdem, qui a Manethone ad XVII. Dynastiam referuntur, ac dein de Rege XXVI. ait, *Is est primus eorum Sex, Dynastiæ* XVII. *apud Manethonem*. Jam si ille Rex, & ejus quinque Successores, fuerunt *Dynastiæ* XVII. *apud Manethonem*, tum recte Eusebius quoque ad illam Dynastiam eos retulit. Vide etiam quæ dicemus infra *Cap*. XX. Sed videtur Syncellus sui oblitus, quod sæpius illi contraria narranti accidit, atque ideo male tribuere Manethoni, quod ille tamen non dixerat. Certe Africanus Sex illos Reges in Dynastiam Manethonis XV. retulit, ut ipse Syncellus palam dicit & docet, *pag*. 61. & 62. Josephus porro hunc ipsum ordinem Manethonis & Africani liquido satis confirmat, dum Sex illos Reges, Pastorum *primos*, dicit. Nam ait *pag*. 1040. καὶ ὗτοι μὲν Ἕξ ἐν αὐτοῖς ἐγενήθησαν πρῶτοι Ἄρχοντες, *Et hi quidem Sex inter Eos fuerunt Primi Reges*. Tribuit autem illis Annos 260. at omnibus simul, h. e. His Sex, & τοῖς ἐξ αὐτῶν γενομένοις, *posteris* & successoribus *eorum*, annos 511. quibus ait illos κρατῆσαι τῆς Αἰγύπτου, *Aegyptum tenuisse*, seu *ha-*

habuisse in sua potestate. Μετὰ ταῦτα δὲ, *post illud vero tempus*, victos a Patre Tethmoseos, qui Tethmosis est ipsi Primus Regum Dynastiæ XVIII. quos numero fere & ordine eodem, quo Manetho, dein recenset. Interjecti ergo fuerunt inter illos Sex Reges, & Primum Dynastiæ XVIII. anni 251. atque adeo non potuerunt illi Sex, fuisse ultimi & proximi Reges ante Dynastiam XVIII. seu, fuisse Reges Dynastiæ XVII. sed potuerunt fuisse Dyn. XVI. vel XV. in quam Africanus eos retulit. Vide & infra *Cap.* XX. fere *in extr.* Ita vero liquet jam & illud, neutiquam esse opus, ut ultimus Pastorum Reges statuamus æquales primis Septem Regibus Dynastiæ XVIII. quod volebat Marshamus, sed e contrario velle Manethonis seu Africani, & Josephi, qui Pastores Reges commemorant, consensum, illos omnes fuisse Dynastia XVIII. & ejus Regibus, etiam primis, priores: errare itaque Eusebium quidem, atque ipsum quoque Syncellum, quando primos Sex Pastorum Reges in Dynastiam XVII. rejiciunt, & continuo nexu primis Dyn. XVIII. Regibus jungunt: sed & errare etiam Marshamum, quando inde colligit, Pastores non a Primo, sed a Sexto vel Septimo, Dyn. XVIII. Rege esse Aegypto ejectos.

CAP. XIX.

Pastores, *quorum Dynastias refert Manetho, ab* Israëlitis *diversos fuisse censent plerique. Fabula Manethonis de* Origine Judæorum *longe Seriore refutatur. Multi ipsorum Aegyptiorum & Græcorum Mosen & Judæos longe faciunt antiquiores illius Fabulæ tempore. Multi tamen etiam sunt, qui Judæorum originem communi gentis odio ad recentiora tempora, & leprosorum colluviem ex Aegypto ejectam, retulerint.* Taciti *&* Justini *loca examinantur. Aegyptii præcipuo Judæos odio habuerunt, & ideo talem de leprosis fabulam sunt commenti. Herodotus tamen & Diodorus nullam* Pastorum, *nullam* Leprosorum *faciunt mentionem.* Africanus *incuriæ & erroris convincitur.* Pastorum *Historia ab solo Manethone nobis relicta, & consulto corrupta, ne* Israëlitæ *in iis*

iis agnoſcantur. Hiſtoriæ apud diverſarum Gentium Scriptores ſi in ſummam rerum conveniunt, licet in quibusdam circumſtantiis discrepent, non debent ideo pro diverſis haberi. Antiquiſſimæ Hiſtoriæ multis plerumque circumſtantiis additis ſunt ornatæ, vel potius adulteratæ. Paſtores *cum* Iſraëlitis *conferuntur, & utrosque fuiße eosdem, multis probatur. Nulli alii, quam Iſraëlitæ, reperiuntur occupaſſe Judæam.* Paſtores *non fuerunt* Phœnices, *nec hi ab Rubro mari venerunt. Tempus & Locus quoque habitationis in Aegypto in* Paſtoribus *&* Iſraëlitis *convenit.* Terra Goſen *erat Arabiæ proxima.*

At quinam, & cujus Gentis ac Originis, fuerint illi *Paſtores*, qui Aegyptum tot annis tenuiſſe & afflixiſſe dicuntur, dignum ſane eſt, quod diligenter nunc inveſtigetur. Nullus eorum meminit, niſi Manetho, & qui Eo ſunt uſi, Joſephus, Africanus, Euſebius, Syncellus

lus &c. Josephus credit & contendit, fuisse haud alios, quam Israëlitas, seu Israëlem cum sua familia & posteritate, quæ in Aegypto aliquandiu consedit. At ipse Manetho Pastores prorsus distinguit, & longo temporis spatio separat, ab Judæis eorumque origine; atque Illos in Aegyptum aliunde advenisse, ac tandem rursus expulsos, sed diu ante Judæorum tempora, tradit; Hos vero ex Aegypto ortos, & propter lepram corpora fœdantem ejectos diu post Pastores. Sequuntur Manethonem in eo, quod *Pastores* ab *Israëlitis* plane diversos facit, plerique hodie Eruditi, Scaliger, Usserius, Marshamus, Pezronius, Carpentarius, atque alii haud pauci. Nos tamen cum Josepho plane eosdem putamus, idque clarissime, quantum fieri potest in re tam antiqua, probare conabimur.

Manetho autem, de quo prius nobis est agendum, videtur consulto id egisse, ut Judæorum, quorum Origines & Historias desiderabat Rex sui temporis Ptolemæus Philadelphus, initia deprimeret in serum plane tempus, & fœdam satis occasionem. Finxit ergo, ab Amenophi, Tertio Rege ejus Dynastiæ, ad quam retulit ipse B. Trojanum, colluviem quandam leprosorum & tabidorum Hominum

Ae-

Aegypto excedere jussam, eamque sumpsisse sibi Ducem, Sacerdotem Heliopolitanum, *Osarsiphum*, sed cui postea nomen hoc mutatum fuerit, *Mosi* dein dicto. Hunc ergo evocasse sibi in auxilium *Pastorum* populum, qui jam ante annos 518. Aegypto expulsus, tunc Hierosolymis habitarit. Eum autem lubentem venisse, vastavisse Aegyptum, sed tandem ab Amenophi ex Aethiopia, in quam refugerat, redeunte, utrosque victos, & in Syriam denuo fugatos. Multa in his sunt absurda, quae satis feliciter refutavit jam Josephus. Nam quid negotii, quid commercii, leprosis istis Aegyptiis, cum Pastoribus alienigenis, & jam in Palaestina habitantibus? An ideo hosce advocarunt sibi auxilio, quia & ipsi olim Aegypto fuerant ejecti? At hoc plus quinque saeculis ante secundum ipsum Manethonem jam acciderat, intra quantum temporis spatium mutari prorsus solent populorum adversus se invicem rationes & affectus. Dein quid commodi ab illa colluvie morbidorum hominum exspectare aut polliceri sibi potuerunt Pastores tot jam saeculis in Syria pacate habitantes, ut ad illam tuendam, cujus contagium vitare debuissent, arma caperent, vel cum ea societatem contra potentem populum, nec tamen sibi tunc infestum,

festum, jungerent? Sed & quam abhorret illud ab omni verisimilitudine, quod Solymitæ isti Pastores cum Leprosis illis Aegyptiis iterum victi & fugati, tamen Leprosorum illorum Ducem, *Osarsiphum*, seu *Mosen*, sibi quoque Principem adsciverint, ejus Leges & instituta receperint, suam illi Remp. permiserint formandam gubernandamque? Sed &, si maxime ita se res habuisset, tunc utique populus ille, qui postea Hierosolymis & in Judæa habitavit, fuisset tamen revera magis ortus ab illis Pastoribus, qui istic maximo numero jam dudum consederant, quam ab ista Leprosorum colluvie, qui in Latomiis, in quas primum ab Aegyptiis fuerant conjecti, ac dein præliis & cladibus, multum debuerunt fuisse imminuti.

Denique Temporis quoque ratio Fabulam hanc penitus respuit, quum Moses, omnium Scriptorum, etiam Græcorum & Aegyptiorum, consensu, vixerit diu prorsus ante *B.* Trojanum, atque adeo etiam ante Dynastiam XIX. & istum Amenophin. Non modo enim Ptolemæus Mendesius eum retulit ad tempora Inachi & Amosios; sed & Polemon *Historiarum libro* I. ut docet nos Africanus apud Eusebium & Syncellum *d. l. sub Api Phoronei F. partem Aegyptiaci exercitus Aegypto exiisse, & consedisse in Syria Palæstina*, tradit, quod

quod Africanus de *Mose & Israëlitis* dictum putat, nec videtur ad alios posse referri, nisi forte ad *Pastores*, si Manethonem secutus fuerit Polemon. Sed quum æque, ac Ptolemæus Mendesius, rem hanc Aegyptiacam cum Chronologia Argivorum (fuit enim *Phoroneus* Inachi Argivi Filius) comparaverit, videtur Hunc potius secutus, atque adeo æque ac Ille, etiam Mosen & originem Judæorum ex Aegypto, his verbis respexisse. Ad *Apim* autem, quem Polemon memorat, profectionem Mosis ex Aegypto unice & palam refert quoque Syncellus *pag.* 121. Disertius Hecatæus Milesius apud Photium in *Excerptis* ex Diodoro, *Mosen* cum suis ex Aegypto ejectum tempore *Danai*, male quidem, sed tamen vel sic longe satis ante tempus Fabulæ Manethonicæ, tradit. Quin ipse Porphyrius, Christianorum & Judæorum Hostis, tamen Sanchuniathone, quem ille æqualem Semiramidis facit, antiquiorem affirmat Mosen, ut ex ejus ipsius Verbis apud Eusebium *Præpar. Euang.* x. 9. patet. Assentiri porro huic Mosis antiquitati ait Justinus Martyr *Paræn. ad Græcos p.* 10. *etiam Hellanicum, Philochorum, Castorem, Thallum, & Alexandrum Polyhistorem*, qui omnes Græci fuere Scriptores. Et ideo Origenes *contra Celsum, lib.* IV.

pag.

pag. 167. miratur, quod Celſus de Moſis antiquitate non egerit, qui *a quibusdam Græcis tempore Inachi vixiſſe* tradatur, ſed & *antiquiſſimus fuiſſe ab Aegyptiis agnoscatur, & ab iis, qui res Phœnicum conſcripſere.*

Ceterum, licet manifeſtum ſatis & certum ſit, antiquiſſimis temporibus vixiſſe Moſen, tamen adeo inviſi fuerunt Gentibus aliis Judæi, ut certatim illæ hanc fabulam de leproſis arripuerint, eamque multa cum imperitia rejecerint ad longe ſeriora tempora, etiam longe poſt B. Trojanum. Sic Lyſimachus apud Joſephum *lib.* I. *contra Ap. in extr.* leproſos & morbis affectos confugiſſe ſcribit ad templa Aegyptiorum, ſed inde ejectos *ab Rege Bocchori* (qui omnium conſenſu longe poſt B. Trojanum exſtitit) & partim mari merſos, partim in deſerta abductos: Hos vero tum *ductu Moſis occupaſſe Judæam.* Diſerte etiam Tacitus *Hiſtor.* V. 3. *Plurimi Auctores conſentiunt, orta per Aegyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorin, adito Hammonis Oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus Hominum, ut inviſum Diis, alias in terras avehere juſſum. Moſen unum Exſulum monuiſſe &c. Plurimi* ergo *Auctores conſentiunt* in *Bocchorin*, atque ad ejus demum tempus referunt *Moſen,*

sen, miserorum & leprosorum Exsulum ducem, ac dein Reip. Judaicæ conditorem, quod tamen est falsissimum, quum non *Moses* tantum & *Jerubbaal*, sed & *David*, atque ejus bella, etiam a Profanis Scriptoribus memorentur, & tali quidem tempore, quod diu ante Bocchorin Aegyptium exstitit. Et sane mirum est, etiam Eos, qui aliquid veri de Judæorum origine perceperant, tamen hanc tam putidam fabulam quoque recepisse. Ad verum enim accedit, quod Tacitus ibidem *cap.* 2. ait, *Sunt, qui tradant, Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos, ac mox proprias Urbes, Hebræasque terras, & propiora Syriæ, coluisse.* Pro *Assyriis* enim *convenis* haberi possunt, qui venere primum ex terris ultra Euphraten sitis, nec alio erant loco aut ordine in ipsa Cananæa, usque dum venerunt in Aegyptum, quam peregrinorum & advenarum. Tenuerunt etiam *partem Aegypti*, & illam quidem, quæ agris & pascuis abundabat. Rursus vero ex Aegypto excedentes, Hebræas terras & propiorem Ægypto *Syriam* occuparunt, & ita *proprias* sibi *Urbes* coluerunt. Sed disertissime Justinus XXXVI. 2. veriorem sententiam, licet multis in circumstantiis corruptam, & simul tamen fabulam illam de Leprosis refert, & in

unam eandemque confundit, ſed nullo nexu, Hiſtoriam. Memorat enim nobis *Abrahamum* & *Iſraëlem*, ac ejus Filium *Judam*, ut Judæorum progenitores extra Aegyptum. Immo & *Joſephum* ac *Moſen*, & *Aruam*, h. e. Aharonem, quorum ille Iſraëlis F. in Aegyptum fuerit deportatus, ſed ſolus, unde ortus fuerit Moſes, qui quum Aegyptii dein ſcabiem paterentur, ab illis reſponſo Deorum monitis, fuerit terminis Aegypti una cum ægris expulſus. Unde *Dux Exſulum* factus, *antiquam Patriam* repetiverit. At quid negotii illis ægris & ſcabioſis Aegyptiis fuit cum reliquis Judæis, aut illa antiqua Moſis Patria? quid illis Judæis cum ipſo Moſe, qui in Aegypto natus ex Joſepho fingitur, a fratribus vendito peregrinis mercatoribus, & ab his in Aegyptum deportato, ut illum Moſen, hujus Joſephi Filium, pro Principe, & quidem una cum illis Scabioſis Aegyptiis, reciperent, ejusque Leges aliarum Gentium Legibus, peculiarem ſibi & ſuis Aegyptiis Exſulibus ob cauſam, plane contrarias admitterent. Omnes has difficultates evaſiſſet Juſtinus, ſi loco *ægrorum* & *ſcabie* affectorum Aegyptiorum, quos Moſi ſocios & comites dedit, Iſraëlitas in Aegyptum ad Joſephum veniſſe,

&

& cum Mose exiisse narrasset. At ille fabulosam *Lepræ* Historiam a plurimis Scriptoribus traditam prætermittere noluit, atque ita veris falsa miscuit. Diodorus quoque apud Photium *pag.* 1150. eandem tradidit fabulam, at dein *p.* 1151. ex Hecatæo Milesio aliam fere narrat Historiam, & paulo quidem prudentius, ac simplicius: Fuisse scilicet in Aegypto quamplurimos alienigenas seu peregrinos, qui variis ritibus in religione seu sacris Deorum uterentur, unde, quum forte pestilentia esset exorta, plerique ad hanc causam illud malum retulerint, atque idcirco peregrinos omnes ejecerint, quorum præcipui cum Danao & Cadmo abierint in Græciam, plebeji vero cum Mose in Judæam tunc vacuam, qui ibi Hierosolyma condiderint. At Strabo adhuc magis simpliciter *lib.* XVI. *pag.* 760. Judæos esse Aegyptios origine dicit, & Mosen, unum ex Aegyptiis Sacerdotibus, quum ægre ferret præsentem istic rerum statum, ultro abiisse, & se contulisse in Judæam, cum multis comitibus, qui Deum vererentur.

Quid plura addam? Satis, ni fallor, liquere videtur, quando Sacras cum hisce comparamus Literas, Aegyptios, quia gloriosissimam non modo Josephi, sed & Mosis, & Israëlitarum ex Aegypto exeun-

tium, Historiam profiteri nolebant, finxisse falsam, & vilem, & deformem Judaicæ Gentis originem, suis ex terris, sed cum scabie & lepra, repetendam, Veram autem Israëlitarum in Aegypto agentium, & inde exeuntium, Historiam variis multisque falsis circumstantiis ita contaminasse vel adulterasse, ut agnosci vix posset, & sic ad alios eam Homines tuto retulisse. Queritur certe Josephus *lib.* I. *c. Ap. pag.* 1039. *Communiter omnes Aegyptios vel maxime iniquos* & *malevolos esse Judæis*, in Historia scilicet, atque ideo fidem illis habendam judicat in eo potissimum, si quid prodiderint, quod Judæorum antiquitatem confirmet. Disertius etiam *pag.* 1051. de hoc ipso Judæorum exitu agens: *Male de nobis loqui cœperunt Aegyptii: quum autem nonnulli gratiam ab illis inire vellent, pervertere tentarunt veritatem, neque adventum nostrorum progenitorum in Aegyptum, prout accidit, narrantes, neque de exitu vera tradentes. Multas autem odii & invidiæ adversus nos habuerunt causas* Aegyptii, *& ab initio quidem, quod nostri progenitores in ipsorum regione potentes fuerunt, & inde egressi in Judæam iterum secunda usi sunt fortuna; deinde vero diversitas religionum magnam in illis contra nos excitavit inimicitiam &c.*

Adde

Adde & Abramum in *Pharo*, *lib*. VIII. *p*. 200. &c. pluribus id adſtruentem. Habuerunt ergo Aegyptii, habuit & Manetho, rationes ſuas falſa de Judæis prodendi, & vera diſſimulandi, fictisque circumſtantiis ea in aliam ſpeciem redigendi, inprimis illa, quæ ſuis majoribus obvenerunt ab Iſraëlitis in Aegypto agentibus, & inde exeuntibus.

Modeſtiores tamen & ſapientiores fuerunt illi Sacerdotes, a quibus Herodotus, & longe poſtea Diodorus Siculus, acceperunt, quæ de Aegyptiorum rebus & Regibus nobis narrant. Nam nullam illi iſtic neque de Judæis Aegypto ortis, neque de illa Leproſorum colluvie, neque de ipſis Paſtoribus eorumque Regno, quod ultra quinque ſæcula duraverit, faciunt vel minimam mentionem. Diodorus tamen, ſed alibi, etiam *Aegyptiacæ originis*, ſed longe antiquioris, meminit, & de ſolis Judæis tunc ex Hecatæo agens, immo & *lepræ*, ſed ex perſona inimicorum loquens. Vide Photium *p*. 1150. &c. Quod vero Africanus ait apud Euſeb. *Præpar. Euang*. x. 10. & Syncellum *pag*. 64. *etiam Herodotum lib*. II. *meminiſſe iſtius Defectionis*, Judæorum ſcil. ab Aegyptiis, *&* ipſius *Amoſeos*; *Aliquo Modo etiam ipſorum Judæorum, in illis, qui circumcidi ſolent, eos connumerantem*,

rantem, & *Assyrios Palæstinæ vocantem*, *forte propter Abrahamum*; in eo errat, nec Herodotum, qui nusquam isto in Libro, nec alibi, Defectionis Judæorum ab hoc Amosi, nec ipsius Amoseos meminit, inspexisse videtur, sed tantum verba Josephi satis oscitanter respexisse, qui *lib.* I. *contra Ap. p.* 1047. illud modo tradidit, designari ab Herodoto Judæos, ubi agit de Gentibus, quæ circumciduntur. Ait enim, *neque Herodotum ignorasse Judæorum gentem*, *sed Aliquo Modo meminisse eorum*, *quia de Colchis in lib.* II. *scribens ita loquatur*, *Phœnices autem & Syri in Palæstina*, *fatentur etiam ipsi*, *ab Aegyptiis se* circumcisionem *didicisse:* subjicit jam his Herodoti verbis denuo Josephus, *Ergo dixit Syros in Palæstina* habitantes *circumcidi. Eorum autem*, *qui Palæstinam incolunt*, *soli id faciunt Judæi. Hoc igitur sciens*, *de iis hæc dixit*. Manifestum hinc, & vel maxime ex illo, τρόπῳ τινὶ, *Aliquo Modo*, Africanum ante oculos habuisse hunc Josephi locum; satis licet negligenter inspectum, quum neque Josephus, neque Herodotus, *Assyrios*, quos ille ab Abrahamo arcessit, sed *Syros*, Palæstinæ memorent. At *defectionem Judæorum* & hunc *Amosin* de suo addidit Africanus, quum nusquam Herodotus ullum de iis verbum fecerit.

Ve-

Verum ut tandem ad *Pastores* redeamus, quum neque Herodotus neque Diodorus de illis quidquam referant, aut sibi ab Sacerdotibus expositum narrent, videtur sane Manetho Historiam eorum suum ad arbitrium primus concinnasse, falsis & fabulosis circumstantiis adulteratam, ut ita Judæorum antiquitatem, & res ab eorum majoribus in Aegypto gestas, apud Regem suum, Ptol. Philadelphum, Judæis plus, quam ipse vellet, faventem, sicuti & Pater ejus fecerat, penitus obscuraret & exstingueret. Ex eo certo uno sua habent Josephus, Africanus, Eusebius, aliique Patres. Quapropter quum ejus unius fide nitantur ea, quæ de *Pastoribus* accepimus tradita, atque adeo etiam illa, quæ in iis ab Israëlitarum Pastorum Historia Mosaica discrepant, miror sane tantum ponderis hæc habuisse apud Doctissimos hujus temporis Scriptores & Chronologos, ut in Pastorum Historia Israëlitas illos agnoscere noluerint. Nonnullæ, fateor, circumstantiæ adduntur a Manethone, quæ in Israëlitas non satis conveniunt. Sed cui id nec opinum adeo accidere potest, qui animum Manethonis ab Judæis alienissimum non ignorat? Deinde vero in hisce antiquissimis temporibus, quorum res per incertissimam traditionem fuerunt

 ser-

servatæ, nihil mirum, si eadem in re discrepent, nec mala fide, diversarum Gentium Scriptores, quum & in Historia jam certiore & seriore, Scriptores, etiam unius Gentis, in diversissima abiisse crebro deprehendantur. Denique spectanda in hujusmodi comparatione vel maxime summa rerum, quæ in antiquis adeo Historiis, si congruit apud varios diversarum Gentium Scriptores, tum vero circumstantiarum quarundam non adeo magna habenda est ratio. Consideremus hic ea, quæ Justinus XXXVI. 2. de Abrahamo, Israële, Juda, Josepho, Mose, Aarone, nobis narrat. Nullus ferme in his est, cui describendo falsæ non addantur circumstantiæ. Hujus certe generis sunt, quæ de Abrahamo dicuntur, fuisse Eum *Regem Damasci*, quod ipsum & longe disertius affirmat, & pluribus narrat, etiam Nicolaus, Damascenus ipse, apud Josephum *Antiq.* I. 8. *Regnasse Abrahamum Damasci, advenam, qui eo venerit cum Exercitu ex Chaldæa, at vero non longo tempore post etiam ex Damascena regione cum suo Populo abiisse in Cananæam, quæ nunc Judæa dicitur. Abrahami vero nomen etiam nunc in Damascena celebrari, & ostendi istic vicum ab eo, Abrahami habitatio, dictum.* Quid jam? Nonne falsa sunt, quæ de Abrahamo istic tradun-

duntur, tanquam Rege Damasci, & quod (σὺν ϛρατῷ) *cum exercitu* venerit & occupaverit Damascum & dein Cananæam? Nemo id, opinor, negaverit. An ergo de alio illi Abrahamo loquuntur, quam de Eo, qui Gentis Iſraëliticæ fuit progenitor? Neque id haud facile quisquam dixerit. Quapropter ſicuti hoc, quod falſa & longe majora vero iſtic de Abrahamo referuntur, non impedit, quo minus de eo tamen illa accipiantur dicta, ſic neque obſtare debebat nobis, quo minus de Iſraëlitis in Aegypto intelligantur, quæ Manetho de Paſtoribus, quales revera erant Iſraëlitæ, memoriæ prodidit, licet falſa quædam, & vero itidem longe majora, iis aſperſerit. Si illi ex una Abrahami familia ſatis tenui, & ex uno Patrefamilias, qui in Cananæa vixit, tanquam peregrinus, fecerunt Regem iſtius terræ, cum exercitu in ea conſidentem, tum vero nihil mirum eſt, Manethonem quoque ex Iſraëlis familia ſatis jam ampla, & ad quam pertinebat potentiſſimus tunc in Aegypto Joſephus, feciſſe exercitum Paſtorum, qui aliquandiu regnaverint in Aegypto. Prætermitto jam, quæ de *Iſraële*, tanquam *Abrahami Filio*, & *Decem Filiorum*, quibus in Regna Decem diviſerit ſuum populum, Patre; quæ de *Mo-*

 ſe,

ſe, tanquam *Filio Joſephi*, & *Patre Aaronis*, & qui *Sabbathum Septimo quoque die* ad ſervandam *Jejunii Septem dierum* memoriam inſtituerit, ac *jejunio ſacraverit*, tradidit Juſtinus. Prætermitto etiam, quæ de *Moſe* cum Artapanus apud Euſebium *Præpar. Euangel.* IX. 27. tum Joſephus II. 5. tradunt, & Ille quidem fuiſſe eum a *Merrhi*, Filia Pharaonis, ſeu Regis Aegyptii, *Palmanothæ*, & uxore *Chenephræ* Regis itidem Aegyptii ſupra Memphin, Hic vero, a *Thermuthi* Filia & Herede Regis, qui Iſraëlitas afflixit, educatum adoptatumque, ac dein miſſum ad bellum cum Aethiopibus gerendum, quos vicerit, ſed quorum Regis Filia, *Tharbis*, ejus amore capta, clam de nuptiis ſecum faciundis cum ipſo egerit, qui & pactus proditionem Urbis, quæ obſidebatur, conditionem acceperit, & matrimonium cum ea inierit. Falſa enimvero hæc ſunt, nec congruunt cum Hiſtoria ab ipſo Moſe nobis relicta, & tamen vere eſt Moſes, ille Iſraëliticæ Reip. conditor, de quo loquuntur; id quod ex reliquis, quæ de Eo ab illis referuntur, ſatis patet.

At nos videamus nunc, quam pulchre tamen hæc ipſa *Paſtorum* Hiſtoria, ut a Manethone exponitur, in ſumma rerum cum *Iſraëlitica* conveniat. Paſtores illi,

ut

ut ait Manetho apud Josephum *lib.* I. *contra Ap. pag.* 1039. venerunt in Aegyptum ex regionibus, πρὸς ἀνατολὴν, *ad Orientem* Aegypti sitis. Inde vero venerunt & intrarunt Aegyptum quoque Israëlitæ, qui terrestri itinere non aliter, quam *ab Oriente*, per angustias terræ inter Mediterraneum & Rubrum mare sitas, Aegyptum adire potuerunt. Dicuntur illi porro ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι, *Homines genere ignobiles* & obscuri. Tales certe fuerunt tunc Israël & Filii ejus, quippe qui tanquam *peregrini & inquilini* in Palæstina inter Cananæos habitabant. Hinc Stephanus in *Actis Ap.* VII. 5. *Nec dedit* Deus Abrahamo *Hereditatem in ea, ne vestigium quidem pedis.* Atque ideo, quum mortua esset Sara, Abrahamus emere debuit sibi & suis Sepulchrum, quod quum faceret, dixit Chittæis, *Genes.* XXIII. 4. *Peregrinus & Inquilinus sum apud vos, date mihi possessionem sepulchri apud vos, ut sepeliam mortuum meum.* Tantum ergo propriæ sibi terræ istic non habuit, in qua sepeliret suos mortuos. Quin & Jacobus, quum Sichemitas occidissent Filii ejus, increpat eos, *Genes.* XXXIV. 30. ut qui *se perturbaverint, & fecerint, ut fœteret ipse apud regionis istius incolas*, quippe a quibus ideo metuebat, ne occideretur, & penitus *cum sua familia ex-*

scin-

scinderetur. Vere ergo & illi in terra suæ peregrinationis erant *ἄσημοι τὸ γένος*, *obscuri & ignobiles*. Ceterum *Pastores* appellantur a Manethone ignobiles isti, qui ab Oriente in Aegyptum venerunt. At vero hoc ipsum se & majores suos fuisse diserte Pharaoni declarant Israëlis Filii, ab Josepho moniti, *Genes.* XLVI. 34. *Homines Pastores sunt servi tui ab adolescentia nostra, tum Nos, tum Majores nostri.* Adde XLVII. 3. Sed & ideo acceperunt terram Gosenis, quam incolerent, quia pascendis pecoribus erat maxime idonea, XLVII. 4. 6. 11. Dicuntur porro illi Pastores *ῥαδίως, ἀμαχητὶ*, *facile, sine pugna*, obtinuisse Aegyptum, haud dubie, quia Josephus ultro ab Rege supremam, seu Regi proximam, accepit potestatem in Aegyptum, adeo ut præcones ante eum in curru sedentem incederent, ac denunciarent quibusvis obviis, ut flecterent genua ad eum honorandum, quia *Rex eum præfecerit omni Aegypto*, Vide Genes. XLI. 40. 41. 42. 43. 44. & quæ Nos *Cap. seq.* insuper de hac re dicemus. Primus quoque Pastorum Rex perhibetur *omnem Aegyptum ad tributum pendendum adegisse*, *τήν τε ἄνω καὶ κάτω χώραν δασμολογῶν*. Fecit hoc certe Josephus, qui, frumento præbito, emit Regi omnes privatorum agros, ac dein restituit eos il-

lis,

lis, ſed hac lege, ut *quintam partem fructuum Regi præſtarent*, quod ſemper dein obſervatum dicitur *Geneſ.* XLVII. 20.... 26. Sed & quod ibidem §. 21. Joſephus *populum* dicitur *tranſtuliſſe in Urbes*, h. e. certæ & conſtantis habitationis loca, *ab extremis terminis Aegypti usque in alios fines*, illud ipſum potuit occaſionem dediſſe Manethoni, ut oppreſſos traderet & durius habitos a Paſtoribus Aegyptios. Similiter plagæ Aegyptiis ab Deo per Moſen immiſſæ, dum perierunt primogeniti omnes, dum omnis aqua per Aegyptum in ſanguinem fœtidum, in quo pisces moriebantur, redacta, dum ranis, pediculis, locuſtis, dum ulceribus, & grandine atque igne infeſtati homines & terra Aegypti, tot inquam plagæ fecerunt, ut male apud Aegyptios audiverint dein Paſtores, h. e. Iſraëlitæ, tanquam qui ſævierint in Homines & Urbes Aegypti, *ac ſtuduerint delere radicem Aegypti*, h. e. gentem radicitus exſtinguere. Adde jam his, quod Iſraëlitæ exeuntes dicuntur *ſpoliaſſe Aegyptios*, quod Deus dicitur *exercuiſſe Judicia in omnes Deos Aegyptiorum*, Exodi XII. 12. & 36. Inde enim ortum videri poteſt, quod Paſtores dicuntur diruiſſe templa Aegyptiorum, & ſimul in Deos ac Homines fuiſſe impii & injurii. Sed, quod omnium eſt præcipuum, di-


dicuntur Pastores, ex Aegypto ejecti, *per desertum in Syriam*, ac proprie in *Judæam* se contulisse, ubi Urbem exstruxerint, quam *Hierosolyma* vocaverint. In quos, quæso, id convenit, nisi in solos Israëlitas? Nam qui alii fuerunt, qui ex Aegypto venientes occuparint Judæam, seu Cananæam? Cavillatur & indecore prorsus verba captat Marshamus, quando *pag*. 309 [a]. disputat, Hierosolyma neque a Pastoribus neque ab Israëlitis fuisse condita, quum Urbs illa longe fuerit antiquior. Neque enim id quæritur, an vere Pastores condiderint Hierosolyma, sed an summa rerum, quas illis Manetho tribuit, & quod ex Aegypto profecti occuparint Judæam, in ullos alios rectius, immo ulla ratione in alios quosvis, conveniat, quam in Israëlitas. Diodorus quoque *lib*. XXXIV. & dein iterum ex Hecatæo Milesio *lib*. XL. de Judæorum Origine diserte prorsus agens, eosque ex Aegypto in Palæstinam inducens, ut *pag*. 389. ex Photio ostendimus, Mosen tradit itidem *condidisse Hierosolyma*. Si hoc, quamvis falsum, de Mose & Judæis dixerunt Diodorus & Hecatæus, quid ergo obstat, quo minus id de Pastoribus quoque dictum a Manethone, conferri a nobis per interpretationem possit in Israëlitas?

Certe

[a] *Pag*. 324. *E. L.*

Certe non ſequitur ex eo, Iſraëlitas non poſſe iſtic intelligi, non magis, quam verum Moſen non poſſe intelligi apud Diodorum. Porro autem Paſtores illi, qui ex Aegypto venientes occupaſſe dicuntur Judæam, ſi non fuerunt Iſraëlitæ, nec conſederunt in Judæa, quo ergo devenerunt? ubi hæſit & conſedit tot millium, immo myriadum, numerus? Ipſe Marshamus *pag.* 310. fatetur ſe id neſcire. *Quo tandem profecti ſint Paſtores*, ait, *aut quibus in locis ſedes poſuerint, incertum eſt.* Nec inveſtigare poteſt quidquam, niſi forte ab iis orti ſint, ut addit, Arabægyptii, quos Ptolemæus ad ſinus Arabici littora collocet. Quanta hæc eſt præjudicii contra manifeſtam ſatis veritatem obnitentis pervicacia? Mavult ex Paſtoribus facere incertiſſimæ primum originis, ac incertiſſimæ dein ſedis vel terræ, Populum, & negare eos Cananæam invaſiſſe, quod tamen præcipuum eſt ex omnibus, quæ de iis a Manethone, ex quo uno & ille & nos habemus hanc Paſtorum memoriam, traduntur, quam agnoſcere Paſtores fuiſſe Iſraëlitas, quo pacto ſublata foret omnis hæc difficultas. Uſſerius ad Annum Mundi 2179. ex hiſce Paſtoribus facit *Phœnices*, qui jamdudum ante natum Abrahamum venerint in Aegyptum, & dein, vivente adhuc Abrahamo, exierint in Cana-

na-



nanæam, scil. quia Herodotus & nonnulli alii Phœnices dicunt a Mari Rubro venisse, & consedisse in maritimis Syriæ. Leve enimvero argumentum, si maxime verum esset, Phœnices ab Rubro mari venisse in Syriam. Nam an inde sequitur, eos venisse ex Aegypto, & tenuisse tam diu Aegyptum? quod solum in quæstione est, & quod tamen nemo unquam tradidit. Dein qui ex Aegypto venerunt, consederunt Hierosolymis & in reliqua Judæa: at Phœnices, quorum origo ab Rubro mari repetitur, diversi plane fuerunt ab Hierosolymitanis, & sederunt in maritimis juxta Tyrum. Denique falsum id esse, vel certe incertissimum, quod de Phœnicibus ab Rubro mari primum profectis tradiderunt Græci, docte, ut solet, ostendit Bochartus in *Canaane lib.* 1. *cap.* 43. quum Phœnices fuerint origine sua Cananæi, atque adeo primi istius terræ incolæ statim post dispersionem hominum. Sed & erravit Usserius simul in assignando Pastoribus tempore tam antiquo, quod utique nondum erat idoneum tantis rebus gerendis, & tam numeroso quidem utrimque cum exercitu, quem Pastores habuerint 240000. Hominum, at Aegyptii contra eos profecti 480000: ac simul in tempore nimis brevi illis tribuendo, annorum

scil.

ſcil. 260. ac Regum tantum Sex, quibus proximos dat Succeſſores Reges Dynaſtiæ XVIII. quum Manetho & Joſephus illorum Regno in Aegypto adſcribant annos 511. & præter illos Sex primos Reges, alios multos ex iis ortos, ante Dynaſtiam XVIII. exſtitiſſe tradant. Vide, quæ ſupra *pag.* 376. &c. jam diximus.

Sed ut redeamus ad probandum, *Paſtores* fuiſſe Iſraëlitas, obſervanda omnino ſuperſunt duo, *Tempus*, quo fuerunt Paſtores in Aegypto, & *Locus*, ubi iſtic habitaverunt, quippe quæ videbimus itidem in Iſraëlitas ſic ſatis congruere. Certe Marshamus & Pezronius, qui pariter *Paſtores* & *Iſraëlitas* diverſos fuiſſe contendunt, adeo palam tamen eos ſimul in Aegypto vixiſſe putant, ut Ille quidem Regem, qui primus afflixit Iſraëlitas, fuiſſe credat primum Regem Paſtorum, *Salatin*, licet dein Paſtores diu poſt Iſraëlitas, immo poſt Trojam captam, demum ex Aegypto ejectos ſtatuat; Abbas vero Pezronius, utroſque ab eodem Rege, *Alisphragmuthoſi*, Amoſeos Patre, ejectos ex Aegypto affirmet, eumque, poſtquam viciſſet jam Paſtores, afflixiſſe dein etiam Iſraëlitas, atque adeo eſſe illum ipſum, qui hosce perſequens in Mari Rubro perierit. Adeo in idem plane tempus conjiciunt illi *Paſtorum* Manetho-

 nis

nis & *Israëlitarum* habitationem in Aegypto, unde illos insuper Manetho, ex quo solo eos novimus, in Cananæam & Hierosolymam abiisse tradit, æque ac Israëlitas eam regionem & Urbem occupasse, ex S. Scriptura exploratum habemus. Jam vero *Locum* & Terram habitationis utrorumque in Aegypto si investigemus, videbimus & illum convenire. Etenim Pastores Manethonis *Tanitæ* dicuntur a Syncello *pag.* 103. Eos enim successisse ait Conchari Regi XXV. Nominat autem dein in sua *Serie* Successores ejus illos ipsos, qui *Pastores* apud Manethonem dicuntur. Jam vero Psalmo LXXVIII. 12. Deus dicitur *coram majoribus* Israëlitarum *fecisse miracula in Aegypto in agro Tzoan*, h. e. Taneos: & ibid. §. 43. *edidisse signa in Aegypto, & prodigia in agro Tzoan.* Pars ergo Aegypti, quam inhabitarunt Israëlitæ, fuit *campus Taneos*, siquidem istic *in eorum conspectu* miracula a Deo sunt edita. Ejus autem campi & Urbis proprii dicuntur Reges fuisse illi Pastores, *Tanitæ* ideo dicti. Potissimum autem *Terra Gosen* in S. Script. vocatur ea, in qua consederunt Israëlitæ. Hæc autem fuit versus Arabiam, aut in Nomo Arabiæ, qui est in finibus Aegypti apud fluvium Bubastum, siquidem Græci Interpretes, qui in Aegypto verterunt S. Scripturam, ter-

ram

ram Gosen *Arabiæ* adscribunt, *Genes.* XLV. 10. & XLVI. 34. ἐν γῇ Γεσὲμ Ἀραβίας, *in terra Gosen Arabiæ*, ut observavit jam Cellarius. Istic autem erat etiam Urbs Sethron, unde *Sethroites Nomus*, Arabiæ Nomo proximus. In quo *Sethroite Nomo* Africanus apud Syncellum *pag.* 61. ex Manethone dicit Pastores condidisse Urbem, *ex qua progressi Aegyptum obtinuerint.* Sed & dicuntur illi *Memphim occupasse* apud Josephum & Africanum, quousque etiam, sed ab altera, h. e. Orientali, parte Nili, se extendisse ab Sethroite & Tanitico Nomo videtur tunc terra Gosen. Certe credibile est prorsus, Israëlitas, quum jam in numerum excrevissent amplissimum, amplum quoque terræ spatium, ab regione Taneos usque ad Memphin, sed cis Nilum, insedisse, quæ ipsæ regiones & Urbes Pastoribus tribuuntur. Quod si nunc hæc omnia in compendium & brevissimam redigamus summam, videbimus eandem utrinque in præcipuis rerum Capitibus esse Historiam. *Pastores* illi appellantur à Manethone; Israëlitæ se profitentur *Pastores*, & unum hoc vitæ genus ab ineunte ætate coluisse. Venerunt illi *ab Oriente* in Aegyptum; venerunt inde & Israëlitæ. Erant illi *ignobiles & obscuri genere*; at Israëlitæ *peregrini* erant, atque adeo vix ullo

dignitatis aut nobilitatis loco inter Cananæos. Consederunt illi *in inferiore Aegypto*; consederunt istic & Hi. Fuerunt porro pariter *eodem tempore* in Aegypto, & sub *eodem Rege exiisse* inde, apud diversos repeeriuntur Scriptores. Denique utrique *Cananæam & Hierosolymam occupasse* traduntur. Quid dari, quæso, potest a diversis & diversarum Gentium profectum Auctoribus, quod certiora habeat unius ejusdemque Historiæ vestigia?

CAP. XX.

Discrepantia quarundam circumstantiarum, a Marshamo opposita, removetur & explicatur. Israëlitæ habitarunt in Aegypto annis 430. Terra aliena *Israëlitis est alia, quam Cananæa, quæ* Sua *ipsorum in S. Scriptura dicitur. Jochebed Mater Mosis non videtur fuisse* Filia *ipsius* Levi. *Locus* Numerorum XXVI. 59. *exponitur.* את *apud Hebræos etiam tanquam Signum* Nominativi *post Neutra & Absoluta Verba ponitur. Construitur sæpe*

cum

cum אשר. *Verbum* ילד *etiam absoluto sensu adhibetur sine ulla ad Accusativum certum relatione. In Genealogiis multi plerumque Homines omittuntur. Parum probabile, solos Illustres Viros Mosaici temporis fuisse beneficii multiplicationis prorsus expertes.* Amram, *Pater Mosis, vix videtur fuisse proximus* Kehathi Filius. *Voces* Filius *&* Nepos *promiscue adhibentur, quod ex his Genealogiis videtur ortum. Genealogia majorum Davidis.* Generationes quatuor *a Filiis Jacobi usque ad Exitum ex Aegypto apud Mosen videntur respicere quatuor sæcula, seu quadringentos annos. Versio Græcorum* Exod. XII. *refellitur. Origo* Pastorum *in Aegypto non potest referri ad Abrahamum aut Cananæos illius temporis. Reliquæ objectiones Marshami depelluntur. Aegyptii & Manetho corruperunt veram Israëlitarum Historiam. Re-*

 gis

Magis & Aegyptiorum interitus in Mari Rubro aeque in Leprosorum, ac in Pastorum, Historia a Manethone dissimulatur. Leprosorum Fabula denuo refutatur. Assyrii nondum potentes fuerunt tempore Mosis aut Pastorum. Israëlitæ exiisse videntur proxime ante Regnum Amosis. Primi Reges Pastorum fuerunt forsan illi Reges Aegyptii, qui Josepho & Israëlitis faverunt. Incuria Syncelli & Eusebii. Josephus an floruerit sub Aphophe, *quod ait Syncellus, incertum.*

Sed tamen multum differentiæ e contrario opponit nobis Marshamus *pag.* 100. & 101 [a]. Nimirum, Israëlitæ in Aegyptum venientes fuerunt *una familia* LXX. *Virorum*. Pastores autem *cum exercitu* 240000. At vero venisse illos in Aegyptum cum tanto exercitu, non dicitur a Manethone, sed tantum, illos obscuros homines sumpta audacia occupasse Aegyptum, atque ita tandem sibi constituisse Regem,

[a] *Pag.* 103. *E. L.*

gem, tum vero ab Oriente Aegypti exstruxisse & munivisse Urbem *Abarin*, inque ea consedisse, & collocasse suos homines usque ad 240000. Vide Josephum *lib*. 1. *contra Apion. pag*. 1039. & 1040. Numerus ergo iste Pastorum non fuisse ab initio tantus videtur, sed postea demum; unde & idem plane etiam in exeundo illis ab eodem Josepho tribuitur. Deinde vero non sequitur, si Manetho quibusdam in circumstantiis suorum Pastorum Historiam aliter, quam Israëlitica se habet, exposuit, seu adulteravit & amplificavit, non debere ergo nec posse eam ad Israëlitas referri. Nam si ita colligendum foret, tum neque Abrahamus Israëlitarum progenitor apud Nicol. Damascenum ac Justinum esset intelligendus, quando *cum exercitu venisse*, & *Regnum Damasci, & Cananaeae, obtinuisse* traditur, qui solus utique, cum Uxore & Fratris Filio, paucisque servis tantum, venit in Cananaeam. Sed sicuti haec nihil obstant, ut superiori in *Capite* jam docuimus, quo minus Abrahamus ille istic tamen vere fuerit designatus, sic neque ista rerum ἄυξησις excludit ex hac Pastorum Historia Pastores Israëlitas. Deinde *Israëlitae*, ait Marshamus, *manserunt in terra Gosen, at Pastores diripuerunt Memphin*: quod neque ipsum tamen apud Josephum
 legi-

legitur. Sed & Israëlitæ suis plagis, a Deo immissis, Memphin haud dubie potissimum obnoxiam habuerunt. Videtur enim omnino ultimus ille Rex, cum quo res ipsis tunc fuit, Memphi habitasse, si rationem itineris eorum per mare Rubrum spectemus, quippe quod ex terris juxta Memphim, sed ab altera parte Nili sitis, prorsus videtur cœptum.

Pergit. *Israëlitæ redierunt post annos 215. at Pastores nonnisi post annos 511.* Ego vero nullus dubito, quin Israëlitæ in Aegypto egerint annis 430. sicuti diserte hoc traditur *Exodi* XII. 40. 41. *Habitatio Filiorum Israël, qua habitarunt in Aegypto, triginta & quadringentorum annorum fuit.* Confirmatur hoc ipsum ex aliis etiam Veteris & N. Testamenti locis, ac pluribus adstruitur a Viro Illustri, Gerh. Joh. Vossio, in *Isagoge Chronol. Dissert.* VII. ut & Nicol. Abramo, *Phari lib.* IX. Satis enimvero illi probarunt, distingui in omnibus his locis Terram Aegypti, ut *Alienam* Abrahamo & ejus Semini, a Cananæa, ut *Sua* & *Propria* illis. Et ideo Jacobus quoque, ut de meo hæc addam, *Genes.* XXX. 25. Cananæam terram diserte dicit *locum Suum, regionem Suam*, rogitans Labanem Socerum, *ut dimitteret se, quo abire posset in locum suum, & regionem suam.* Sed & XXXI.

3.

3. Deus dicitur Jacobo edixiſſe, ut ex Meſopotamia *reverteretur in terram Patrum ſuorum*. Denique Joſephus in Aegypto *Geneſ.* XL. 15. ſurreptum ſe queritur *ex terra Hebræorum*. Immo plane, ſicuti *Geneſ.* XV. 13. ארץ לא להם *terra non ipſorum*, opponitur terræ Cananææ, ſic *Jerem.* V. 19. opponuntur ארצכם *terra veſtra*, h. e. Cananæa, & ארץ לא לכם *terra non veſtra*. Liquet ex his *terram Alienam*, in qua *afflicti* dicuntur Iſraëlitæ *per annos quadringentos*, de ſola Aegypto eſſe intelligendam, *Gen.* XV. 13. & *Actor.* VII. 6. non item de Cananæa, quæ ſecundum certiſſimam Dei promiſſionem *Sua* jam Abrahamo & Semini ejus cenſebatur ac dicebatur. Id quod tanto certius eſt, quoniam etiam opponitur ibi identidem *Terra* iſta *Aliena Huic Terræ*, in qua tum erat Abraham, & quæ erat Cananæa, *Gen.* XV. 16. 18. & *Actor.* VII. 7. Liquido etiam oſtenderunt Viri Eximii, locum Pauli ad *Galatas* III. 16. 17. qui opponi ſolet, non reſtringendum omnino ad ſolum Abrahamum, ſed commode ſatis ad totum Tempus, ſeu Periodum, Promiſſionis referri poſſe, ſiquidem cœpit illa quidem ab Abrahamo, qui idcirco ſolus iſtic, tanquam præcipuus, nominatur, ſed duravit tamen

 usque

usque ad Jacobum, ad quem sæpius & diserte prorsus repetita & confirmata fuit. Sensus ergo Pauli est, Promissiones Dei non factas esse irritas per Legem, quæ 430. annis post Promissiones illas adhuc durantes & continuatas, seu post finitam jam Promissionum Periodum, fuerit lata. Certe locus iste longe facilius hanc patitur interpretationem, quam simplicissimus ille *Exodi*, tum *Geneseos* & *Actorum*, alium admittunt sensum præter eum, quem unicum verba manifestum in modum Lectoribus ingerunt. Semper autem id spectandum curandumque est in Locis, qui sibi videntur contrarii, ut consideremus diligenter, cujus Loci verba commodius aliam recipiant interpretationem, quam prima specie videtur faciendum.

At maxima superest difficultas in Genealogiis, de quibus etiam abunde egerunt Viri Doctissimi, multisque docuerunt exemplis, non omnes semper Homines in iis exprimi, sed tantum celebriores, & sæpe ex singulis sæculis tantummodo unum, quæ non repetemus. Sed quia non egerunt de Mosis matre, quæ *Filia* creditur ipsius *Levi* fuisse, de ea aliquid nobis dicendum, ne videatur prorsus ignorata, & ideo neglecta ac prætermissa. Dicitur de illa *Numeror*. XXVI. 59. *Et Nomen Uxoris*

ris Amrami fuit Jachebed, Filia Levi, אֲשֶׁר יָלְדָה אֹתָהּ לְלֵוִי *in Aegypto, & peperit Amramo Aaronem, & Mosem, & Mariam sororem eorum.* Vertunt Junius, ut & Belgæ, tum Usserius, Clericus, Aliique, Hebraica illa, *quam peperit Uxor Levi*, addita voce *Uxor*; quæ in Hebraicis illis non comparet, & ideo non Mosi, sed Interpretibus, est adscribenda. LXX. pro אֹתָהּ legisse videntur אֹתָם/ siquidem ita hæc exhibent, ἣ ἔτεκε τούτους τῷ Λευὶ, *quæ peperit Illos Levi*, illos scil. qui sequuntur, Aaronem & Mosen. Sed & hoc aliquid duri valde habet. Quapropter videamus nos, an sine mutatione ulla, aut longe adeo petita Ellipsi Vocabuli, quod per Ellipsin hic omitti non poterat, nec debebat, commodum satis, & verbis congruentem elicere sensum possimus. Notissimum est, voculam את/ sicuti post verbum Activum nota est Accusativi, ita post Passivum & Neutrum, immo & post Substantivum, designare Nominativum. De Passivo quam plurima in promptu sunt exempla. At post Neutrum reperimus 2. *Sam.* XI. 25. אַל יֵרַע בְּעֵינֶיךָ אֶת הַדָּבָר הַזֶּה *ne mala habeatur hæc res tuo judicio Nehem.* IX. 32. אַל יִמְעַט לְפָנֶיךָ אֵת כָּל הַתְּלָאָה *ne exigua res ha-*

habeatur tibi omnis defatigatio. Post Verbum Substantivum, sed per Ellipsim solitam omissum, *Josuæ* XXII. 17. המעט לנו את עון פעור *an exiguum nobis est peccatum Peor.* Certum etiam est, per Pleonasmum emphaticum sæpe conjungi in unum sensum voculas אשר & אות cum affixis. Sic plane *Genes.* XLV. 4. *Ego sum Josephus, Frater vester,* אשר מכרתם אתי מצרימה *quem vendidistis ipsum me in Aegyptum.* *Exodi* XXXV. 21. כל אשר נדבה רוחו אותו *omnis, quem movit ipsum animus suus.* Et v. 29. אשר נדב לבם אותם *quos ipsos suum cor movit.* Sicuti ergo in istis אשר אותו / אשר אותי / אשר אותם conjuncta habemus unam in constructionem, ita hic אשר אותה *quæ ipsa.* Sensus ergo est, *Jochebed, Filia Levi, quæ ipsa peperit* posteros τῷ *Levi*, seu *Leviticæ tribui, in Aegypto: Peperit autem Amramo*, marito suo, *Aaronem & Mosen* &c. Verbum autem ילד *Genuit*, vel *Peperit*, sumitur in his primum absoluto & indefinito sensu, tanquam Verbum Neutrum, pro, Prægnantem & Fecundam esse alicui, *Liberos vel Posteros alicui edere*, & sic ejus familiam propagare; at dein definito & relato ad certos Filios, quos Uxor Marito suo *parit.* Sic absoluto illo sensu etiam *Jerem.* XXX. 6.

vide-

videte, considerate, אם ילד זכר / *an masculus edat liberos*. Sic in Hiphil הוליד non tantum *gignere* Filium notat, quod facit Pater, sed etiam absoluto sensu, sine relatione ad certum Filium, *Facere ut quæ Femina liberos pariat, reddere fecundam* vel *prægnantem*; quod ad Terram transtulit Fructus edentem *Esaias* LV. 10. *Pluvia* הולידה *facit ut illa* (terra) *fructum ferat, facit illam fertilem*. In hunc vero sensum Neutrum seu Absolutum, si illum quoque de Jochebeda locum exponamus, ut fert sic satis Linguæ analogia, tunc neutiquam erit opus, ut in tanto temporis spatio ex Levi ipso proximos Nepotes vixisse, aut Jochebedam fuisse simul matrem Mosis, & proximam ipsius Levi Filiam, statuamus. Satis enim est, si statuatur Levitica, seu ex posteris Levi, quam stirpem illa suo partu tam illustrium Hominum gloriose propagarit. Certe *Filia* ipsius *Levi* vix potuit fuisse, si maxime credantur Israëlitæ tantum 215. annos in Aegypto egisse, nisi affirmare velimus, ipsam anno circiter sexagesimo ætatis suæ peperisse Mosen, & ipsum Levi genuisse illam annis fere octoginta post adventum suum in Aegyptum, in quam tamen venit jam dudum adultus, & jam dudum Pater. Etenim bis octoginta (nam

&

& Moses octoginta jam habuit annos, quando Israëlitæ exierunt ex Aegypto) faciunt centum & sexaginta. Hinc jam supersunt anni quinque & quinquaginta, ut expleatur numerus 215. atque adeo tot omnino anni tribuendi forent Jochebedæ, antequam peperisset Mosen.

Sed & multos revera Homines deesse in his Genealogiis illustrium Virorum, vel ex eo liquet, quod neutiquam tanta paucitas Hominum & Generationum conveniat maximæ illi multiplicationi Israëlitarum in Aegypto, quæ tamen pro beneficio summo a Deo semper promissa & præstita commemoratur. Nec enim probabile est, illos, quos Deus ex reliquis Israëlitis quasi præcipuos habuit, suamque in tutelam peculiariter recepit, isthoc in beneficio prorsus fuisse præteritos aut neglectos, certe reliquis posthabitos, seu raras adeo istic potissimum generationes exstitisse, ac paucos adeo homines, dum reliqui Israëlitæ immanem in modum fuerunt Dei beneficio multiplicati, & ita, ut quamplurimæ in iis generationes, ac maximus Hominum numerus, exstitisse deprehendantur. Sumamus ipsam Mosis familiam, inter quem & Levi duæ tantum Generationes reperiuntur interjectæ, Kehathi & Amrami. Amramum porro Filios tantum duos

duos habuisse legimus, Aaronem & Mosen. Hos ipsos itidem tantum duos, per quos familia eorum fuerit propagata, siquidem duo majores natu Filii Aharonis, Nadab scil. & Abihu, perierunt sine liberis ex se relictis, ut diserte dicitur *Numer.* III. 4. Sic vero *familia Amrami*, quæ memoratur *Numer.* III. 27. si vere proximus Kehathi Filius fuit Pater Mosis, constitisset tantum in sex adultis Viris, illo tempore, quo Levitæ, & in iis Kehathitæ quoque, sunt numerati, ac in his Kehathitis, ut de aliis taceam, reperti sunt Mares unum mensem nati, & supra illam ætatem, 8600: Mares autem adulti supra XX. & infra L. annos, 2750. Jam vero quid in eo verisimilitudinis, tres reliquas Kehathitarum familias in tantam excrevisse multitudinem, æque ac omnes fere ceterorum Israëlitarum; solam Amramæam, ex qua tamen Deus sibi elegit Ducem & Legislatorem Israëlitarum, vel suarum Legum apud eos & Edictorum promulgatorem ac Interpretem, & cui Familiæ uni Deus decrevit Pontificatum maximum, illam ergo Familiam fuisse e contrario adeo sterilem, atque illius beneficii, quod in multa sobole consistebat, prorsus expertem? Quapropter, omnibus consideratis, crediderim ferme, diversos fuisse in una Keha-
thita-

thitarum familia, *Amramos*, scil. Filium Kehathi, unde *familia Amramæa*, & Patrem Mosis; vel istam Familiam postea ab *Amramo* hoc Mosis Patre, tanquam longe præcipuo ejus Familiæ Homine, suum nomen accepisse, licet multi in ea essent non ab ipso, sed ab ejus Fratribus, Patruis &c. orti. Certe vix dubitandum videtur, quin inter Kehathum & Patrem Mosis plures intercesserint Generationes. Dicunt, Mosen haud dubie scivisse suos ipsius Majores, & eos præ aliis nominaturum fuisse omnes. At inane hoc est, quum liquido videamus sæpe in his Genealogiis omissos quosdam, licet Scriptores Sacri itidem ignorare illos non potuerint, nec magis, quam Moses, fuerint illos omissuri, si Deus illos voluisset nominari. Immo ex hac tam frequenti omissione ortum, ut sæpe *Filii* alicujus fuisse dicantur, qui fuerunt Nepotes ejus vel Pronepotes. Sic Laban Nachoris dicitur *Filius*, *Genes.* XXIX. 5. cujus fuit Nepos; Achan Zerachi *Josuæ* VII. 24. cujus fuit Pronepos; Belsazar Nebucadnezaris, *Daniel.* V. 22. cujus fuit Nepos; Ezras Serajæ a Nebucadnezare occisi, *Ezræ* VII. 1. cujus per ætatem Filius fuisse non potuit. Plura ejus generis reperiuntur apud Scriptores Sacros, non quod illi in his er-

raverint, aut aliter ſe rem habuiſſe ignoraverint, ſed quod per cauſam hanc Genealogiarum, in quibus ſæpe aliquot Homines omittebantur, *Filii* & *Nepotis* vocabula promiſcue tandem apud antiquos illos in Oriente Populos fuerint ſumpta.

Non poſſum, quin his addam Genealogiam majorum Davidis, in qua, ab occupatione Palæſtinæ ad Davidis natales (quod intervallum ex minima computatione eſt annorum 366. at ſecundum Petavium, multosque alios, quibus me ipſe adnumero, eſt aliquanto plurium annorum) nati itidem tres memorantur, Boaz, Obed, Jeſſe, ita ut Boaz ex Rachaba, Copa Hierichuntina (quæ ipſo illo anno, quo Palæſtina occupari cœpit ab Iſraelitis, jam copa fuit, & aſtuta, vel potius prudentiæ adultæ, femina) a Salmone fuerit genitus, ſed, ut fingit & obtrudit nobis Uſſerius, XLII. annis poſt captam Hierichuntem, atque adeo anno ætatis Rachabæ LXII. ſiquidem ei tempore Hierichuntis captæ tantum XX. ille annos tribuit: Boaz deinde, jam natus CII. annos, genuerit demum Obedum, Obedus vero CXI. ætatis anno genuerit Jeſſe. Hic vero eodem ætatis anno Davidem. Sic enim conficitur minima illa ſumma 366. annorum. At cui tandem

verisimile videbitur, quatuor ordine Homines, Salmonem, (nam & hic annos circiter centum natus fuisse debuit, quando ex plus quam sexagenaria genuit Filium) Boazum, Obedum, Jessen, plusquam centenarios genuisse demum, & illo quidem tempore, singulos suam prolem? Quanto verisimilius, in ista Generis illius Tabula præcipuos tantum nominatos, ex singulis ferme sæculis unum, atque adeo Boazum forsan non Salmonis, certe Jessen non Obedi, Filios proximos, sed Nepotes vel Pronepotes fuisse?

In Genealogiis porro Mosaicis, notabile est, quod identidem *quatuor* tantum *Generationes* memorentur, sine dubio ullo, quod *quatuor* istius intervalli ab adventu Israëlitarum in Aegyptum, usque ad eorum Exitum, fuerunt *Sæcula*. Manifestissime enim *Genes.* xv. 16. דור רביעי *ætas* vel *generatio quarta* Hominum de *quadringentis* illis *annis* §. 13. dicitur. Nec enim inde sequitur, quod voluit nuper Vir Doctissimus, & merito suo Celeberrimus, Genealogicas *Tabulas invicte demonstrare* vulgatam sententiam 215. annorum, quippe *ex quibus* Tabulis *liqueat*, *Pronepotes Filiorum Jacobi* (*Quartam Generationem Genes.* xv. 13.) *Aegyptum egressos*: quasi vellet Vir Clariss. omnes fere Israëlitas,

litas, qui exiere, fuiſſe tunc Pronepotes Filiorum Jacobi. At vero neutiquam reſpondet huic tam raræ generationi ingens ille numerus Iſraëlitarum ex Aegypto exeuntium, qui fuit 603550. Virorum ſupra xx. annos, ſed quibus inſuper addendi ſunt Levitarum 8580. Jam ſi XII. Filiis Jacobi eorumque poſteris per quatuor illas generationes tribuamus ſingulis XII. iterum Filios & totidem Filias, foret numerus ſecundæ Generationis 144. Marium, tertiæ generationis 1728. qui jam Nepotes Filiorum Jacobi, at quartæ, ſeu Pronepotum, numerus foret 20672. Quin immo ſi maxime quintam his addamus generationem Abnepotum, numerus exorietur 248064. qui numerus ne dimidiam quidem partem conficit numeri Iſraëlitarum & Levitarum, qui conjunctus eſt 612130. & Virorum quidem adultæ jam ætatis. Quis vero credet, aut affirmare audebit, omnes Iſraëlitas ſemper XII. habuiſſe Filios, per quos ipſorum genus fuerit propagatum. De Filiis ipſius Jacobi, ſeu Primæ Generationis Hominibus, ſatis conſtat aliter ſe rem habuiſſe, ſeu non habuiſſe eos tot Filios, ſicuti neque illi habuerunt, quorum Hiſtoriam vel Familiam novimus, quum reliquorum ignoremus. Sequitur, longe plures ergo generationes ſingulares inter Jacobi

Filios, & Israëlitas ex Aegypto egressos, intercessisse, sicuti tantæ multiplicationi conveniens erat. Sed & res manifesta ex majoribus Josuæ, inter quem & Ephraimum Josephi F. Generationes intercesserunt septem. Vide omnino Nic. Abramum *Phari lib.* IX. *cap.* 21. qui & *invicte demonstrat*, non posse hanc Genealogiam Josuæ in concordiam redigi cum illis 215. annis, sed requirere prorsus annos 430. At si non in Josua modo, sed & in reliquis Israëlitis, longe plures intercesserunt Generationes, tum vero credibile est omninò, etiam in Familiis ceterorum illustrium Hominum plures intercessisse, quam in earum Genealogiis memorantur, ne solæ videantur ad tristem illam & pene tunc infamem posteritatis paucitatem & sterilitatem a Deo damnatæ. Neutiquam ergo valere tantum apud nos debent Genealogicæ Tabulæ, ut propterea a tam disertis, liquidis, nec ambigui quidquam habentibus, verbis *Geneseos* & *Actorum*, & vel maxime verbis illis *Exodi* de annis 430. decedamus.

Multo minus id a nobis impetrare debet vetus Judæorum traditio, aut Græca versio, quæ pro Verbis, *Habitatio Filiorum Israël, qua*, vel *qui*, *habitarunt in Aegypto*, reddit nobis, ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν γῇ Αἰγύπ-

Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναάν, *Habitatio Filiorum Iſraël, qua habitarunt Ipſi & Patres eorum in terra Aegypto, & in terra Canaan.* At quis non videt, verba illa, *ipſi & Patres eorum*, ut &, *& in terra Canaan*, alieniſſima eſſe, ut ab Hebraico contextu, in quo non reperiuntur, ita ab ipſa phraſi *Filiorum Iſraël*, qua utique *Patres* Iſraëlis non continentur, ſed & ab opportunitate ipſa exponendi tantum iſtius temporis, quod Iſraëlitæ in Aegypto, unde tunc egrediebantur, exegerant, quodque iſtic diſerte exponi, omnium Hiſtoriarum more, vel maxime debebat, non item illius, quod Patres eorum in Canaane egerant, quippe quod ad hoc Hiſtoriæ momentum & opportunitatem nihil pertinebat. Satis ex eo patet, illa ergo ab Interpretibus cum Græcis, tum Samaritanis, ex ſchola vel gloſſa Judæorum, ac hypotheſeos præjudicio, hauſta & adſuta eſſe Hiſtoriæ Sacræ, præter conſenſum Hebraicæ Scripturæ ab ipſis Scriptoribus Sacris profectæ. Plura in hanc rem addi poſſent, ſed pleraque ab aliis jam dicta ſunt, atque ideo a me non repetentur. Sufficit meis argumentis confirmaſſe me illam ſententiam, quæ ſtatuit Iſraëlitas habitaſſe revera 430. annis in Aegypto, prout verbis quam maxime liquidis & certis ipſe Moſes nos docet.

Hæc autem annorum ſumma haud longe recedit ab illa annorum 511. quæ Paſtoribus in Aegypto tribuitur a Manethone. Nec enim hæc iſtius numeri discrepantia a Scriptoribus Hebræis in Aegyptio, & longe quidem ſeriore, qui inſuper id ſibi propoſitum habuit, ut durationem ſuæ Gentis etiam per hos ipſos Paſtores, in aliam ſpeciem deformatos, extenderet in longiſſima ultimæ antiquitatis tempora, turbare nos debet, aut ab utriusque Hiſtoriæ comparatione abducere. Sed & ſi maxime vulgatam quis de tempore, quod Iſraëlitæ egerunt in Aegypto, ſequi malit ſententiam, vel ſic tamen illa discrepantia numerorum apud Scriptorem ejusmodi non debet apud Nos tanti eſſe momenti, ut propterea manifeſtam adeo, totque aliis probatam argumentis, Comparationem Paſtorum & Iſraëlitarum rejiciamus. Hac tamen difficultate vel discrepantia, ut opinor, motus Nic. Abramus *Phari lib.* VIII. *cap.* II. adventum Paſtorum in Aegyptum refert ad ipſum Abrahamum, quando is propter famem in terra Cananæa graſſantem ſeceſſit in Aegyptum, *Geneſ.* XII. Et ſequitur eum Venerandus hujus Academiæ nuper Theologus, Herm. Witſius in *Aegyptiacis lib.* III. *cap.* 3. §. 6. & *ſeqq.* Sed nihil Ego reperio rationis idoneæ, quare

ex

ex illa Abrahami Hiſtoria Paſtorum Hiſtoriam & Fortunam in Aegypto exſculpi poſſe putem, quum utique Abrahamus tantum cum ſterili adhuc Uxore, & Lotho cognato, in Aegyptum abierit, & poſt paucos menſes inde iterum exierit; at Paſtores, ex quo ſemel ingreſſi dicuntur Aegyptum, iſtic manſerint, usque dum poſt aliquot ſæcula inde rurſus exierint, & Hieroſolyma ac terram Palæſtinam occuparint. Quod Joſephus infinitam pene multitudinem Cananæorum addit Abrahamo profectionis ſociam, quodque Artapanus apud Euſebium *Præpar. Euang. lib.* IX. *Cap.* 18. multos ex Cananæis, qui cum Abrahamo deſcenderint in Aegyptum, illo poſt XX. annos redeunte in Syriam, iſtic manſiſſe tradit, commenta ſunt Judæorum, qui itidem majorum ſuorum res ſupra verum & Hiſtoriæ Moſaicæ fidem extollere ſtuduerunt. Non equidem negaverim plane, quosdam etiam alios æque, ac Abrahamum, famis iſtius cauſa abiiſſe forſan ex Cananæa in Aegyptum, ſed ſingulares hi fuiſſent Homines, & in Aegyptum veniſſent, non ut iſtic manerent, ſed ut frumentum ſibi ab Aegyptiis peterent & quærerent. Verum nihil hæc ad Abrahamum pertinent, nec ullum eorum veſtigium in Hiſtoria Abrahami apud Moſen reperimus.

Neque vero congruunt hæc figmenta, ne cum Manethone quidem, quippe qui non duplicem, unam ſcil. Abrahami, alteram Jacobi, tempore, ſed ſimplicem & unicam Paſtorum in Aegyptum profectionem memorat, ut adeo inania prorſus ſint, quæ Viri Docti ex hoc iſtorum figmentorum fundamento, per meras inſuper conjecturas, exſtruere tentant, dum Paſtores Aegyptios cenſent Cananæos fuiſſe, qui cum Abrahamo in Aegyptum deſcenderint & ibi manſerint ac latrocinia exercuerint, atque adeo diverſos fuiſſe ab Iſraëlitis, ſed cum iis dein a Manethone confuſos.

Excutiamus jam reliqua diſcrepantiarum, quas Marshamus *pag.* 101 [a]. oppoſuit Paſtorum & Iſraëlitarum comparationi. *Iſraëlitæ*, ait, *miſera ſervitute oppreſſi ſunt*, at *Paſtores imperium exercuerunt in Aegyptios.* Verum hæc expediri ſic ſatis poſſunt ex iis, quæ disputavimus jam ſuperiori in *Capite* de Joſephi potentia in Aegypto, qui omni Aegypto legitur præfectus, immo τῷ Βασιλεῖ συνδιέπων τὴν Αἴγυπτον, *una cum Rege gubernans Aegyptum*, ut ait Joſephus *Antiq.* II. 3. *extr.* ac τῆς Αἰγύπτε δεσπότης γενέσθαι, *Aegypti Dominus fuiſſe*, ut Artapanus apud Euſeb. *Præpar. Evang.* IX. 23. qua-

[a] *Pag.* 103. *E. L.*

quapropter omnibus obviis per præcones denunciatum fuerit, ut genua ad eum honorandum flecterent. Sed & populos ille Aegypti dicitur in *Exodo* transtulisse ab extremis terminis in alias Urbes. Hæc vero, & deinceps plagæ per Mosen Aegyptiis inflictæ, potuerunt occasionem dedisse Manethoni satis idoneam fingendi Pastorum in Aegyptios imperii, prout solet antiquitas esse fabulosa, & in majus a posterioribus augeri. Pastores autem, æque ac Israëlitæ, posteriori tempore dicuntur ab Aegyptiis pariter contra eos insurgentibus diuturno bello afflicti, & victi, & in Urbem Avarin inclusi, ac obsessi tandem, pactione cum Rege Aegypti facta, abiisse, quo vellent, incolumes, & ita Aegyptum penitus reliquisse. Hæc utique ab Israëlitarum oppressione, per Aegyptios facta, possunt videri detorta, sed ita, ut superiori Pastorum imperio in majus aucto aliquantulum tamen congruerent. Adde his iterum illud in Manethone studium res Israëliticas dissimulandi & adulterandi, ne probro verterentur suis Aegyptiis, quæ illi ab Judæorum progenitoribus fuerant olim revera passi. Debuit idcirco vera Historia falsis ita ab illo corrumpi circumstantiis. Hoc vero nulla ex re magis patet, quam ex eo, in quo maxima collocatur in-

ter Paſtores & Iſraëlitas discrepantia, h. e. in exitu utrorumque ex Aegypto. Longe enim alia eſt Paſtorum Aegyptum relinquentium Hiſtoria apud Manethonem, quam Iſraëlitarum apud Moſen. Nullum certe in Paſtorum Hiſtoria veſtigium Regis & Exercitus Aegyptii in Mari Rubro ſubmerſorum. Immo tantum abeſt, ut Manetho per *Paſtores* voluerit nobis deſignare *Iſraëlitas*, ſive *Judæos*, ut horum ille originem ad Leproſorum colluviem & ſerius longe tempus retulerit, atque aliis narret rerum factorumque circumſtantiis. Sequitur inde, ut volunt, (Vide Marsham. *pag*. 309 [a].) Paſtores ergo fuiſſe diverſos plane ab Iſraëlitis Hiſtoriæ Moſaicæ, & ab Judæorum progenitoribus, ex ſententia ipſius Manethonis. Sed tamen idem Manetho in unam tandem conjungit Hiſtoriam Paſtores illos, & Leproſos, quorum Dux fuerit Moſes, & unde orti fuerint Judæi. Nam hi Leproſi, ab reliquis Aegyptiis & eorum Rege, Amenophi, male habiti, dicuntur Paſtores illos, Hieroſolyma jam dudum tenentes, ſuum in auxilium evocaſſe, & ab iis alacriter adjuti, vaſtaſſe Aegyptum, donec ab Amenophi victi, & usque ad Syriæ fines fugati fuerint.

Vide

[a] *Pag*. 333. *E. L.*

Vide Josephum *lib.* 1. *contra Apion. pag.* 1052. &c. Nihil tamen neque in his Mosaicæ consentaneum Historiæ reperitur, nisi quod diserte Sacerdos quidam Heliopolitanus, *Osarsiphus* nomine, sed postea *Moses* dictus, leges feratur iis condidisse Aegyptiorum moribus & superstitionibus prorsus contrarias. Quapropter satis superque ex utraque Pastorum & Leprosorum Historia apud Manethonem liquet, Hunc & plerosque istius temporis Aegyptios nescivisse, vel penitus dissimulavisse, quæ ad decus & gloriam Israëlitarum, quæque ad ignominiam & cladem Veterum Aegyptiorum, pertinebant. Quæ ergo ratio hæc est, *Pastorum* & *Israëlitarum* in rerum summam congruentium comparationem rejicere, quia diversæ quædam nobis istic occurrunt circumstantiæ, nec plagarum Aegyptiarum, ac Regis cum exercitu suo in mari intereuntis, ulla istic fiat mentio, quum utique neque in *Leprosorum* Fabula tale quid vel minimo designetur indicio, neque usquam alibi in Aegyptiacis Historiis memoretur? Quin immo quid simile tandem habet Leprosorum Historia rebus Israëliticis? Quis nostrum, & quo argumento, eam de Judæorum progenitoribus nunc interpretaretur aut accepisset unquam, nisi Ma-

netho

netho diserte ad illos retulisset? Quid plura? Multis jam Fabulam hanc refutavimus etiam *proximo* in *Capite*, atque adeo manifestum satis arbitror, hanc Leprosorum Historiam ab Aegyptiis primorum forsan Ptolemæorum tempore, qui Judæis multum tribuebant, eosque magno numero, ut nusquam illi extra Judæam frequentiores fuerint, suam in Urbem, Alexandriam, suumque in Regnum, admittebant vel invitabant, confictam in odium & ignominiam Gentis, tanquam quæ ex colluvie leprosorum ac Diis invisorum Hominum originem suam traxerit, licet refutetur abunde & temporis & omnium circumstantiarum ratione, si cum Hebræa comparetur Historia. Adde quod Leprosi illi subito excidant ex Manethonis Theatro Historico. Nihil enim de iis ex illo & ex Josepho colligere amplius possumus, quam quod cum Pastoribus in Palæstina jam dudum habitantibus coaluisse videantur, atque illis suum dedisse vel reliquisse Ducem ac Legumlatorem, quem tamen parum credibile, Pastores ab infelicibus istis & deformibus Leprosis voluisse accipere. Quocirca, si maxime vera isthæc forent, vel sic tamen Judæi posteriores æque, si non magis, a Pastoribus illis, ac a Leprosis, orti deberent

habe-

haberi. Quum ergo ſatis certum videatur, Aegyptios data opera diſſimulaſſe, memoriam veræ Judæorum originis, ac glorioſiſſimi Iſraëlitarum exitus ex Aegypto; quumque nihil in Hiſtoria Aegyptiaca aliud occurrat, quod rectius cum Iſraëlitarum habitatione in Aegypto conferri queat, quam Paſtorum Hiſtoria; quum denique hæc cum Iſraëlitica conveniát in ſumma rei, & plerisque majoris momenti circumſtantiis; quippe quum utrique pariter fuerint *Paſtores*, pariter *aliunde*, & *ab Oriente* quidem, *venerint* in Aegyptum, pariter antea fuerint *obſcuri & ignobiles*, pariter in Aegypto primum *ſecunda egerint fortuna*, at dein *afflicti* vel *victi*, *Aegyptum reliquerint*, pariter *uno tempore* iſtic habitaſſe dicantur, pariter in *eadem parte* Aegypti ſedes potiſſimum ſuas fixerint, pariter denique Aegypto relicta *abierint in Palæſtinam*, eamque deinceps tenuerint; propter hæc omnia Ego nullus dubito, quin in Aegyptiaca illa Paſtorum Hiſtoria lateat Iſraëlitica, licet aliquantulum corrupta & adulterata. Hoc enim ſi maxime non fuiſſet conſulto factum ab Aegyptiis, vel ſic nihil foret mirum, ſi tamen vitio temporis tam longinqui accidiſſet, prout in omnibus antiquiſſimis Gentium Hiſtoriis accidiſſe deprehendimus;

unde-

unde ipsi Veteres, Justinus, *antiquitatem fabulosam* pronunciat, Livius, *dari hanc veniam antiquitati, ut primordia Urbium*, immo & Gentium, *augustiora* vero *faciat*, Varro atque alii Tempus Præteritum diviserunt in *Obscurum* plane, tum *Fabulosum*, ac tandem demum *Historicum*. Sed & huc refero, quod in hac ipsa Historia Pastorum a Manethone identidem fit mentio *Assyriorum*, τότε (sic enim lego, non ποτὲ) μεῖζον ἰσχυόντων, *qui tunc*, tempore Primi jam Regis Pastorum, aliis populis *potentiores erant*, & quorum ideo metuerit ille Rex τὴν ἐσομένην ἐπιθυμίαν τῆς αὐτῆς Βασιλείας ἔφοδον (lege omnino ἐφόδυ) *futuram cupiditatem invadendi illud ipsum Regnum* Aegypti apud Josephum *lib.* I. *c. Ap. p.* 1039. Et *seq. pag.* iterum eorum potentiam veriti dicuntur Pastores, quum Aegypto exirent tanto tempore (quingentorum & undecim annorum) post; nam & τότε ἐκείνυς Ἀσίας κρατεῖν, *tunc illos* (Assyrios) *in Asia rerum potitos*. Atqui certum satis est, aliquanto tempore post Israëlitarum exitum ex Aegypto cœpisse demum & invaluisse Assyriorum potentiam, & longe adhuc serius versus Occidentem Asiæ, seu versus Syriam. Uberius paulo hanc Pastorum cum Israëlitis comparationem probare volui, quia magni

res

res videbatur momenti ad Sacræ Historiæ illustrationem, & tamen Chronologi fere omnes, certe præcipui quique, in contrariam plane discesserant sententiam.

Ceterum sub quo proprie Aegyptiorum Rege Israëlitæ seu Pastores exierint ex Aegypto, definire vix ausim. Crediderim tamen, Amosin seu Tethmosin, primum Manethoni Dynastiæ XVIII. Regem, primum etiam fuisse Regem post Israëlitarum ex Aegypto exitum; Partim quia Veteres plerique Mosen & illum Amosin æquales faciunt, licet minus recte ex Ptolemæo Mendesio κατ' Ἄμωσιν, *tempore* Regni *Amosios*, Judæorum exitum ex Aegypto ductu Mosis factum dicant, quum ante Ejus Regnum accidisse debuerit, vide Tatiani *Orat.* §. 59. & Clem. Alex. *Strom. lib.* 1. *pag.* 320. Partim quia ex Manethone refert Josephus *lib.* 1. *c. Ap. pag.* 1041. μετὰ τὸ ἐξελθεῖν ἐξ Αἰγύπτου τὸν λαὸν τῶν Ποιμένων εἰς Ἱεροσόλυμα, *postquam populus Pastorum ex Aegypto exiit Hierosolyma*, Tethmosin hunc regnasse annis XXV. & mensibus quatuor; Partim denique, quia valde probabile est, post interitum Regis cum omni exercitu in mari Rubro magnam rerum mutationem in Aegypto accidisse, atque adeo novam tunc Dynastiam ortam, cujus primus fuerit Rex ille, qui primus post istam adeo gra-

gravem calamitatem seu cladem regnaverit. Pastorum vero Regum Nomina & successionem conficta arbitror, æque ac ipsum Regnum, quod revera nullum fuit, & æque ac superiorum Dynastiarum plerique Reges. Possint tamen per primos illos Reges, qui soli ex Manethone ab Josepho & Africano, sed confuso prorsus ordine, nominantur, intelligi illi Reges, qui Josepho & Israëlitis etiam post mortem illius (nam male Marshamus *p.* 104 [a]. vivente adhuc Josepho servitutem *cœpisse* ait) faverint, usque dum exstitit *novus Rex*, *qui Josephum*, h. e. ejus merita, *non noverat*. Exstitit enim ille demum post mortem, non modo *Josephi*, sed *& Fratrum ejus*, *ac* כל הדור ההוא *totius istius Hominum Aetatis*, *Exod.* 1. 6. immo, quando Aegyptii διὰ χρόνου μῆκος, *propter longinquitatem temporis* meritorum Josephi jam erant obliti, ut ait Joseph. *Antiq.* II. 5. Male autem haud dubie Eusebius illos Reges ex XV. Dynastia, ad quam eos Africanus retulerat, & recte quidem, ut satis ex Josepho liquet, ad XVII. transtulit, notatus etiam eo nomine ab Syncello *pag.* 62. & 63. Qui tamen, quod mirum plane, ut jam ostendimus supra *Cap.* XVIII. in *fine*, in sua *Regum Serie* eos & ipse, sed alio itidem ordine,

a *Pag.* 107. *E. L.*

ne, & satis in nominibus corruptos, atque uno Rege auctiores, proxime ante Amosin collocat *pag.* 104. 108. 123. Immo, quod etiam magis mirum est, scribit *pag.* 104. *Reges Viginti & Tres apud Josephum, esse eosdem, qui apud Manethonem in Dynastia* XVII. XVIII. & XIX. *per annos* 592. *memorentur.* Reges hi XXIII. sunt primum Sex illi Pastores, quos Africanus in Dynastia XV. at Eusebius male in Dyn. XVII. ponit, & dein Reges septendecim Dynastiæ XVIII, quorum Regna apud Josepnum tot annos conficiunt. At si hi sex Reges Pastores sunt *Dynastiæ* XVII. *apud Manethonem*, tum vero Africanus male eos in Dyn. XV. rejecit, & recte Eusebius in Dyn. XVII. rursus contulit, atque ipse Syncellus pessime eum isthoc nomine reprehendit. Sed recte eum isthoc reprehenderat nomine, at Idem ipse gravissime hic erravit, siquidem ex Manethone eos Sex Reges non Africanus modo in Dynastiam XV. retulit, sed & Josephus inter Eos & Amosin primum Dynastiæ XVIII. Regem, plusquam 250. annos intercessisse docet. Vide Eum *pag.* 1040. Liquet hinc, quid Syncello, & ejus *Seriei Regum Aegypti* in his sit tribuendum. Ejusdem farinæ apud Me est, quod Syncellus *pag.* 62. ait ἐπὶ πᾶσι συμπεφώνηται, ὅτι ἐπὶ Ἀφώφεως ἦρξεν Ἰωσὴφ τῆς Αἰγύπτυ,

omnium consensu traditur, Josephum tempore Aphopheos, qui nominatur inter Reges Pastores quartus, *præfuisse Aegypto*. Similiter *pag*. 69. *Omnes consentire* in illud repetit. At, qui, quæso, illi *omnes?* Non Manetho, non Antiquitatum Judaicarum Scriptor, qui certe *lib*. II. *Antiq*. multis agit de Josepho & de illo Rege, a quo Josephus Aegypto est præfectus, sed qui nusquam eum alio, quam Pharaonis nomine ornat, nusquam *Aphophin* dicit; non alii antiquiores, vel Eusebio, qui omnia hic turbat, etiam ordinem tam Dynastiarum, quam Regum, ut ad suam hypothesin ea accommodet, vel certe Africano, quem forsan sequitur Syncellus. Verum ille, Manethonem secutus, ex eo repetiit simpliciter Dynastias Aegyptiacas, inque iis etiam illas Pastorum, sed quos habuit vulgato deinceps errore pro diversis ab Israëlitis, atque ideo, & quoniam tamen utrique ex ejus sententia in idem tempus congruebant, Israëliticæ Historiæ præcipua ad aliquem subinde ex istis Pastoribus Regibus referre debuit & voluit. At Pastores hos fuisse, seu sub specie Pastorum latere, *Israëlitas* quandoquidem satis superque jam probavimus, concidit prorsus omne illud, quod de Josepho traditur, quasi sub *Aphophi*, uno ex Regibus Pastoribus, floruisset, &

ad

ad præfecturam Aegypti fuisset evectus, nisi tamen, quod supra jam monuimus, hi, qui primi Pastores Reges dicuntur, fuerint revera Reges Aegyptii, qui Josepho & Israëlitis faverint, *Pastores* forsan ideo postea dicti, quia Israëlitis Pastoribus faverant, sicuti *Christiani* dicebantur per ignominiam ab Ethnicis Imperatores, Alexander Severus, & Philippi, quia Christianis favebant, licet ipsi minime Christiani essent, ut liquet ex Epistola Dionysii Alexandrini apud Eusebium *Hist. Eccles.* VII. 10.

CAP. XXI.

Pyramides *quando & a quibus exstructæ fuerint, incertum ex Profanis Scriptoribus. Absurdum est, statuere eas jam ab Regibus Primarum Dynastiarum, ante Abrahami ætatem, excitatas. Neque verisimilius, eas post Trojam captam demum exstructas. Nec probabile, ullos Reges aliquot centena millia suorum civium per continuos* XX. *annos ad tam inutile opus facien-*

 dum

dum adigere ausos. Ipsi Veteres agnoscunt de Pyramidum *origine & Auctoribus nihil certi ad se pervenisse. Videntur ergo referendæ cum Josepho ad Israëlitas, quod multis probatur. Ad Obeliscos Sesostridis non adhibiti sunt Cives.* Plinii *locus de* Pyramidum *exstruendarum ratione & modo exponitur.* Pyramidum *vox videtur Aegyptia fuisse, nec derivanda ab Græcis vocabulis, sed ab Aegyptio,* Piromis, *unde &* Pyramus, *& forsan* Pharao.

Superest, antequam dimittamus Pastores & Israëlitas, ac ad superiores seu primas adscendamus Dynastias, ut in *Pyramidas* etiam inquiramus, quando aut a quibus fuerint factæ. Josephus *Antiq.* II. 5. tradit Aegyptios coëgisse Judæorum progenitores etiam Πυραμίδας ἀνοικοδομεῖν, *Pyramidas exstruere.* Negat id & rejicit suo more Marshamus *pag.* 48. Idem faciunt plerique alii, secuti Græcos, qui ad certos Reges, & alterius quidem temporis, Pyramidum exstructionem referunt. Verum

rum adeo illi inter se discrepant, ut vel ex eo liqueat rei istius incertitudo maxima, seu, quod certi nihil de conditoribus Pyramidum, & de tempore, quo fuerint exstructæ, habuerit Historia Aegyptiaca. Etenim Manetho jam in Dynastia I. Quartum ejus Regem, *Venephen*, Pyramidas erexisse tradit, ac dein in Dynastia IV. Regem Secundum, *Suphin*, Pyramidum maximam exstruxisse. Arripit hæc Marshamus, absurdissima quæque Manethonis recipiendi studiosior, quam speciosa Josephi. Ipse etenim Venephis istius regnum ad ætatem Phalegi, & Filii ejus Rehu, refert, sicuti Suphin ad tempora Tharæ ante natum Abrahamum. Adeo autem absurdum est, illo jam tempore tantas operum moles statuere factas, quas vere Plinius *Nat. Hist.* XXXVI. 12. *Pyramidum miracula*, & *otiosam ac stultam Regum pecuniæ ostentationem* vocat; ut ipse Marshamus *Mirum* profiteri debuerit *pag.* 46 [a]. *nuperam* tunc *ædificandi artem tam cito in tantam excrevisse magnificentiam, ut vetustissimis hisce sæculis assurgerent stupenda illa monumenta, quæ durant adhuc*. Quanto rectius *mirum* illud rejecisset penitus, nulla veri specie ornatum! Nam ubi vel minimum in Historia Sacra post turrim Babylonicam,

 ædifi-

[a] *Pag.* 47. *E. L.*

ædificationis usitatæ, nedum tam operosæ, vestigium? quum plerique Homines utique in tentoriis adhuc habitarint vel in speluncis, etiam longe postea. Quin ideo Græci certo tempore a Vesta demum inventam in insula Creta ajunt τὴν τῶν οἰκιῶν οἰκοδομὴν, *domorum exstructionem*, apud Diodorum Sicul. *lib.* v. *p.* 232. quum antea Curetes habitarent in montium arbustis aut speluncis, seu quibuscunque locis, quæ ab natura sua præbebant illis *tectum & subeundi facultatem*, διὰ τὸ μήπω κατασκευὰς οἰκιῶν εὑρῆσθαι, *quia nondum inventa erat domorum exstructio*, Ibid. *pag.* 231. A. Quam parum itaque verisimile, tanto ante, tanta exstructionum miracula in Ægypto jam facta? Sed & unde tunc tot millia hominum, quæ per complures continuos annos adhibita leguntur, & adhiberi quidem voluerint in tempore naturalis adhuc libertatis, ad tantas moles multo & longo labore, sine ullo suo aut publico usu, excitandas?

Longe ergo rectius Alii eas ad alios Reges, & seriora referunt tempora, sed nimis haud dubie sera. Certe Herodotus II. 124. &c. *Cheopi*, qui non modo post Sesostrin, sed etiam post Protea, atque adeo post Trojanum bellum, vixerit, primam tribuit Pyramidem, atque alteram ejus Fratri

tri & Successori, tertiam Cheopis Filio, *Mycerino*, qui Patruo suo successerit. Et sequitur eum Diodorus Siculus *lib.* 1. *pag.* 39. 40. At neque illud credibile est. Nam si tum demum, seu aliquandiu post Trojam captam, exstructæ essent hæ Pyramides, certiora de iis habuissent Veteres, quum omnia nunc incerta nobis reliquerint, & hinc multi, etiam Aegyptii, de iis, ut incertissimæ originis, τερατολογεῖν, ut ipse ait Diodorus *pag.* 40. B. h. e. *absurda quæque narrare* reperiantur. Tale certe est, quod de Cheope sumptibus exhausto, & ideo Filiam prostituente, sed quæ pro concubitu lapides quoque in aliam Pyramidem poposcerit, refert Herodotus Aegyptiorum fide.

Neque vero tutum aut facile fuisset ullis Regibus, sive ante, sive etiam post Bellum Trojanum, tot Myriadas civium, seu centum millia, ut Herodotus, vel 360000. ut Diodorus, vel 366000. ut Plinius, ad unam Pyramidem nullius ferme utilitatis ædificandam per xx. continuos annos adigere. Blanchinus, de quo supra jam egimus, ea, ut videtur, de causa Reges hosce putat Aethiopas fuisse ex Africa, qui victores Aegyptum tunc tenuerint. Vide Eum *pag.* 435. &c. & 445. Sed con-

jectura hæc eſt, nulla Veterum auctoritate adjuta.

Quid multa? Nihil certius eſt, quam omnia, quæ de conditoribus Pyramidum prodita nobis ſunt ab Aegyptiis & Græcis, eſſe incertiſſima. Ipſi id Veteres fatentur. Diodorus enim *pag.* 41. B. *De Pyramidibus nihil omnino neque apud Indigenas* (Aegyptios) *neque apud Scriptores* (Græcos) συμφωνεῖται, *conſtat; Alii a Regibus jam dictis, alii ab aliis, veluti Armæo, Amaſi, & Inarone, exſtructas tradunt.* Nonnulli etiam *ab Rhodopide meretrice vel ejus amatoribus tertiam excitatam* dicunt, ſed quod refutat Herodotus, at Plinius *Natur. Hiſt.* XXXVI. 12. pro recepto & vero ex Aegyptiorum ſententia, tradit. Idem tamen, æque ac Diodorus, obliteratam Pyramidum Originem affirmat. Nam quum ibidem recenſuiſſet XII. Scriptores, qui de iis ſcripſerint, ſubjicit: *Inter omnes eos non conſtat, a quibus factæ ſint, juſtiſſimo caſu obliteratis tantæ vanitatis Auctoribus.*

Quum itaque ipſi Veteres, qui antiquiores potuerunt excutere Annales, ac inveſtigare probabiles maxime traditiones, agnoſcant incertum, obſcurum, immo *obliteratum* eſſe, quo tempore & a quibus Pyramides fuerint conditæ; quumque adeo nulli

nulli Uni, nec Herodoto, nec Manethoni, nec Alteri cuicunque, debeamus fidem noſtram addicere, quoniam Alii ſemper alia de his tradunt; & tamen miraculum illud Pyramidum ab ultima jam antiquitate celebratum exſtet & ſuperſit, idcirco, & alias inſuper ob rationes, Ego certe Joſepho, Iſraëlitarum tempore factas cenſenti, acceſſerim. Etenim certum eſt (Vide *Exodi* I. 9. & 12.) Iſraëlitas in Aegypto in maximam excreviſſe multitudinem, quæ tandem aliquot millibus ſexcenta millia virorum, plusquam xx. annos natorum, iſtic exceſſit. Certum porro, illos ad opus ædificationis adhibitos, ac duriſſime in eo afflictos, per annos quamplurimos ſupra ſæculum ex vulgari ſententia, vel per tria plus minus ſæcula ſecundum verba Exodi. Quid vero tanto temporis intervallo tot millia Hominum perfecerint, non reperimus, niſi munitionem duarum vel trium Urbium, quæ ab iis intra pauciſſimos annos facillime perfici potuit. Debuerunt etiam aliud quid maximæ molis, laboris, temporis, præſtitiſſe, quodque conveniens eſſet aliquot centenis millibus hominum longiſſimo & continuo tempore ad opus adactis. Nihil autem majus & operoſius in Aegypto, atque ejus Hiſtoria, invenimus exſtructione Pyramidum, quas ab

Ee 5 Aliis

Aliis aut alio tempore exſtructas, minime conſtat, ut modo probavimus.

Adde, quod neutiquam ſit veriſimile, Reges illos antiquos militibus perpetuis nondum inſtructos, & quum necdum adſtricta adeo & valida eſſent Regum imperia, auſos fuiſſe, ut modo diximus, tot millia civium, quæ ſupra trecenta fuiſſe traduntur, ad inutile illis, & Regiæ tantum oſtentationis ac ſtultæ vanitatis, opus per continuos xx. annos adigere, ad quod Iſraëlitæ Aegyptiis jam ſubjecti nullo negotio compelli poterant. Sed dicet quis, maximi quoque laboris *Obeliscos* poſtea ab Seſoſtride exciſos & erectos. Aſt illud ipſum meam ſententiam tantum abeſt, ut oppugnet, ut vel maxime confirmet, ſiquidem Diodorus *lib.* 1. *pag.* 36. B. diſertiſſime Eum teſtatur ad illos, aliaque opera, *neminem Aegyptiorum adhibuiſſe, ſed omnia per Captivos perfeciſſe, atque ideo operibus & templis omnibus inſcripſiſſe*, ὐδεὶς ἐγχώριος εἰς αὐτὰ μεμόχθηκε, *Nullus indigena in hæc laborem impendit.* Similia fere de eodem Seſoſtri, & foſſis ab eo per captivos inciſis, narrat Herodotus II. 108. Quod ſi eam indigenarum rationem habuit aut habere debuit Seſoſtris, tot tantarumque licet gentium victor, an credemus, Cheopem quendam auſum tali Pyramidum opere faciundo

ciundo *atterere omnes Aegyptios*, ut ait Herodotus II. 124?

Notanda quoque eſt operis ratio, quam Plinius *d. l.* nobis dedit. *Pyramides*, ait, *Regum pecuniæ otioſa* (an *odioſa?*) *ac ſtulta oſtentatio, quippe quum faciendi eas cauſa a plerisque tradatur, ne pecuniam ſucceſſoribus aut æmulis inſidiantibus præberent, aut ne plebs otioſa eſſet*. Prior ratio eſt ineptiſſima. Nam quare pecuniam *Succeſſoribus* non relinquerent? Neque etiam opus erat tanta mole ad *Aemulos* arcendos. At poſterior ratio probabilis, & ſæpe a prudentibus Principibus adhibita, immo Sacræ eſt Hiſtoriæ prorſus conveniens, modo per *plebem* hic intelligamus Iſraëlitas Aegyptiis ſubjectos, & ab iis pro mancipiis & viliſſima plebe habitos. Nam diſerte traditur a Moſe *Exodi* I. 10. Aegyptios afflixiſſe opere faciundo Iſraëlitas, ne *eveniret*, *ut tempore belli jungerent ſe Hoſtibus*, *vel* in otio *rebellarent contra ipſos*. Adde *Caput* v. §. 8. &c. ubi objicitur Iſraëlitis, quod *deſides* ſint, atque *ideo poſtulent abire ex Aegypto ad Sacrum Deo ſuo in deſertis faciendum*, ſed & ea de cauſa, quia hoc poſtulabant, *gravior ab illis opera exigitur* §. 9. &c. h. e. curatur, *ne plebs illa eſſet otioſa*.

Denique, confirmat me vel maxime illud, quod

quod idem Plinius addit, *vestigia complurium incohatarum exstare.* Hoc enim clarissime declarat abruptum subito opus, ad quod maxima multitudo Hominum simul fuerit adhibita. Nam quæ alia potest ratio dari *complurium* ita simul *incohatarum*, & omissarum? Optime autem hoc convenit in Israëlitas, qui ex medio opere abducti, tot Pyramides *incohatas* reliquerunt, & imperfectas, quas neque Aegyptii, tanta dein clade affecti, seu magnam partem in Mari Rubro exstincti, perficere dein voluerunt aut potuerunt.

Locus quoque, in quo conditæ sunt Pyramides, ab Israëlitarum habitatione minime fuit alienus, aut longe remotus. Etenim lapides ex Arabico monte fuerunt excisi, ac inde deportati ad Nilum, ex quibus trans Nilum juxta Memphin Pyramides dein sunt exstructæ. Docet id nos Herodotus II. 124. tradens, eos, qui opus fecerunt, debuisse partim ἐκ τῶν λιθοτομιέων τῶν ἐν τῷ Ἀραβίῳ ὄρεϊ ἕλκειν λίθους μέχρι τοῦ Νείλου, *ex lapicidinis Arabici montis trahere lapides usque ad Nilum*, partim *lapides* illos *navibus tramissos per flumen* ἐκδέκεσθαι, καὶ πρὸς τὸ Λιβυκὸν καλεύμενον ὄρος ἕλκειν, *excipere, & ad Libycum montem trahere*, & ita dein quum x. annos huic rei impendissent, exstruxisse Pyramidem illam maximam

mam xx. annis. Mons autem iste Arabiæ, & ejus lapicidinæ, accuratius describuntur ab eodem Herod. II. 8. Similia fere Diodorus Sic. *lib.* 1. *pag.* 40. & Plinius *d. l. Pyramidum maximam ex Arabicis lapicidinis constare* affirmant. Jam vero habitarunt Israëlitæ in terra Gosen, illa ipsa in terra, per quam lapides deportari ad Nilum debuerunt. Sita enim illa, ut docuit Cellarius *Geogr. Antiquæ* in *Africa pag.* 51. 52. & supra *Cap.* XIX. jam fere ostendimus, inter Arabicum seu Rubrum Mare, ac Nilum, e regione Memphis, & montis illius, ubi exstructæ sunt Pyramides præcipuæ, sed extendit se etiam ad inferiora Nili, e regione Taneos, & usque ad Arabiam ipsam. Certe Pyramides propiores fuerunt terræ Gosen, & Urbibus, quas Israëlitæ dicuntur *Exodi Cap.* I. munivisse, quam fuit Urbs Tanis, in cujus tamen campo, seu Nomo, per Mosen miracula dicitur edidisse Deus. Ita vero nihil obest, quo minus Pyramides ab Israëlitis credantur exstructæ, nisi si obesse quis putet auctoritatem, seu potius inconstantiam & varietatem, Scriptorum, aliis atque aliis eas Regibus adscribentium, adeo ut ipsi Veteres rem esse incertissimam declaraverint.

Lubet nunc etiam veram vocis *Pyrami-*

dum

dum originem investigare, quoniam Veteres & Recentiores omnes in ea erraſſe puto. Plerique crediderunt a πῦρ, πυρὸς, quod *ignem* notat, vocem hanc eſſe derivandam, quia Pyramides plane, ut flamma ignis, exſurgendo in acumen attenuantur metæ inſtar. Ammian. Marcell. XXII. 15. Pyramides ait eſſe *turres ab imo latiſſimas, in ſummitates acutiſſimas deſinentes. Quæ figura apud Geometras ideo ſic appellatur, quod ad Ignis ſpeciem*, τῦ πυρὸς, *ut nos dicimus, extenuatur in conum*. Sequuntur eum plerique. Sed tamen quia primæ Syllabæ quantitas repugnat, quæ in voce πυρὸς eſt brevis, at in *Pyramidis* eſt longa, idcirco alii prætulerunt etymologiam, a voce πυρὸς h. e. *triticum*, formatam. Sic Stephanus *de Urbibus*, ut & Etymologici Auctor, ac Voſſius. Volunt ergo illi, Pyramides fuiſſe horrea, in quibus frumentum conderetur, & ideo addidit ille Etymol. Auctor, a Joſepho fuiſſe exſtructas; ſed quæ *ineptiſſima* pronunciat Marshamus *pag*. 48. Neque vero ulla ejus rei veſtigia apud antiquiores Auctores occurrunt; neque ipſæ ullam ejus conſilii, aut uſus, aut horrei, ſpeciem nobis præbent. Communior ergo ſententia fuit, ſepulchra fuiſſe Regum. Vide Diodorum Sic. *lib*. 1. *pag*. 40. 41. quod & ex ſolio ſeu ſandapila in

illis

illis residua satis constat. Verum frustra ac male vocis Aegyptiæ origo in Lingua Græca investigatur, æque ac Phœniciarum, *Byrsæ* Carthaginiensis, *Axeni* Ponti, tum *Phrygum*, & *Amazonum*, quippe quæ postrema (nam de reliquis res est notissima) itidem non ex A. privativo, & μαζὸς vel μάζα, nomen accepit, ut vulgo volunt, sed ab Hebræo אמץ *Amaz*, *Robustus*. Hujus autem Vocis *Pyramidis* certam satis ex Aegyptiaca Lingua habemus originem, quippe in qua Viri Illustres dicebantur Πιρώμεις, ut eam Vocem scribit Herodotus II. 143. Hinc *ibidem* Sacerdotes dicuntur gloriati, Trecentos quadraginta & quinque sui ordinis Homines fuisse, Πίρωμιν ἐκ Πιρώμιος. Addit autem Herodotus explicandi gratia, Πίρωμις δέ ἐστι κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν Καλὸς Κἀγαθὸς, *Piromis autem est Lingua Græca, Fortis & Bonus*. Hinc ergo etiam Nobilis ille juvenis Babylonicus, qui Thisben amavit, *Pyramus* (de quo vide Ovidium *Metam.* IV. 55. &c.) nomen suum habuisse videtur, & sine dubio *Pyramides*, quæ Regum, h. e. illustrissimorum istic Hominum, & qui vel maxime Πιρώμεις, seu καλοὶ κἀγαθοὶ haberi volebant, fuerunt quasi Arces, certe Thesauri, & Sepulchra. Quin ipsa Vox *Pharao*, seu *Pharo*, ejusdem forsan est originis

&

& ſignificationis. Nam quod Joſephus diſerte & proprie *Regem* interpretatur, ſatis ſpecioſe id refutavit Bochartus *Phalegi* II. 26. *in extr.* Diverſis autem in Linguis Peregrina vox diverſis plerumque modis ſcribi & pronunciari ſolet. Certe minus discrepant Πίρωμις *Pyramus*, & *Pharao*, quam *Carthago* & Καρχηδὼν, quibus diverſis adeo modis Latini & Græci expreſſerunt unum idemque Nomen nobiliſſimæ Pœnorum Urbis in Africa. Sic ipſum illud *Pœnus* & Φοίνιξ ejusdem ſunt originis & ſignificationis, & tamen ſic ſatis ſono inter ſe & literis ipſis discrepant.

CAP. XXII.

Primæ Manethonis Dynaſtiæ nullum nobis uſum poſſunt præbere ad Hiſtoriam aut Chronologiam cum aliarum Gentium Hiſtoriis comparandam. Videntur immo confictæ, ad antiquitatem Gentis Aegyptiæ extollendam. Ipſi Veteres, Euſebius, Syncellus, *immo &* Chronicon vetus Aegyptiorum, *eas neglexerunt, vel in breviſſimum tempus redege-*

redegerunt. Summa XV. *Dynastiarum* Veteris Chronici, *incertum plane est, an augeri debeat. Male eam* Langius *ad* Manethonis *earundem Dynastiarum numeros accommodare studuit, quum diversissima sit Utriusque Chronologia. Annales Arabici in rebus & Genealogiis Aegyptiacis nullius videntur esse pretii.* Osiris *an fuerit Menes, ac* Mercurius *an Menis Filius Athotes? Non videtur. Incertissima sunt, quae de Diis Aegyptiorum traduntur. Catalogus Deorum apud Syncellum suppletur.*

Superest nunc, ut relictis Pastoribus & Israëlitis videamus, si quid erui possit Historici aut Chronologici ex antiquioribus Dynastiis & Temporibus. Id vero nihil omnino esse puto. Nam quum Sacra nobis Historia in illo tempore tam antiquo nullum Aegypti Regem memoret, nisi unum *Pharaonem*, qui tempore Abrahami exstiterit, sine ullo alio nomine aut circumstantia; quum Graeca porro Historia nihil antiquissimi illius temporis habeat

aut sciat; quum denique Aegyptiaca nihil nobis reliquerit præter XIV. vel XV. Dynastias ante adventum Pastorum, quæ nihil nisi ignotissimorum, & plerorumque haud dubie confictorum, Regum nomina & annos continent; & præter incertissimas de Diis suis fabulas, quæ incertum est, utrum Historici quid, an Physici, aut Astrologici significent: quid ergo ex iis erui possit, quod ad res illius temporis illustrandas, aut ad res Aegyptiacas cum aliarum Gentium rebus comparandas pertineat, nihil reperio. Multos certe Reges primarum Dynastiarum ex sequentibus sumptos, iisdem Nominibus, Ordine, Factis, clarissime ostendimus supra *Capp.* XIV. & XVII. Hoc autem magnum sane est malæ fidei argumentum, ut adeo Reges illos & Dynastias ipsas maximam saltem partem credere debeamus confictas, & unice quidem ad extollendam Gentis Aegyptiacæ supra Alias, & Judæos potissimum, antiquitatem, id quod Manethonem & Aegyptios revera egisse, satis superque sæpius jam probavimus. Adde jam his, quod ipsi Veteres quoque illas priores Dynastias neglexerint. Eusebius enim in suo *Canone* Primum Annum Dynastiæ Sextædecimæ confert in Primum annum Vitæ Abrahami, unde

unde initium *Canonis* sui ducit. Reliquas ergo XV. Dynastias, quarum tempus longe ultra ætatem Mundi ab ipso istic memoratam ascendit, prorsus prætermittit & negligit, tanquam inhabiles veræ Chronologiæ. Sed & Syncellus in sua *Regum Serie* priores XVI. Dynastias plane videtur sprevisse. Certe ab Septima Decima demum incipit ordine Reges reliquarum Dynastiarum istic recensere, at XVI. priores contrahit suo arbitratu in Reges XXV. & annos tantum 700. Vide Eum *pag.* 103. Similiter *Vetus illud* Χρονογραφεῖον *apud Aegyptios*, quod citat Syncellus *pag.* 51. *Quindecim* primis *Dynastiis*, non singulatim expressis, ut reliquæ exprimuntur, sed conjunctim sub *Cynico Cyclo* comprehensis, tribuit annos tantum 443. Liquet ergo ex hisce sic satis, aliam apud Veteres atque ipsos Aegyptios primarum XV. Dynastiarum esse rationem, aliam sequentium; atque ideo quum illi primas istas neglexerint & pro lubitu contraxerint, neque nobis ullam earum habendam esse rationem censeo, ac frustra nos operam sumere, si eas in Chronologiam certam tentemus redigere, inprimis quum illæ apud Manethonem immodice ultra Diluvium, & ipsam Mundi originem exsurgant. Ceterum Goarius in Notis ad Syncellum *d. l. a verosimili pro-*

cul esse alienum pronunciat, xv. *Dynastias non excedere summam* 443. *annorum.* Et recte: Nam certe Manethonis hæ xv. Dynastiæ ingerunt nobis ultra 3000. annorum. At vero Chronici istius Summa Major, quæ omnium Dynastiarum summas continet, & *seq. pag.* exprimitur a Syncello, non finit hisce 443. annis xv. Dynastiarum, quasi corruptis, multum addi, atque ideo ipse Goarius ad *pag. seq.* haud plus quam 178. annos adjici istis jubet. Ita vero pro 443. habebimus in xv. Dynastiis 621. annos, quod exigui sane est momenti aut discriminis in tot Dynastiis. Et tamen incertum simul manet, an hi ipsi anni addi debeant, & non potius singularum Dynastiarum anni, ut solent, corrupti fuerint, & ideo non respondeant penitus universæ omnium Summæ; ac porro an Dynastiæ XXVIII. a Librariis istic omissæ, tantum unius Rex, & Sex anni, etiam in hoc Chronico tribuendi sint, ut facit Goarius ex Manethone, a quo tamen illud in multis valde discrepat. Verum aliter rem expedire tentat Vilh. Langius *de Annis Christ. lib.* II. *cap.* 6. Nempe putat ille isthæc Veteris Chronici excerpta esse ipsius Manethonis, atque ideo ex Manethone secundum Eusebium adnumerat xv. Dynastiis annos 3417. Hos vero divi-

dit

dit dein in 2917. qui fuerint Anni Unius mensis, & 300. qui fuerint Quatuor mensium, denique 200. qui fuerint Sex mensium. Ex tot porro mensibus conficit jam illos 443. annos hujus Chronici, quos veros & XII. mensium annos putat. Sed primum deceptus fuit a Scaligero, qui in Excerptis suis Græcis in *Priorem Canonem Chronicum* Eusebii relatis, *pag.* 6. *in extr.* verba hujus Chronici sub hoc titulo exhibet, Θεῶν βασιλεία κατὰ τὸ παλαιὸν Χρονικὸν ἐκ τῶν Μανεθῶ. Credidit ergo Langius ista ab Eusebio ex Manethone esse desumpta, & ideo Manethonis XV. Dynastiis hunc numerum 443. annorum adcommodari debere. At vero potuisset & debuisset ea apud Syncellum plenius legisse, & inde didicisse Chronici hujus Veteris & Manethonis Dynastias ac Chronologiam esse plane diversas. Ipse id Syncellus *pag.* 52. diserte tradit: *Manetho* (ait) *celeberrimus apud Aegyptios, qui de his ipsis* XXX. *Dynastiis* (nam tot numero sunt omnes) *scripsit, occasionem videlicet ex hisce* istius Chronici *sumens, multum discrepat ab hisce* in Chronico traditis *circa tempora, ut discere licet ex iis, quæ jam supra diximus, & quæ dicentur deinceps.* Nihil ergo opus erat, Manethonis Dynastias cum Veteris Chronici

 Dyna-

Dynaſtiis in conſenſum eorundem annorum redigere, quum diverſa ſit utriusque ratio ac traditio. Deinde vero quis tandem annorum numerus cum Majore eorum ſumma non facile poſſit hoc modo conciliari, quando quos & quot volumus noſtro prorſus arbitratu Majoris illius Summæ annos facimus alios menſtruos, alios quadrimeſtres, alios ſemeſtres? Sed & reliqua Langii in his Aegyptiacis corruunt manifeſte, quia corrupto uſus eſt hujus Chronici textu, in quo Septimæ Decimæ Dynaſtiæ Reges & anni, ac Octavæ Decimæ nomen & Urbs, vel Deſcriptoris vel Typographi incuria, ſunt omiſſa. Si Syncellum contuliſſet cum Græcis Scaligeri in Euſebio, manifeſtum deprehendiſſet vitium. Ille vero nunc annos XVIII. Dyn. ſub Septimæ Decimæ ſumma pariter comprehendi cenſet, & ex talibus principiis Chronologiam ſuam conficit, quæ proinde vitioſa ut ſit, neceſſe eſt.

Nobis vero certum ſedeat illud, quod ab initio diximus, priores Manethonis Dynaſtias eſſe ab omni vera & juſta Chronologia alieniſſimas, & laterem lavare, qui ex iis Chronologiam quamcunque conſtituere volunt. Patrem tamen Bonjourium, qui Romæ publicavit monumenta

menta quaedam Coptica, video in *Memoriis Trivultiensibus Anni* 1702. *Mensis Sept. Art.* 2. *p.* 173. *ed. Amstelaed.* de hisce etiam Dynastiis aliquid edidisse, sed quod reperire non potui. Sed & audivi, jactitasse illum in privatis sermonibus, se clarissime demonstraturum, quis fuerit ille *Pharao*, Abrahami aequalis. Id unde probaturus sit, haud equidem scio, nec comminisci queo, nisi forsan ex Annalibus quibusdam Copticis, sed quos crediderim nihilo plus fidei merituros, quam Arabicos illos, ex quibus & Athan. Kircherus multa hausit a specie veri alienissima, & Auctor Libri *Juchasim* nobis genealogiam seu posteritatem Mizraimi usque ad tempora Mosis obtrudit, in qua *Pharao* Abrahami tempore, qui Syncello *pag.* 101. est *Ramessemeno*, vocatur *Tutis*, vel, ut Kircherus ex Abdalla Ben Ghe-ledi, *Tautis*, qui Mercurius, & *Pharao* Josephi tempore *Rian*, Mosis *Talma*. Sed omnia sunt a verisimilitudine remotissima, ut vel ex Mizraimi Filio liquet, quem *Coptim* vocat, ut scilicet, quod & ipse addit, *Coptitae inde originem suam ducant*. Utut sit, Manethonis priores illas Dynastias satis superque in superioribus confutavimus, atque operam lusisse ostendimus etiam illos Viros Doctos, qui plu-

res in unum idemque tempus præter ipsius Manethonis mentem contrahere, & ita qualemcunque ex iis Chronologiam, unus Hebraicæ Scripturæ, alter Græcæ Versioni accommodatam, contexere studuerunt. Menes quoque, a quo Dynastia prima & omnis Chronologia Aegyptiorum incipit, quo tempore vixerit, incertissimum ostendimus. Si credere quis vult Josepho, antiquiorem illum fuisse Abrahamo, per me facile licet: at nec Chamum, nec Mizraimum fuisse, abunde probavimus. Utrum vero ex Mene postea in Deos relato Aegyptii fecerint suum Osirin, quod Abbas Sevinus in Gallia vult, nescio. Non rejecerim id prorsus propter rationes similitudinis cujusdam ab ipso allatas. Atque ita Filium ejus vel certe Successorem, a Manethone simul & Eratosthene *Athoten* dictum, Marshamus contendit fuisse Mercurium Aegyptium, *Thoth*, vel *Thoyth*, vel *Taaut*, vel *Teut*, a diversis populis appellatum: Sed nullam id quidem apud me habet veri speciem. Certe Eratosthenes apud Syncellum *pag.* 91. ipsum *Athoten Menis F.* dicit, & hoc Nomen habere addit, quod Græce *exponatur* Ἑρμογενής, h. e. *a Mercurio ortus* vel *edoctus*, plane uti *Menes*, Patris nomen, *exponatur* Διόνιος h. e. *Jovius*. Inane est, quod suo more

more pronunciat Marshamus *p.* 34 [a]. Ἑρμογενὺς interpretationem pertinere, ac referri debuisse, ad Successorem Athotis, quum talia probari debeant, & verisimilius sit, Priori ejusdem Nominis Regi potius, quam Posteriori, additum ejusmodi Epitheton, quod non Hominis aut Regis est descriptio, sed sola ipsius Nominis *interpretatio*, sicuti verbo ἑρμηνεύεται diserte satis declaratur. Liquet itaque ex his, neque Menem ex sententia Eratosthenis fuisse Osirin, neque Athoten illius Filium fuisse ipsum Mercurium. Longe enim aliud est dici Ἑρμῆν, aliud Ἑρμογενῆ. Facile tamen patior Mercurium ipsum, Aegyptiorum Deum, jungi Osiridi, quum Diodorus Siculus *lib.* 1. *pag.* 10. eos æquales faciat, & Osirin illius consilio maxime in omnibus usum, ac Uxori suæ Isidi, quum ipse peregre abiret in expeditionem in Aethiopiam, Arabiam, Indiam, illum addidisse Consiliarium, & præ omnibus aliis honorasse, testetur. Sed & crediderim, quia Mercurius, tanquam unus ex præcipuis Aegyptiorum Diis, passim memoratur, & tamen in Catalogo illorum Deorum apud Syncellum *pag.* 19. non occurrit, & quia nomen Dei, qui ordine fuerit Sextus, & proximus post Osirin &

 Isin,

[a] *Pag.* 35. *E. L.*

Isin, istic excidit, hanc ergo lacunam isthoc *Mercurii* nomine explendam. Verum incerta sunt omnia, quæ de Diis Aegyptiorum traduntur, nec quicquam ex iis Historici aut Chronologici confici potest, ut jam ostendimus supra *Cap*. v. *pag*. 83. *seqq*. Sed & æque incerta sunt omnia primarum Manethonis Dynastiarum, quippe quarum nihil neque ex Aegyptiacis neque ex alienigenis Historiarum monumentis probare aut investigare possumus. Si quis tamen hæc incerta cum ratione justa facere certa, aut verisimilia, postulet, is enimvero alia debet habere rerum antiquarum documenta, quam quæ hucusque vulgata sunt.

CAP. XXIII.

Nechaonis, *Regis Aegyptii, Regnum quamdiu duraverit.* Eusebius *explicatur*, Hieronymus *ejus Interpres notatur. Nechaonem in prælio ad Carchemischum fuisse cæsum, non dixit Jeremias, quod male affirmant Eusebius, Syncellus, Cappellus, aliique. Vixit ille ultra quartum Iehojakimi annum.* Jeremiæ

miæ Caput XLVI. *explicatur. Notantur Græci Interpretes Nechao diutius videtur regnasse, quam Sex tantum annos. Mortuus demum Regni Iehojakimi Decimo. Pugnavit cùm Iosia in finibus Regni Iudaici.* Megiddo, *vel* Mageddo, *an idem locus, qui ab Herodoto* Magdoli *nomine insignitur? Iosephus tentatur.* Κάδυτις *Herodoti non fuit Hierosolyma, nec* Kedes *in Tribu Naphthali, sed videtur fuiße* Kades Barnea. Herodotus *emendatur.* Clerici *expositio itineris, quod fecit Nechao, arguitur.* Berosi *fragmentum de Nabuchodonosoro explicatur. Nabopollassar regnavit non* XXIX. *sed* XXI. *annos. Epocha nova Babyloniis ab initio Nabopollassari videtur ducta. Annus Nebucadnezaris* Primus *incidit in* Quartum *&* Quintum *Iehojakimi Regis Iudæorum.* Ieremias LII. *exponitur, ut &* Daniel I. 1. Trigesimus

mus *annus* Ezech. I. 1. *indagatur. Mors Nabopollassari incidit in* Quintum *vel* Sextum *Iehojakimi annum. Nebucadnezaris annorum duplex initium, aliud apud Iudæos, aliud apud Babylonios. Secundum Illos* XLV. *secundum Hos* XLIII. *regnavit annos.* Secundus Nebucadnezaris annus *apud* Daniel. II. 1. *investigatur. Annus Jechoniæ ex carcere liberati exponitur.* Josephus *refutatur.* Tertius annus Iehojakimi *apud Danielem contra illum & Marshamum asseritur, & pluribus exponitur. Historia Iehojakimi, & expeditionum Nebucadnezaris contra eum, vero ordine exhibetur.* Syncellus *emendatur bis.* Ieremias XXXVI. 9. *explicatur.* Berosi Fragmentum *ad Primam Nebucadnezaris expeditionem, & Quartum Iehojakimi annum, est referendum. Per* Satrapen, *qui defecerit, Berosus designavisse videtur*

tur Nechaonem, Aegypti Regem, sed male. Nam Aegyptus aut Nechao neutiquam fuerunt Nabopollassaro *subjecti. Favit nimium suæ Genti* Chaldaicæ *Berosus, & ejus fortunas plus æquo extulit.* Syncellus *emendatur; qui Berosum & Manethonem istius vitii pariter arguit. Nabopolassar non tenuit Aegyptum, sed neque Syriam tenuisse videtur.* Marshamus *prorsus turbat hujus temporis Chronologiam, idque variis exemplis declaratur.*

Emensi sic tandem sumus antiquissima Aegypti, quibus investigandis, explicandis, & cum Hebraica potissimum Historia conferendis manum admoventes, initium duximus ab seriori tempore, seu a primo & certo rerum Aegyptiacarum & Judaicarum consensu, & concursu in idem tempus, quem reperiebamus demum in Regnis Regum Josiæ Judæi, & Nechaonis Aegyptii, quorum ille ab hoc victus est, & ex vulnere in pugna accepto mortuus. Hujus enim prælii & victoriæ Nechao-

chaonis præter Scripturam Sacram meminit etiam Herodotus. Sed & Manetho, Africanus, Eusebius, ad tempora Josiæ referunt illum Nechaonem. Inde ergo initium cepimus, & ex hoc Synchronismo tam certo progressi, ad constituenda utcunque superiora & antiquiora contendimus. Verum tamen, quia post Nechaonem exigua tantum superest Veteris Aegyptiorum Regni lacinia, quippe quod intra sæculum ab illius morte plane est exstinctum, & in Provinciam Persarum a Cambyse redactum; & quia multis isthæc lacinia est difficultatibus Chronologicis & Historicis implicita, ac præcipue illis, quæ hærent inter Prophetas Sacros hinc, inde Scriptores Profanos, de Aegypto istius intervalli ferme contraria plane tradentes; operæ pretium ergo videmur facturi, si hoc residuum Aegyptiaci Regni quoque diligenter excutiamus, & Scriptores de eo in qualemcunque redigere concordiam studeamus.

De ipso immo Nechaone, satis ambiguum est & incertum, quo Regni sui anno, & quo in loco, pugnaverit cum Josia. Nec mirum, quum ipsi in universum Nechaonis hujus anni multum in Auctoribus varient, quippe cujus Regno Herodotus II. 159. tribuit XVI. annos, Syncellus in

in sua *Regum Serie* IX. Africanus & Eusebius VI. qui eos in Jojakimi Quarto jam anno, vel Quinto ineunte, finiunt. Quam etiam ob rem Eusebius in *Canone* suo ad annum Secundum Nechaonis refert cladem & mortem Josiæ, ac sibi gratulatur in eo, vel miratur ipse, quod in suo hoc Canone tempus Josiæ Judæi & Nechaonis Aegyptii ultro tam bene concurrerit. Hic enim sensus est verborum Eusebii, sed quæ & Hieronymus male vertisse, & Scaliger præjudicio quodam ex Hieronymi versione concepto abreptus, male quoque accepisse videtur. Verba Eusebii sunt [a], Καί μοι θαυμάζειν ἔπεισι, πῶς συνέδραμον οἱ χρόνοι κατὰ τὸν προκείμενον κανόνα, ὡς ἀντιπρόσωπον εἶναι τοῦ Ἰωσίου τὸν τῶν Αἰγυπτίων Βασιλέα Νεχαώ, τὸν καὶ Ψαμμίτιχον (forte τὸν Ψαμμιτίχου: *Filius* enim fuit *Psammetichi*, & hac ratione recte distinguitur ab altero seu Primo Nechaone, hujus Secundi Avo) ὃν καὶ ἡ θεία τοῦ Ἱερεμίου γραφὴ Φαραὼ Νεχαὼ ὀνομάζει. h. e. *Et me admiratio subit, quomodo tempora in proposito hoc Canone concurrerint* ultro & sua sponte, *ita ut Josiæ e regione consistat Rex Aegyptiorum Nechao, qui & Psammetichus* (vel *qui Psammetichi Filius*) *quem etiam Sacra Jeremiæ Scriptura Pharao Nechao nominat*. At Hieronymus hæc ita accepisse vide-

[a] Canon. Chron. *pag.* 159.

videtur, quasi non debuissent concurrere in idem tempus duo illi Reges, & ideo hunc concursum miratus esset Eusebius. Vertit enim: *At mihi miraculo est, quomodo ad unum tempus uterque convenerit, quum Scriptura Divina hunc Pharaonem Nechaonem appellet.* Recte istic Scaliger Hieronymum *multa omisisse* notat, ac subjicit dein verba Eusebii bene ab se versa. Sed miror dein Eum addere, quasi Eusebii & Hieronymi eadem foret mens aut ratiocinatio, *Ego vero, qui meus stupor, non capio hoc argumentum, tempus Aegyptii Nechaonis non potuisse concurrere cum tempore Josiæ, quia Rex Aegyptius ab Hieremia Propheta Nechao Pharao vocetur.* Etenim non voluit, nec dixit, id Eusebius, qui tantum ad describendum aut illustrandum Nechaonem addidit illud de Jeremia. Ex ipso ergo Eusebio castiganda erat inepta hæc Hieronymi versio.

Nos vero in annis Nechaonis quem sequemur, Herodotum, an Syncellum, an vero Eusebium? Bene se res haberet, si certo sciremus, quo anno fuisset mortuus. Refert quidem Eusebius, & disertissime ac sæpius Syncellus, mortem illius ad annum Quartum vel Quintum Jehojakimi, sed ex errore id videtur ortum, quasi Jeremias tradidisset fuisse illum a Nebucadnezare in

pugna

pugna ad Carchemischum occisum, qui tamen id neutiquam tradidit. Audiamus Syncellum *p.* 217. 218. 221. *Quarto anno Joachimi, ut dicit Jeremias, Nabuchodonosor* (ἐπάταξε) *percussit Pharaonem Nechaonem.* Et mox de eodem anno, ἀναιρεθέντος δὲ τῦ αὐτῦ Νεχαῶ Φαραῶ ὑπὸ τῦ Ναβυχοδονόσορ. *Occiso Pharaone Nechaone a Nabuchodonosoro.* Denique *Pharaonem Nechaonem Nabuchodonosorus secundo sui Regni anno* (ἀνεῖλεν) *sustulit, occidit, apud Euphratem pugna vehementi.* Sed & Cappellus ad *Ann. M.* 3391. &, qui eum sequi solet, Simsonius ad *Ann. M.* 3396. Pharaonem Nechaonem victum ajunt a Nabuchodonosoro, fugatum, *&* *occisum*, idque *colligendum ex Jerem.* XLVI. At vero nullum istoc in *Capite* occurrit vestigium, unde liqueat cæsum eo prælio ipsum Regem. Diserte enim Jeremiæ Prophetia intenditur tantum (על חיל) *in Copias Regis.* Sed abduxit eos in errorem Versio Græca, quæ sequentia relativa אשר ab aliis recte relata ad *Copias* illas, quæ nominatim istic, tanquam res, de qua potissimum agitur, exprimuntur, retulit ad ipsum Regem. Nam sic istic ille locus vertitur, ἐπὶ δύναμιν Φαραὼ Νεχαὼ, βασιλέως Αἰγύπτυ, Ὃς ἦν ἐπὶ τῷ ποταμῷ Εὐφράτῃ ἐν Χαρμεὶς, ὋΝ ΕΠΑΤΑΞΕ Ναβυχοδονόσορ. In his manife-
 stum

stum habemus erroris istius fontem, dum dicitur *Rex* ipse *fuisse ad Euphraten*, & ibi *percussus a Nabuchodonosoro*. Sed alii, ut docuimus, rectius reddiderunt relativa isthæc, non *Qui* & *Quem*, sed *Quæ* & *Quas*. Atque ideo Usserius, Marshamus, Pezronius, Aliique Regnum Nechaonis longe ultra quartum illum Jehojakimi annum extenderunt. Et recte id eos fecisse, constat ex 2. *Regum* XXIV. 7. ubi post victum jam a Nabuchodonosoro Jehojakimum dicitur; *Et non perrexit amplius Rex Aegypti excurrere ex terra sua, quia Rex Babylonis occupavit a rivo Aegypti usque ad fluv. Euphraten omnia, quæ fuerant Regis Aegyptii*. Quis, quæso, ille Rex Aegypti, nisi is qui de Syria bellum gessit ultimo anno Josiæ usque ad quartum Jehojakimi cum Rege Babyloniæ, h. e. nisi hic Nechao? [De eo certe putem accipienda hæc verba, quia nullus alius Rex Aegypti in isthoc Libro & ejus temporis Historia reperitur nominatus. Ceteroquin agnosco lubens poni hæc verba post mortem Jehojakimi; sed tamen quia quasi in Parenthesi sine ullo nexu ponuntur inter Regnum Jehojakimi & Jechoniæ, & quia Auctor res Jehojakimi non distinxit in suos annos, sed tantum *diebus ejus* factas dicit expeditiones Nebucadnezaris, ideo putem

hæc

hæc verba in universum ad totum Jehojakimi regnum pertinere, & proprie ad primam Nebucadnezaris expeditionem, & Quintum Jehojakimi annum, quia Quarto jam victum esse Nechaonem ex S. Scriptura constat; & quia Berosus Nebucadnezarem, quum ex prima expeditione reditum Babylonem, mortuo jam Patre, pararet, res etiam Aegypti ordinasse prius ait, non quod Ægyptum ceperit, sed quod ad fines Ægypti usque pervenerit; denique quia Nechao ante Jehojakimum videtur diem suum jam obiisse. Vide *pag*.470. Accedit, quod de aliis Regibus Aegypti, qui successerunt Nechaoni, vere dici illud non potuit, quum utique Hophra, Nepos Nechaonis, inter cujus & Hophræ Regnum sex tantum anni Psammios fuerunt interjecti, *excursionem* revera ex Aegypto fecerit, Gazam Urbem ceperit & percusserit, Phœnices invaserit & vicerit, variasque occupaverit eorum Urbes, Hierosolymam obsidione voluerit eximere, *Balænæ* denique *maximæ*, & *Juveni Leoni*, a Prophetis comparetur. Vide *Cap*. XXIV. *princ*.] Non ergo fuit jam tunc *occisus* per victorem, qui omnia, quæ tenuerat ille inter Aegyptum & Euphraten, occupavit, sed metu illius victoris cohibitus est, ne excurreret amplius in Judæam ac Syriam sua ex terra. Sed tamen *Jerem*. XLVI. 25.

26. de Pharaone ipſo & ejus Amicis dicit Deus, *Tradam eos in manum quærentium animam ipſorum, & in manum Nebucadnezaris* &c. Videtur enim hæc locutio ſignificare captum & occiſum Regem a Nebucadnezare. At ſciendum omnino, non pertinere ea, quæ hoc *Capite* a §. 13. leguntur, ad Pharaonem *Nechaonem*, ſed ad tempora, quibus Aegyptus ipſa erat a Nebucadnezare vaſtanda, quod ſub Nechaone non accidit, ſeu ad Pharaonem *Hophram*, de quo ipſo nominatim eadem hæc phraſis adhibetur *cap.* XLIV. §. 30. Male ergo etiam hic Græci Interpretes addiderunt §. 17. Pharaoni ſimpliciter ſic dicto nomen *Nechaonis*, a quo iſta plane aliena ſunt, ut ex omnibus, quæ præcedunt & ſequuntur, liquet.

Sic facile refutari quidem poteſt illorum ſententia, qui Nechaonis hujus mortem referunt in annum Quartum Jehojakimi; ſed vellem aliunde certius quid haberemus. Plerique tribuunt illi XVI. annos ex Herodoto, quibus & Ego lubens acceſſerim, quum Sex illi anni, quot Africanus & Euſebius ei tantum adſcribunt, videantur ex illo errore, quem refutavimus, orti, & Nechao iſte plures res majoris momenti fecerit, quam ut ejus Regnum in tam breve ſpatium includi a nobis debeat. Non modo enim bellum geſſit cum Babyloniis

ab

ab ultimo anno Josiæ, usque ad tertium vel quartum Jehojakimi & deinceps; sed & fossam ex Nilo in Sinum Arabicum jam antea jusserat duci, in qua fodienda 120000. hominum dicuntur periisse. Quod licet forsan veri fide sit majus, tamen illud hinc tuto colligas, multos huic rei annos fuisse impensos. Quin, quum tamen incepto tandem desistere deberet, misit, qui circumnavigarent Africam. Hi autem tertio demum anno per Gaditanum fretum redierunt, ut docet nos Herodotus IV. 42. Tum vero demum, certe postquam istius canalis fodiendi consilium jam dimiserat; dedit se bellis & expeditionibus, paravit classes & navalia utroque in mari, Mediterraneo & Arabico, & Syriam invasit. Vide Eundem Herod. II. 158. 159. Sed quotcunque illi tribuamus annos, Principium computandi certum nobis deest, quum nemo Scriptorum tradiderit Regni ejus initium aut finem. Quapropter Ego quæram hic iterum illud in extremis plane Aegyptiaci Regni, ubi demum certi quid habemus. Nempe mortuus est Amasis in apparatu belli, quod Cambyses anno regni sui quarto parabat Aegyptiis, & anno quinto intulit, seu sex mensibus ante Regnum Aegypti a Cambyse, quinto ejus anno, exstinctum. Regnavit autem Amasis annos

 44.

44. quos illi non Herodotus modo, sed & Africanus tribuunt. Proximus ante eum fuit Apryes seu Hophra, cui Herodotus dat annos 25. Ante hunc Psammuthis annis Sex regnum tenuit ex sententia Herodoti & Africani. Ille autem Filius fuit & Successor Nechaonis. Ceterum ex his jam numeris, in unam collectis summam, anni 75. orientur. Eadem vero summa a Cambysis quarto anno exeunte repetita incidet in Sextum Nebuçadnezaris annum. Nam Cambysi tribuimus 4. Cyro ex Canone Ptolem. 9. Nabonadio 17. Neriglissori 4. Evilmerodacho 2. Sic habemus annos 36. Addamus his 39. Nebucadnezaris, qui in universum 45. annos ex Judæorum sententia regnavit, & ab Jehojakimi anno quarto regnare cœpit. Ita habebimus iterum 75. annos, & videmus, Nechaonem debuisse secundum hosce numeros fatis fuisse functum Sexto Nebucadnezaris, & Decimo Jehojakimi anno.

Sed & Locus pugnæ, & Urbs ab Nechaone capta, valde itidem sunt controversa. Etenim dicitur illi, ex Aegypto contra Babylonium tendenti ad Euphraten, *obviam profectus* Josias, & pugnasse cum eo, deprecante vel dissuadente pugnam, *in campis Megiddo*, ἐν τῷ πεδίῳ Μαγεδδὼ, ut vertunt Græci. Vide 2. *Re-*

gum

gum XXIII. 29. & 2. *Chronic*. XXXV. 20. &c. At Herodotus II. 159. *Neconem pugnasse cum Syris* ait, & *vicisse eos ἐν Μαγδόλῳ*. Plerique Interpretes hanc *Megiddo* collocant ea in regione, quæ cessit dimidiæ tribui Manassis. Ast illa regio & Urbs sita fuit non in regno Judaico, sed Israëlitico, supra non Judæam modo, sed & Samariam ac Ephraim, ad fluv. Kison. Non potuit ergo istic *occurrisse* Josias Nechaoni ex Aegypto in Syriam tendenti. Nec enim illud *occurrere* est, sed potius jam prætergressum persequi & assequi. Et tamen dicitur diserte in *libris Regum* & *Chronic*. d. l. *ivisse*, *exiisse*, לקראתו *in occursum ejus*, ut qui voluerit eum *Transitu per suum Regnum prohibere*, ut diserte ait Josephus x. 6. Atqui quando Nechao jam erat apud Megiduntem, tum vero transierat vel præterierat ille jam Josiæ regnum. Ipse Marshamus *pag*. 530 [a]. rem ita quoque accepit, ut dicat, *censuisse* Josiam, *transitum hosti Assyrii Regis non concedendum*. Sed valde miror, his tamen illum subjicere, *Est autem Mageddo Urbs in via, qua ex Aegypto itur in Syriam, non procul a mari Phœnicico, semitribui Manassis assignata*. Nescio quam ille intelligat *Sy-*

a Pag. 568. E. L.

riam, quum utique & Palæstina fuerit Syria. At Urbs illa tantum abest, ut fuerit sita in hac Via, seu in confiniis Aegypti & Syriæ Palæstinæ, quæ Aegypto erat proxima, ut e contrario longissime ab Aegypto fuerit, & ab aditu ex Aegypto in Syriam, remota. Crediderim ergo eandem esse Urbem, Herodoti *Magdolum*, & Historiæ Sacræ *Megiddo* vel *Mageddo*, prout solent literæ D. & L. inter se permutari, inprimis quando vocabula ex una Lingua transeunt in aliam. Quin hoc ipso fere in Nomine id esse factum, dum *Magdala* Matthæi xv. 39. ab Syro Interprete scribitur *Magedu*, ab Latino *Magedun*, docuit jam Usserius ad *Ann. M.* 3394. Sed & ita Urbem *Cadytin* Herodoti, de qua mox agemus, Stephanus de Urbibus Κάλυτιν appellat. Crediderim autem sitam hanc Magdolum in finibus Aegypti. Habemus istic hujus nominis Urbem, prope Pelusium, sed remotior paulo hæc est in ipsam Aegyptum, quam ut affirmare ausim, eo usque occurrisse Nechaoni Josiam, Scaliger in *Notis* ad *Fragmenta* ab se collecta, & *Emendationi Temporum* addita, *Magdolum* & *Mageddo* vicinas fuisse Urbes in finibus Aegypti, Usserius easdem, censet: nec habemus quidquam hoc posteriore verisimilius. Josephus eam Μένδην vocat, sed haud

haud dubie vitio librarii id factum, quum Μέγδην Auctor scripsisset. At ipse de suo, & ex conjectura, ut opinor, addidit, sitam fuisse eam in regno Josiæ. Certe id nec de Magdolo Aegypti, nec de Mageddo supra Samariam, dici vere potuit. Sed fuerunt sæpe plures unius Nominis Urbes, certe plures fuerunt *Magdoli*. Potuit ergo etiam Urbs quædam hujus nominis in finibus Regni Judaici versus Aegyptum fuisse sita, quæ in hac una tantum Historia memoretur.

Non minor hæsitatio est in eo, quod Herodotus *d. l.* addit, Nechonem post victoriam cepisse *Cadytin, magnam Syriæ Urbem.* Sunt enim, qui existiment (vide Conringium *Advers. Chronol. cap.* 15. & adde Cellarium *Geogr. Ant.* Asiæ *pag.* 540 [a].) Hierosolymam eo nomine designari, quia hæc ab Judæis dici fuerit solita Urbs *Sancta*, Hebraice *Keduscha* vel *Kedischa*, quod Chaldaica & Syriaca dialecto pronuncietur *Keduthe* vel *Keditha*. Hinc ergo ortum putant id Nomen Κάδυτις apud Herodotum. Sed præterquam, quod neutiquam sit verisimile, Hierosolymam a Gentibus finitimis & inimicis, Nomine, quod

a *Pag.* 330. *Edit. Amst.* 1706. In eadem sententia est Humfridus Prideaux in *Historia Judaorum & vicinarum gentium* ad An. ante N. C. IↃCX. & CCCCXLIV. Aliter sentiunt Viri Clariss. Relandus *Palaest. Lib.* III. & Jac. Gronovius ad *Herodot. III.* 5.

Sanctam notet, tanquam proprio maxime, insignitam, quum neque Judæi eam isto Nomine, tanquam proprio, ornasse reperiantur; satis etiam ex eo rejicula videtur hæc sententia, quod nusquam alibi Hierosolyma legatur Κάδυτις dicta. Accedit quod apud eundem Herodotum III. 5. *Montes Urbis Cadytis*, & ipsa Urbs, prope Arabiam collocentur, siquidem ab ea mox incipiunt istic Urbes Arabum versus Mare Mediterraneum. Putem itaque fuisse Urbem, quæ *Kadesch*, vel plenius *Kadesch Barnea*, passim in S. Scriptura dicitur, unde nomen Κάδυτις, solita S Hebraici in T Syriacum & Græcum mutatione, analogice prorsus est formatum. Sita autem fuit etiam illa Urbs ad *Montes*, paulo supra Arabiam, & desertum Sin, vel olim in Hujus extremis finibus versus Cananæam. *Magna* etiam fuit, ut recte sic dici potuerit ab Herodoto, & cum *Sardibus* comparari. Et solebant tales esse Urbes in finibus sitæ, ut multitudine civium suorum (nam præsidia militum istis temporibus nondum erant usitata) tanto magis idoneæ essent ad repellendos Hostes. *Cades* autem illa describitur in libris *Numerorum* XXXIV. 4. 5. & *Josuæ* XV. 3. 4. tanquam Urbs præcipua, quæ *terminet* terram promissam *ad Austrum*, nec longe absit a *planicie* vel *cam-*

pis

pis Ægypti. Cum quibus conferenda jam Herodoti verba III. 5. ubi & ille *Cadytin* ita deſcribit, ut quæ fuerit Urbs *Syrorum Palæſtinorum*, h. e. Judæorum, & ſimul proxima *emporiis Arabiæ*, quæ ad mare ſe extendant, nec longe *ab Aegypto.* Sed aliquid in hoc Herodoti loco abundare videtur, quod hac occaſione breviter tollendum oſtendemus. Verba ſunt, Ἀπὸ γὰρ Φοινίκης μέχρι οὔρων τῶν Καδύτιος πόλιος, ἥ ἐστι Συρίων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων· ἀπὸ δὲ Καδύτιος τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τῆς Ἀραβίου· ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου αὖτις Συρίων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης· ἀπὸ δὲ Σερβωνίδος ἤδη Αἴγυπτος. Quatuor hic memorantur terræ tractus circa Arabiam & Aegyptum, & de ſingulis additur, cujus ſint Gentis. Atque ideo delenda eſt omnino vocula ἥ, ubi dicitur ἥ ἐστι Συρίων &c [a]. Nec enim id egit iſtic Herodotus, ut doceret; cujus Gentis fuerit Una illa Urbs, ſed potius, ut in ſequentibus, ita & hic oſtendere voluit, cujus Gentis eſſet totus ille terræ tractus *a Phœnice usque ad Cadytin.* Librarios videtur induxiſſe ad corrupte-

[a] Gronovius ad *l. d.* Herodoti legit γῆ ἐστι Σύρων, ac dicit *nuperis conatibus de Cadyti & Magdolo multa verba fieri, ſed nihil promoveri.* Reſpicit, ut puto, ad ea, quæ hic ſcribit Perizonius.

ruptelam hujus loci, quod Nominativum non reperiebant ante Verbum ἐςὶ: nec animadverterunt illi homines, sua nunc culpa locum hunc & sensum exsistere *hiulcum* & imperfectum, dum de subjecto, seu tractu illo inter Phœnicen & Cadytin, nihil prorsus prædicatur; ac dein, Ellipsin illam Nominativi in hoc ipso loco iterum, sed & una cum ipso verbo ἐςὶ, adhiberi ab Herodoto, quando mox ait, ἀπὸ δὲ Ἰηνύσυ αὖτις Συρίων μέχρι Σερβωνίδος. Nempe intelligitur utrobique eodem modo, vel πάντ' ἐςὶ, vel ἡ χώρα ἐςι. Sed & illa verba, μέχρι Ἰηνύσυ πόλιός ἐςι τῆς Ἀραβίυ, quæ vertuntur, *usque ad Urbem Jenysum Arabicæ sunt ditionis*, ut πόλιος referatur ad Ἰηνύσυ, malim exponere *usque ad Jenysum Arabicæ sunt Civitatis*, & ita in iis distinguere ante τὸ Πόλιος, idque referre ad τῆς Ἀραβίυ, quod ultimum ceteroquin absoluta & jejuna nimis constructione, seu dura nimis & incerta Ellipsi, hic poneretur. Notissimum autem est, vocem πόλιος æque totius Populi, ac Unius Urbis, Civitatem ac Rempublicam apud Græcos denotare. Hinc apud Joseph. *Antiq*. x. 11. ex Megasthene traditur Nebucadnezarem depopulatum Λιβύης τὴν πόλιν καὶ Ἰβηρίαν, h. e. *regionem* vel *Gentem Libyæ*, & *Hispaniam*. Si cui tamen hæc expli-

explicatio & distinctio non satis se probet, ille vero tum legat τῦ Ἀραβίυ, quod, ut ex Variis Lectionibus *Ed. Londin.* liquet, Codex quispiam exhibet.

Ceterum Cl. Clericus ad 2. *Regum* XXIII. 29. miram itineris, quod fecit cum agmine suo Nechos, rationem nobis exponit. Vult enim, duxisse exercitum per regionem Philistæorum secundum littus Maris, atque ita pervenisse ad Urbem *Mageddo* in dimidia Tribu Manassis, supra Samariam. Quo facto, prorsus utique præteriisset regnum Judææ, idque post tergum longe jam reliquisset. Atque ideo, si Josias voluisset ejus iter impedire, debuisset ei in hoc itinere occurrisse saltem apud Gazam, Accaronem, Azotum, aut etiam Joppen, quæ erant e regione, & in finibus sui Regni ad Mare; potius quam eum quærere & sequi usque ad *Mageddo* longe versus Septentrionem ab suo regno remotam [a]. Deinde progressum autumat victorem usque ad *Kedes*, Urbem in Tribu Naphtali & extremis finibus Regni Israëlitici versus Libanum, e regione Tyri, sitam.

a Aegyptios per oram maritimam progressos fuisse; Josiam per viam mediterraneam ab Hierosolymis Sichemum, Samariam, atque ita porro, ut in campo *Megiddo* uterque exercitus sibi occurreret, putat Relandus *Lib. III. Palaestinae*, v. *Megiddo*.

ſitam. At exputare haud queo, quorſum tanto circuitu, & eo quidem usque, uteretur Nechao, quum ſi maxime ſecundum mare iter feciſſet, ut Regnum Joſiæ evitaret, potuiſſet utique contendiſſe verſus Orientem, ſimulac illud præteriiſſet, nec opus habuiſſet aſcendere eousque verſus Septentrionem, antequam in Orientem, quo properabat, deflecteret. Certe *Kedes* illa toto, quod dicitur, cœlo diſtabat ab Herodotea *Kadyti*, quæ longe infra *Phœnicem*, juxta *Arabiam* & *Aegyptum* dicitur ſita, a quibus illa eſt quam remotiſſima.

Nechao autem, quum viciſſet Joſiam, contendit mox ad Euphraten contra Novum Babyloniæ Regem, Nabopollaſſarum, atque ibi occupavit *Carchemiſum*, urbem munitam, quam Simſonius ad *Am. M.* 3392. male putat fuiſſe *Cadytin* Herodoti, at rectius forſan alii plerique Interpretes volunt eſſe *Cercuſium* in confluentibus Chaboræ & Euphratis poſitam [a]. Sed tribus vel quatuor annis poſt Nebucadnezar a Patre præfectus exercitui ad eandem Urbem copias Nechaonis gravi clade percuſſit, Urbem ipſam recupe-

[a] Vid. Cellarium Tom. II. *Geograph. Ant. pag.* 437. *Edit. Amſt.* 1706.

cuperavit, atque inde in Syriam & Judæam progressus, hujus Regem Nechaoni jam subjectum, sibi subjecit, immo omnia usque ad flumen Aegypti, quæ fuerant Regis Aegyptii, occupavit, ut adeo ille Rex non ausus fuerit dein ex finibus Regni sui in Syriam excurrere, 2. *Regum* XXIV. 7.

Verum mirifice hic nos turbat Berosus Chaldæus in celebri illo Fragmento, quod exhibet nobis Josephus *Antiq*. X. 11. & *lib*. I. *contra Ap*. *pag*. 1044. & Georg. Syncellus *Chronographiæ pag*. 220. præter Eusebium, qui ex Josepho illud repetiit, *Præpar. Euang. lib*. IX. *circa finem*. Illustravit illud suis Notis Scaliger ad *Emend. Temp*. adjectis, & Scripturæ S. quam maxime consonum censet, eoque nomine sæpius & valde laudat. Sed tamen occurrunt istic ipso in initio, quæ, non video, quomodo liquido satis expediri, & cum aliis Auctoribus, atque ipsa Scriptura S. conciliari facile adeo possint. Nam ait, *Ἀκούσας δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ* (Ναβουχοδονοσόρου) *ὅτι ὁ τεταγμένος Σατράπης ἔν τε Αἰγύπτῳ καὶ τοῖς περὶ τὴν κοίλην Συρίαν τόποις ἀποστάτης αὐτοῦ γέγονεν, οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτι κακοπαθεῖν, συστήσας τῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως ἔπεμψεν ἐπ᾽ αὐτόν. Συμμίξας δὲ ὁ Ναβουχοδονόσορος τῷ ἀποστάτῃ, καὶ παρα-*

παραταξάμενος, αὐτȣ͂ τε ἐκράτησε, καὶ τὴν χώραν ἐκ ταύτης τῆς ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτȣ͂ βασιλείαν ἐποιήσατο. Τῷ δὲ Πατρὶ τȣ͂ Ναβȣχοδονοσόρȣ συνέβη κατ' αὐτὸν τὸν καιρὸν ἀῤῥωςήσαντι ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει, μεταλλάξαι τὸν βίον, ἔτη βασιλεύσαντι εἰκοσιέν. Αἰσθόμενος δὲ μετ' ȣ̓ πολὺν χρόνον τὴν τȣ͂ Πατρὸς τελευτὴν ὁ Ναβȣχοδονόσορος, καὶ καταςήσας τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα, καὶ τὴν λοιπὴν χώραν, καὶ τȣ̀ς αἰχμαλώτȣς Ἰȣδαίων τε καὶ Φοινίκων, καὶ Σύρων, καὶ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτόν ἐθνῶν συντάξας &c. αὐτὸς ὁρμήσας ὀλιγοςὸς διὰ τῆς ἐρήμȣ παρεγένετο εἰς Βαβυλῶνα. *Quum audivisset Pater ejus* (Nabuchodonoſori) *Satrapen, in Aegypto & Cœleſyriæ locis conſtitutum, ab ſe defeciſſe, neque ipſe poſſet amplius labores* bellicos *ferre, tradidit Nabuchodonoſoro jam adulto partes quasdam copiarum, & miſit eum contra illum. Nabuchodonoſorus vero congreſſus cum illo, qui deſciverat; conſerta acie, eum vicit, & regionem ab illo initio* (ſed in *lib. contra Ap.* ut & apud Syncellum pro ἐκ ταύτης τῆς ἀρχῆς legitur ſimpliciter ἐξαρχῆς h. e. *denuo, ut ab initio fuerat*) *regni ſui in ditionem redegit. Patri autem Nabuchodonoſori accidit eodem tempore, ægrotanti in Urbe Babyloniorum vitam cum morte commutare, quum regnaſſet annos* XXI. *Nabuchodonoſorus vero, quum non longe poſt intellexiſſet Patris mortem, ordinatis*

natis rebus in Aegypto, & reliqua regione, quum & captivos Judæorum, Phœnicum, Syrorum, & Gentium Aegyptiarum mandasset amicis quibusdam ducere Babylonem, ipse cum paucis profectus, per deserti viam pervenit Babylonem. Historiam hujus Fragmenti, seu expeditionem Nabuchodonosori hic memoratam, refert Josephus *lib.* 1. *contra Ap. d. l.* ad tempus proximum ante captam & destructam Hierosolymam, & concrematum ejus Templum, h. e. ad ultimos Zedekiæ Regis annos. Sed repugnat ratio Temporis declarati per mortem Nabopollassari, qui Pater Nabuchodonosori, non sub Zedekia, nedum post dirutam jam Hierosolymam, sed sub Jehojakimo, est mortuus. Sed & isthoc in Josephi loco Nabopollassarus dicitur regnasse annos εἴκοσι ἐννέα, XXIX. non εἰκοσιέν, XXI. ut legitur non modo apud ipsum Josephum in *Antiq.* & Eusebium, sed & apud Syncellum. Scaliger tamen, & Cappellus, ac Simsonius illud arripiunt & tuentur, atque adeo mortem Nabopollassari referunt non quidem ad ultimos Zedekiæ, nedum ad tempus post captam Hierosolymam, sed ad primos, vel proprie quintum illius Regis annum, inducti insuper loco Ezechielis I. 1. ubi *annus Trigesimus* simpliciter sine ullius Epochæ designatione ponitur, & confertur

cum *Quinto anno* a deportatione Jechoniæ, qui est Zedekiæ Quintus. Illum ergo volunt esse Trigesimum Nabopollassari annum, atque ideo illum mortuum anno Regni sui XXX. cum XXIX. annos regnasset. Nihil enim *rationi convenientius* putant, quam ut *Ezechiel Babylone agens designaverit tempus per annum Regis, cui parebat*. At vero quum Ezechiel postea demum hæc literis mandaverit, non debuisset, Babyloniis licet se accommodans, hunc tamen annum tribuisse Nabopollassaro, cui utique ipse Berosus, secundum Scaligeri & ceterorum sententiam, adscripsit annos tantum XXIX. qui ergo soli ab illo erant denominandi; sed Nabuchodonosoro, cujus hic Annus apud Babylonios debuisset fuisse & dici *Primus*. Accedit, quod ille *Trigesimus annus* Ezechielis tot & tam diversas habeat interpretationes, quot fere sunt Interpretes Chronologici, nec proinde ejus auctoritate res tam dubia affirmari deberet: Mihi videtur verisimillimum, hunc Annum esse Epochæ Babylonicæ, quæ cœperit ab initio Nabopollassari, quoniam tunc liberata fuit Babylonia ab servitute Assyriaca, & iste Nabopollassarus Primus iterum fuit Proprius Babyloniorum Rex, qui ante Eum tres ordine habuerant Assyrios Reges, in Urbe Ninive potissimum habi-

habitantes. Justa profecto & idonea hæc erat ratio Babyloniis constituendæ sibi novæ Epochæ, æque ac aliæ Gentes simili de causa fecerunt. Ita vero *Trigesimus* hic *annus* non foret Regni Nabopollassari, qui jam diu ante, & mortuus, & regnare desierat, sed Epochæ Babylonicæ, tunc, & forsan ad tempora Cyri usque, receptæ, & a qua etiam sequentes anni dici deberent *Trigesimus Primus*, *Secundus*, &c. Utcunque sit, nihil habemus hic rationis, quare lectionem εἴκοσι ἐννέα, XXIX. annorum, ex uno Josephi loco præferamus τῇ εἰκοσιὲν, XXI. quæ in altero Josephi loco, in Eusebio, & in Syncello constanter exprimitur, &, quod adhuc magis est, confirmatur etiam ex Canone Babylonico, qui itidem diserte XXI. annos Nabopollassaro tribuit, sicuti Nebucadnezari XLIII. quot etiam Berosus, cum isto Canone prorsus in hisce annis Regum exprimendis congruens, illi adscribit [a]. Adde, quod Nebucadnezar

 secun-

[a] In Josepho *adv. Apion.* perperam legi εἴκοσι ἐννέα etiam Marshamus censet *Canon. Chronolog. pag.* 587. *Ed. Lips.* & pluribus ostendit Vir Celeberr. Hieron. van Alphen in *Appendice Capitis* 8. *Lib.* II. *Commentariorum in Cap. IX. Danielis.* Ad ea, quæ porro de initio & annis regni Nabuchodonosori *hoc Cap.* disputat Perizonius, addenda sunt, quæ ibidem *d. Cap.* 8. leguntur.

secundum eos, qui Patri XXIX. dant annos, in ratione Chronologica, quam servavit utique iste Canon, debuisset *tantum* XXX. vel XXXI. habere proprios sibi annos (nam reliquos cum Patre dicitur regnasse) ne eosdem bis ille Canon in rationes suas nobis referret. Liquet ergo etiam ex eo, quam omnia Chronologiæ Babylonicæ, quæ cum Sacra hic nobis diligenter est conferenda, per istos XXIX. annos turbentur.

Sed si maxime jam tribuamus Nabopollassaro XXI. tantum annos, vel sic superest non exigua difficultas, in quem proprie annum Jehojakimi, Regis Judaici, mors Nabopollassari, & initium Nebucadnezaris, conferri debeat. Jeremias XXV. I. diserte & ex professo ait, *Quartum annum Iehojakimi* esse eundem, qui sit *Primus Nebucadnezaris Regis Babylonii*. Adde Josephum *Antiq*. X. 7. ubi anno jam *quarto Jehojakimi Nebucadnezarem accepisse Regnum Babyloniorum* ait. Sed & alibi, quum in Scriptura S. tum apud Josephum, designantur Nebucadnezaris anni ita, ut eorum *Primus* semper, saltem ex parte, in *Quartum* Jehojakimi incidat. Dico *ex parte*, quia sæpe numeri ita quoque computantur, ut *Primus* annus cum *Quinto* Jehojakimi videatur concurrere. Diserte Syncellus *pag*. 217.

217. *Quarto anno Jojakimi dicit Jeremias cæsum a Nabuchodonosoro Nechonem. Est autem Finis Quarti, Initium Quinti*, scil. iste annus, quo Nabuchodonosor percussit Nechonem; *Et sic nihil est discrepantiæ*. Nam ipse ceteroqui discrepare videretur, quia rem refert ad *annum Quintum Jojakimi*, sed *ineuntem*, *ἀρχόμενον*. Vide Eum *pag*. 221. Sed & res manifesta ex *Jeremia* LII. ubi in tempore captæ Hierosolymæ §. 29. dicitur Nabuchodonosor *anno* sui Regni XVIII. abduxisse captivos secum, & §. 12. dicitur *anno* XIX. per Nebuzaradanem combussisse templum. Judæi in *Seder Olam*, *cap*. 27. hanc discrepantiam sic expediunt, ut dicant, *annum* XIX. computandum ab Regno Nebucadnezaris, at XVIII. a debellatione Jehojakimi. Maluissem dici, priorem annum ab eo tempore repetendum, quo primum in Judæam venit Nebucadnezar, & pro Rege habitus est & cognitus a Judæis, posteriorem ab eo, quo Jehojakimum Regem in suam potestatem redegit. Sed rectius haud dubie erit, ut aliter hæc loca & verba Jeremiæ interpretemur, & ab eodem plane Nebucadnezaris anno primo hos numeros repetamus, sed diversitatem ponamus ex diversa parte Anni Unius ortam. Nempe annus XVIII. Nabuchodonosori adhuc agebatur,

batur, quando capta fuit Hierosolyma, post eam autem captam, & quinto anni istius Mense, quo destructa est Urbs & Templum, cœperat jam annus XIX. *Videntur* autem, quos ipse Nebucadnezar dicitur abduxisse anno XVIII. fuisse vel captivi, quos in ipsa obsidione ceperat, vel præcipui Urbis Hierosol. Cives; at quos Nebuzaradan deinde anno jam XIX. abduxit, fuisse ex residuo mediocris fortunæ populo. Jam vero etiam Josephus identidem annum captæ Hierosolymæ, qui Zedekiæ est Undecimus, dicit *annum* XVIII. Nabuchodonosori. Vide Eum *Antiq.* X. II. *pag.* 342. & *lib.* I. *contra Apion. pag.* 1046. Ast hic ipse XVIII. *annus* Nebucadnezaris ab Jeremia XXXII. I. comparatur cum *Decimo* Zedekiæ. Recte ergo cum utroque comparari potuit, ut *Decimo* cœperit, *Undecimo* desierit. Sed & similiter *Septimo anno* Regni sui dicitur *Jerem.* LII. 28. abduxisse Nebucadnezar captivos XXIII. supra tria millia, quod accidit haud dubie post captum & occisum Jehojakimum, at idem annus, sed post deditum jam Jechoniam, quando etiam longe plures dicuntur Babylonem deportati, vocatur *Octavus*, 2. *Regum* XXIV. 12. Minori annorum numero congruit etiam Josephus, quando *Antiq.* X. 7. *pag.* 336. *Quartum*

annum

annum Nabuchodonosori dicit esse *Octavum Jojakimi*. Sic enim concurrent etiam *Septimus* Nabuch. & *Undecimus*, seu Ultimus, Jojakimi. Sed & inde *Tertius & Vigesimus* Nabuchod. est *Quintus* post captam & vastatam Hierosolymam apud Josephum x. 11. *pag*. 345. cum quo loco conferas velim Jeremiam LII. 30. ubi eadem Historia ad eundem Nebucadnezaris annum refertur. Liquet ex his, Primum, & Ceteros Nebucadnezaris Annos incurrere semper in duos simul Regis Judaici; nam inde oritur ista computationis diversitas. Eodem modo se res habet etiam in ipsa Nebucadnezaris prima expeditione commemoranda. Nam Daniel I. 1. *Anno tertio Jehojakimi* venisse Nebucadnezarem in Judæam ait, at Jeremias XLVI. 2. *Anno Jehojakimi quarto* copias Nechaonis cæsas ad Carchemischum a Nebucadnezare, qui hoc facto demum venisse in Judæam videtur. Nempe *Tertio* Jehojakimi anno profectum contra Aegyptios & eorum Socios, statuamus necesse est. Eo itaque Anno cœpit hoc bellum moveri, & quasi initium fieri veniendi in Judæam. Tunc enim obsedit Nebucadnezar Carchemisum ad Euphraten, quam Urbem tribus fere annis ante occupaverat Nechao. Sed quum difficilis esset illo tempore Urbium muni-

nitarum oppugnatio, verisimile est, aliquandiu ipsum in ea obsidione hæsisse, atque ita venisse interim Nechaonem cum copiis ex Aegypto, sed quæ profligatæ istic sunt a Babyloniis anno jam Jehojakimi *Quarto*. Tum vero etiam Carchemisum mox cepit Nebucadnezar, & inde in Judæam, cujus Rex erat Nechaonis Amicus & Tributarius, venit anno illo *Quarto* jam ad finem decurrente.

Sic ergo habemus *Primum* Nebucadnezaris annum, & ejus initium incurrens in exeuntem jam Jehojakimi *Quartum*. Sed vel sic manet incertum, quo proprie anno mortuus fuerit ejus Pater, Nabopollassar, seu utrum *Primus* iste Nebucadnezaris annus incipiat a Morte Patris, an vero ab illo tempore, quo primum in Judæam venit, ejusque Regem vicit ac sibi subjecit: atque adeo alius in Scriptura Sacra & apud Judæos, alius apud Berosum & Babylonios, fuerit *Primus* Nebucadnezaris annus, quod multi volunt. Certe Patrem demum post cœptam hanc expeditionem, immo postquam Filius jam domuerat Judæam & pleraque Syriæ, diem suum obiisse, ex Berosi fragmento patet. Accedit, quod *Trigesimus* ille *annus* apud Ezech. I. 1. prima specie non aliunde videatur ducendus, quam

ab

ab usitata tunc in Regno Babyloniæ Epocha, quum nihil prorsus addatur, quod ab alio cujuscunque rei initio hunc annum repetat, aut ad aliam rem referat. Vix autem alia potuit Epocha hæc esse, quam quæ ab initio Nabopollassari cœpit, partim quia Primus ille & Proprius iterum, ut modo ostendimus, liberatæ ab Assyriis Babyloniæ Rex fuit, qua ex re novæ Epochæ solebant constitui, ut vel ex Epochis Seleucidarum, Antiochena Cæsaris, Augustea, Diocletianea, liquet: partim quia in illud circiter tempus xxx. annorum ante istum Ezechielis annum necessario incidere debuit Nabopollassari initium, quippe cujus Annus Quintus ex Observatione Cœlesti Lunaris Eclipseos in ipso quum sit certissimus, necesse est, ut Primus ejus Annus, quando cum Chronologia Hebraica comparatur, inciderit in annum Josiæ XVII. secundum Petavium, vel XVIII. secundum Scaligerum. Jam vero si ab hoc Scaligeri anno computationem xxx. annorum instituamus, incidit Trigesimus ipse annus in *Quintum a deportatione Jechoniæ*, ut facere debebat secundum Verba Ezechielis. Nam initio facto ab XVIII. Josiæ, qui XXXI. regnavit annos, sic supererunt ex ejus Regno residui XIV. anni, in quibus compre-

hendere debemus Tres Menſes Filii ejus Jehoachazi. Illis jam ſi addamus XI. Jehojakimi, & V. Jechoniæ, ſic habebimus XXX. ex XIV. XI. & V. recte conflatos. Omnia hæc ſic ſatis bene ſe haberent, ſi primis reſponderent ultima, aut ſi non in comparatione Annorum Jechoniæ deportati & iſtius Epochæ diſcrimen duorum annorum reperiretur manifeſtiſſimum. Etenim certum eſt ex *Jerem.* LII. 31. & 2. *Regum* XXV. 27. annum XXXVII. Jechoniæ dep. incurrere in ultimum plane annum Nebucadnezaris, cujus ipſius in extremo jam regnaverit Evilmerodach illius F. & Succeſſor, quippe qui illo anno Jechoniam ex carcere produxit in aulam. Jam vero ſi *Quintus* annus Jech. reſpondet anno XXX. Epochæ ab Nabopollaſſari initio ductæ, tum utique XXXVII. Jech. annus incurrit in annum LXII. iſtius Epochæ, qui tunc neceſſario ultimus foret Nebucadnezaris. Atqui ultimus Nebucadnezaris debet omnino eſſe LXIV. ab initio Nabopollaſſari, ſiquidem Hic XXI. annos, & Nebucadnezar ipſe XLIII. regnavit, quod eos feciſſe conſtat ex Beroſo ſimul, & Canone Nabonaſſareo ſeu Ptolemaico. Quod ſi concederetur nobis in Ezechielis loco pro *Trigeſimo anno* legere *Secundo & Trigeſimo*, ſeu לב׳ pro ל׳/ omnia forent expeditiſſima.

Sed

Sed quia hoc impetratu difficillimum est, relinquamus *Trigesimum* illum annum suæ incertitudini. Nam quod alii Eum repetunt ab Aetate ipsius Ezechielis, vel ab Jubilæo, vel ab invento Legis Libro tempore Josiæ, alienissima sunt: debuissent enim ea, & facile potuissent, saltem uno exprimi verbo. Ceteroquin enim intelligi & agnosci non potest nuda adeo temporis designatio, & ideo, ut nunc fit, in varias spargitur interpretandi conjecturas. At publica & cognita tunc Epocha ut nuda tali & absoluta annorum designatione intelligatur, & denotetur, usitatum est. Sic Seleucidarum vel *Græcorum* Epocham videas in Maccabaicis raro nominatim exprimi, sed passim per annos absolute & simpliciter positos designari. Verum faciamus hæc missa, & aliis investigemus rationibus mortem Nabopollassari. Ostendit nobis eam *Trigesimus & Septimus* ille Jechoniæ annus cum *Ultimo* Nebucadnezaris concurrens. Hinc enim si retro regrediamur per illos XXXVII. & Sex insuper ultimos Jehojakimi, qui XI. regnavit in universum, habebimus in *Sexto* Jehojakimi Primum XLIII. annorum, qui a Babyloniis constanter tribuuntur Nebucadnezari, & in *Quarto* Primum XLV. annorum. Satis ex eo manifestum, mortuum ergo Nabo-

pol-

pollassarum anno *Quinto* vel *Sexto* Jehojakimi, certe *Sextum* hunc fuisse apud Babylonios Primum Nebucadnezaris. Adde ex Daniele II. 1. *Annum Secundum Regni Nebucadnezaris*, qui Alius ante *Septimum* Jehojakimi esse non potest, sed *Septimus* esse potest. Etenim abductus est Daniel anno quarto Jehojakimi Babylonem, & istic jussu Regis *tribus annis* lingua & literis Chaldæorum institutus, ut *exactis illis consisteret coram Rege Dan.* 1. 5. Deinde vero §. 18. dicitur re ipsa *exactis illis Diebus*, h. e. tribus annis, *quibus exactis edixerat Rex, ut adduceret eos Princeps Aulicorum*, adductus ad Nebucadnezarem, & illi præ ceteris placuisse. At *Cap.* 2. refertur, quid acciderit *anno Secundo Regni Neb.* quomodo jusserit Rex omnes Magos & Sapientes occidi, & ideo etiam Daniel ad necem fuerit quæsitus, sed qui adierit Præfectum Satellitum Regis, & dein Regem, atque enarraverit & exposuerit ejus Somnium; quapropter Rex eum *præfecerit regioni Babyloniæ, & extulerit supra omnes Sapientes Babyloniæ, Dan.* II. 48. *Tres* ergo illi *anni* educationi Babylonicæ Danielis impensi, *exacti* jam fuerunt ante *Secundum Regni Nebucadnezaris*, quippe quo anno Daniel jam inter Magos & Sapientes Babylo-

bylonlæ erat receptus, & quo ad summam fuit dignitatem evectus. Congruunt autem illi *Tres anni* cum exeunte *Quarto* (nam *Tertio* cœpit Bellum) *Quinto*, *Sexto*, & *Septimo* ineunte Jehojakimi. Ille autem *Sextus* est Nebucadnezaris *Primus*. Et ita *Septimus* illius, Hujus est *Secundus*. Neque vero potest Hic *Secundus* fuisse proximus a Quarto, seu *Quintus*, Jehojakimi, quia tum Daniel adhuc inter Pueros educabatur, & Nebucadnezar sine dubio adhuc hæsit in Syria. Neque enim credibile est, illum tam facile occupasse omnia usque ad Aegyptum, ut uno anno ea absolverit. At *Secundo* illo sui *Regni anno* sedebat jam Nebucadnezar domi in Urbe Regia otiosus. Hunc autem Annum Daniel *Secundum* dixit, Babylonios secutus, inter quos tum vivebat, & apud quos ille annus erat Nebucadnezaris *Secundus*, plane uti in Belsazaris, Darii Medi, & Cyri annis Babylonios itidem sequitur. Nam alius etiam Darii erat & Cyri *Primus annus* apud Medos & Persas, alius apud Babylonios. Adde jam his, non satis probabile videri, Nabopollassarem Quarto jam vel Tertio Jehojakimi anno decessisse, atque ita Filium tunc vere *accepisse* jam *regnum* paternum, ut ait Josephus; & tamen hunc Filium ita statim a Morte Patris,

tris, & Primo apud Babylonios sui Regni anno, ausum tam gravem & ancipitem in remotiores terras suscipere expeditionem, quod utique in Novo Regno, quale *Hoc* istius Familiæ tunc erat, satis fuisset periculosum. Quæ etiam causa, quare Filius accepta morte Patris statim cum paucis reverterit, ut tradit Berosus, & raptim advolaverit Babylonem, haud dubie, ne qui res novas istic molirentur, ut ferme fit, quando fatis cessit ille, qui primus novum condidit sibi & suæ familiæ imperium. Sed & ex Beroso manifestum, vixisse Patrem, quando Filius in hanc expeditionem ab eo missus & profectus est; vixisse etiam aliquandiu, dum Filius in ea fuit expeditione, in qua, victo Hoste, *τὴν χώραν ὑπὸ τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἐποιήσατο*, *regionem* Judææ & Cœlesyriæ *sub sui Regni ditionem redegit:* nam audita morte Patris demum Filius confestim, rebus, ut potuit, ordinatis, *cum paucis* brevissima via *per Desertum revertit Babylonem*; denique vixisse igitur Patrem etiam post debellatum a *Filio* Jehojakimum, post occupatam Hierosolymam, atque adeo post Quartum Jehojakimi annum, & forsan Quintum, si non Totum, saltem magnam ejus partem. Quapropter, ut omnia in justum redigamus ordinem, videtur omnino Pater misisse Filium

lium in hanc Expeditionem anno *Tertio* Jehojakimi exeunte: Filius vero vicisse Nechaonem Aegyptium anno *Quarto* Jehojakimi, jamque Victor progressus in Judæam, facile eam eodem anno debellasse, quæ causa fuit haud dubie, quare Hebræi seu Sacri Scriptores hunc Annum dixerint & computaverint *Primum* Nebucadnezaris [a]: *Quinto* dein anno Jehojakimi *subjecisse suo Regno* totam *Regionem* usque ad Aegyptum, adeo, ut Aegyptius Rex non amplius suo ex Regno in Syriam excurrere fuerit ausus. Sed eodem anno exeunte Pater videtur morbo vel senio exstinctus, & ideo Filius revertisse quam primum Babylonem, ut adeo *Primus* ejus Annus apud Babylonios fuerit idem, qui *Sextus* Jehojakimi. Forsan & ideo Jehojakimum, quem jam *vinxerat catenis, ut Babylonem abduceret* 2. *Chron.* XXXVI. 6. restituit tunc in Regnum, sed sub Lege Tributi sibi pendendi, ut factum ab eo tribus annis, sed & postquam Danielem atque alios jam dudum per Aschpenazum, præfectum aulicorum, præmiserat Babylonem, literis & moribus Chaldæorum imbuendos. Ita ergo Nebucadnezar Sexto Jehojakimi anno ineunte,

a Huc quoque addi volebat Auctor ea, quæ *pag.* 466. & 467. his signis [ ] inclusa sunt.

te, vel Quinto exeunte, rediit Babylonem constitutis in Syria rebus, & ideo jussis subsequi ducibus reliquis cum copiis ipsis & captivis. Atque ita Primum ille annum Regni Babylone egit, ac *Secundum* itidem, quo somniavit istic somnium, quod Daniel exposuit *Dan. Cap.* II. Sed & ita ille *Primus & Vigesimus annus*, quo mortuus est Nabopollassar, congruet cum anno Jehojakimi *Quinto*, non *Tertio* vel *Quarto*; atque adeo *Primus* in S. Scriptura Nebucadnezaris annus cœpit non a Morte Patris, sed ab Judæa tunc domita & in servitutem ab ipso redacta, ac proinde duobus minimum annis discrepat a *Primo* ejus anno apud Babylonios. Quocirca tribui ei debebunt ex calculo S. Scripturæ anni in universum XLV. quot etiam Judæi in *Seder Olam Cap.* 28. diserte ei tribuunt, quum Babylonii ei adscribant annos tantum XLIII. quia Hi Regni ejus initium, ut oportebat, a Morte Patris derivabant. Accedit, si qua in his est, auctoritas Sulpicii Severi, qui *Historiæ Sacræ* II. 5. narrat *in libello jam per ætatem interpolato*, h. e. attrito, obliterato, *in quo Regum Babyloniorum tempora continebantur*, se *reperisse*, Nabuchodonosorum *post victum Zedekiam, & Babylonem translatum, regnasse* XXVI. *annos*. Vicit autem & certe Babylonem deportavit Zede-
kiam

kiam *anno Regni* XIX. ut diſerte traditur *Jerem.* LII. 12. Jam vero ex XIX. & XXVI. annis conficiuntur plane XLV. anni, qui Regno Nebucadnezaris ex Judæorum calculo tribuendi ſunt. Hi autem ipſi anni valde etiam opportuni ſunt ad explendum Servitutis Babylonicæ LXX. annorum intervallum a Quarto Jehojakimi anno usque ad Cyrum. Nam ſi XLV. tribuamus Nebucadnezari, duos Evilmerodacho, quatuor Nerigliſſori, comprehenſis hoc ſpatio Laboroſarchodi IX. menſibus & ideo in Canone Babylonico prætermiſſis, Tum XVII. Nabonadio, Duos denique Dario Medo, quem ſequitur Cyrus, ſic habebimus ipſos LXX. Servitutis annos ante Cyrum. Lubens ergo mea hic vineta cædam ipſe; nec enim is ſum, qui non diſcere me agnoſcam in docendo & ſcribendo, quando demum, quæ ſparſim antea legimus, in unam & arctiorem nectimus ſeriem, & inter ſe comparando ſingula, diligentius omnia denuo inveſtigamus & exploramus. Multo vero minus is eſſe aut haberi volo, qui mordicus mea tueri ſtudeam, ſi humani quid me paſſum ſentiam, aut meliora vel ſaltem ſpecioſiora dein videam ac probare debeam. Hinc ergo, quod disputavi, ſed quaſi prætereundo, contra hoc duplex initium Nebucadneza-

ris ex ſententia Petavii, in *Babylonicis pag.* 118. 119. factum jam ferme nollem. Verum quidem eſt, quod ſecundum *illam* computationem, quæ *Septem* annos tribuit Nebucadnezari ante deportationem Jechoniæ, ſi his Septem addantur dein XXXVII. anni poſt deportationem, quod incidant illi ſic juncti in annum XLIV. quorum ultimus recte poſſit Evilmerodacho tribui, qui Jechoniam tunc reſtituit: tanto magis, quoniam non perhibetur poſt annos XXXVII. reſtitutus, ſed in *anno Septimo & Trigeſimo*, qui inſuper dicitur *Annus Evilmerodachi*. Sed tamen ex calculo illo, quo *Octo* Anni ante deportationem Jechoniæ adſcribuntur Nebucadnezari, ut fieri vidimus, etiam XLV. hic reperiemus annos. Nam Octo additi illis XXXVII. faciunt ipſos XLV. annos, quot Nebucadnezaris Regno in S. Scriptura ex iis, quæ disputavimus, erunt aſſignandi. Sed ita ſtatuendum erit, Evilmerodachum ſtatim in initio Regni *ſui*, ut ſolent talia tunc maxime fieri, ſeu *illo* ipſo anno, quo Pater eſt mortuus, produxiſſe Jechoniam ex carcere, tanto magis, quoniam Jechonias ultima anni parte, ſeu *quinto ac vigeſimo die Menſis Duodecimi*, carcere liberatus traditur ab Evilmerodacho, ergo haud dubie ipſo

XXXVII.

XXXVII. anno, qui XLV. eſt Nebucadnezaris, eo anno mortui ſecundum hanc rationem, a cujus morte incipit *Annus Evilmerodachi.*

Ceterum Joſephum hic miror, qui Hiſtoriam hujus Expeditionis & Jehojakimi annos longe aliter ordinat, ac debuiſſet. Scribit enim Antiq. x. 7. *Anno quarto Jehojakimi* Nabuchodonoſorum quendam *ſuscepiſſe Babyloniorum Regnum*, τὴν Βαβυλωνίων Ἀρχὴν παραλαμβάνειν; qui eodem tempore, magno cum apparatu aggreſſus Carchemiſchum, ad Euphraten vicerit Nechaonem, accurrentem ad eripiendam obſidione ſuam tunc Urbem. Tum vero Nabuchodonoſorum *tranſiiſſe Euphraten, totamque Syriam usque ad Peluſium*, Urbem Aegypti, *occupaſſe*, παρὲξ τῆς Ἰȣδαίας, *excepta Judæa.* At quare, quæſo, Judæam ille reliquiſſet intactam, quæ tunc erat amica & tributaria Aegyptiis, & in recta via ferente in Aegyptum ſita? Deinde vero diſerte Daniel I. 1. 2. Nebucadnezarem ait in hac prima expeditione, cujus initium ille refert ad annum Jehojakimi *Tertium*, veniſſe in Judæam, obſediſſe & cepiſſe Hieroſolyma, ac Regem ipſum redegiſſe in ſuam poteſtatem, denique ita ſe, & alios juvenes ſecum, abductos tunc Babylonem. Sed aliter Joſephus *Tertium*

Ii 2 illum

illum *annum* accepit. Nempe addit, Nebucadnezarem demum *Quarto sui Regni anno, & Octavo Jojakimi, bellum fecisse Judæis magno cum exercitu, & postulasse ab Rege Tributum, qui &, quantum imperatum erat, illi præstiterit, ἐπὶ ἔτη τρία, in tres annos.* Sed *Tertio anno* (qui fuit hac ratione ultimus & undecimus Jehojakimi) *Hunc, quum audivisset Aegyptios proficisci contra Babylonium, non amplius misisse Tributum;* quapropter mox ab adventante Rege Babyl. & in Urbem recepto, fuerit *interfectus.* Arripiens hæc Marshamus *pag.* 496.[a] affirmat quoque Jehojakimum *octavo* demum Regni sui anno a Babylonio fuisse victum, sed & restitutum sub lege tributi sibi pendendi. *Ab hoc ergo renovati regni exordio Annum tertium Jehojakimi numerare Danielem* I. 1. ait. At vero apud Danielem simpliciter & plane *Annus Tertius* למלכות *Regni Jehojakimi* memoratur, quod utique non aliunde, quam a primo Totius Regni initio est repetendum. Quapropter non est illud, quod Marshamus facit & Josephus, interpretari, sed planam Scripturæ S. sententiam suis glossis pervertere & exstinguere. Certe res longe aliter se habuit, ut ex Sacris Codicibus patet. Scilicet Nebucadnezar in illa prima expe-

a *Pag.* 531. *E. L.*

expeditione venit quoque in Judæam, & Regem ejus Jehojakimum vicit, anno ejus Regni jam *Quarto*. Hinc initium, seu *Primus* annus, Nebucadnezaris in istum Jehojakimi ab Judæis refertur, quippe qui tunc primum cognoverunt eum, & senserunt; & Dominum sunt experti. Jehojakimus itaque victus, & vinctus & Babylonem abducendus (2. *Chron*. XXXVI. 6.) Tributum polliceri Nebucadnezari debuit, & solvit tribus annis, quibus elapsis anno jam Regni sui Octavo, non amplius pendere illud voluit, forte quia tunc Nebucadnezar audita Morte Patris in Babyloniam jam dudum redierat, ut & Exercitus, cum Captivis subsequi jussus. Quocirca Nebucadnezar, tribus fere annis post, secundam in Judæos expeditionem adornavit, præmissis, quæ Jehojakimum invaderent, variarum Gentium turmis, a quibus & captus ille, & occisus, & insepultus abjectus est. Quum vero Populus ejus Filium Jechoniam ipsi dedisset successorem, Nebucadnezar, qui interim ipse advenerat, eum quoque Hierosolymæ obsessum, & se dedere coactum, Regno spoliavit, idque transtulit in ejus Patruum Zedekiam. Hic verus videtur istius Historiæ ordo & nexus, cui concinit etiam Syncellus, sed bis hac in parte corruptus, & ideo hic emendandus.

dus. Tradit ille *pag.* 218. Nechaone victo & sublato, Nebucadnezarem *Quarto Jehojakimi anno* venientem in Judæam καταδουλώσασθαι τὸν Ἰωακεὶμ ἔτει Γ, τοῦτ' ἐστιν, ἕως τοῦ Η ἔτους αὐτοῦ Ἰωακείμ. Lege omnino ἔτη Γ. ut manifestum ex sensu, qui est, Eum *in servitutem redegisse Jehojakimum annis tribus, h. e. usque ad annum ipsius Jehojakimi Octavum*, scil. ineuntem. Similiter *pag.* 221. καὶ ἐλθὼν ἐπὶ Ἰωακεὶμ καὶ τὴν Ἰουδαίαν, κατεδουλώσατο τὸν Ἰωακεὶμ Γ. ἔτει (lege iterum ἔτη, ut patebit & hic ex seqq.) ὥς φησιν ἡ Δ. τῶν Βασιλείων, καὶ ἡ Β. τῶν Παραλειπομένων, καὶ Μετὰ Τρία Ἔτη ἠθέτησεν αὐτῷ, *Et profectus contra Jehojakimum & Judæam, subegit Jehojakimum in annos tres, ut ait Liber Quartus Regum, & Secundus Chronicorum.* (Sed Hic tantum in Versione Græca, non item in Hebraico Codice, ubi nulla fit mentio trium annorum) *Et post TRES ANNOS defecit ab illo*, scil. a Nebucadnezare Jehojakimus. Vides emendationem esse manifestam; vides etiam, Lector, *Tres* illum *annos* statim post *Quartum* Jehojakimi ponere, ut oportebat ex Scriptura Sacra, quæ nullam nobis memorat Nebucadnezaris in Jehojakimum expeditionem, nisi anno Hujus *Quarto*, & Ultimo sive *Undecimo*. Ceterum quum Jehojakimus anno illo Quarto tributum

tum polliceretur Nebucadnezari, relictus est in Regno: & spoliatum quidem Templum, sed deportatio Hominum, licet ab ea incipiant LXX. Servitutis & Deportationis Babylonicæ anni, non magna tamen fuit, quantum ex S. Historia possumus colligere. Hanc ergo causam esse arbitror, quare Jeremias XXXVI. 9. etiam *Quinto Jehojakimi anno* jam ad finem vergente, seu *Mense* ejus *Nono*, recitari per Baruchum curaverit volumen Propheticum, quod Rex laceraverit & combusserit, quia scriptum in eo erat (vide §. 29.) *omnino venturus est Rex Babyloniæ, & perditurus terram hanc, facturusque ut cessent ex ea Homines & Jumenta.* Satis enim apparet dici ista non de *Prima* hac expeditione, sed de duabus sequentibus, & maxime de ultima, in qua destructa est Hierosolyma, & Gens ipsa in servitutem deportata. Ratio ergo hujus Prophetiæ est, quasi Propheta voluisset dicere; Non esse, quod se defunctos jam putent malis, quæ a Nebucadnezare ipsis exspectanda jussu Dei denunciaverat, siquidem Nebucadnezar jam venisset in Judæam, & abductis licet aliquot captivis & spoliis, Regem tamen in Regno reliquisset; nam venturum etiam deinceps, & terram plane perditurum. Quin addit deinde §. 30. Deum in ipsum

 hunc

hunc Regem Jehojakimum quoque animadversurum, & cadaver ejus abjectum iri sub dio insepultum.

Satis ex his omnibus liquere jam puto, Nabopollassarum, Nabuchodonosori Patrem, regnasse *Unum & Viginti* tantum Annos, ac dein Mortem ejus incidisse in Annum Jehojakimi *Quintum* vel *Sextum*, postquam Filius duos minimum, vel summum tres fere annos Expeditioni in Judæam & Syriam impendisset. Hæc autem si vera sunt, ut videntur, tum sane Fragmentum illud Berosi, de quo agere jam cœpimus, ad Primam hanc Nebucadnezaris expeditionem *anno Quarto Jehojakimi* factam necessario est referendum, quia Mortem Nabopollassari affirmat accidisse post illam jam dudum cœptam. Adde ex ipsis Berosi verbis liquere *Primam* hanc fuisse Nebucadnezaris expeditionem, siquidem Pater dicitur *non amplius potuisse labores* bellicos *tolerare*, & ideo, & quia Filius jam *erat in robore ætatis*, permisisse illi exercitum. Manifestum ex his, Filium ergo, antea nondum idoneæ ætatis, nullas ante hanc expeditiones, sed Patrem eas per se, obiisse. Falluntur idcirco Scaliger & Alii, qui ad seriora tempora hoc Berosi fragmentum rejiciunt. Sed tamen repugnat hujus Temporis

poris

poris Rationi & Historiæ tota Gentium, quæ ibi sit, Descriptio. Dicitur enim (Vide supra *pag.* 480. 481.) *Satrapen in Aegypto & Cœlesyria constitutum ab Nabopollassaro defecisse, & ideo contra Eum a Patre jam Sene missum cum copiis Filium, qui Satrapen illum vicerit, & Regionem sibi denuo subjecerit. Interim vero Patrem oppetiisse mortem, quo audito Filius raptim advolaverit Babylonem.* Atqui ille, contra quem missus & profectus est Nabuchodonosorus, fuit Pharao Nechao, Rex Aegypti, qui tantum abest, ut fuerit *Satrapes Regis Babylonici in Aegypto*, ut e contrario ante tres minimum annos ipse bello aggressus ultro fuerit Babylonios, & Carchemischum ad Euphraten ceperit: Immo si credimus Josepho *Antiq.* x. 7. (nec tamen rationem habemus idoneam, cur ei fidem hic negemus) *totam sibi Syriam habuit subjectam*, ὑπὸ τούτῳ γὰρ ἦν ἅπασα ἡ Συρία, ait. Quod vero Syria, nedum Aegyptus, in Nabopollassari ditione jam antea fuerit, id nusquam reperimus, nec quisquam id sibi repertum aut lectum ostendit. Nam quod Petavius *de Doctrina Tempp.* IX. 67. *verisimile* ait, *Nabopollassarum perdomita Syria & Aegypto, & sub tributum redactis Regibus, quo illos in officio contineret, Satrapam illic*

 con-

constituisse: qui fortasse cum Nechao, Aegypti Rege, aliisque conspirans, a Nabopollassaro defecit, & a Nabuchodonosoro victus est: Ego illud neutiquam *verisimile* dixerim, quum neque in Judaica, neque in Aegyptiaca, quæ hoc jam tempore paulo est locupletior, Historia ullum ejus rei vel minimum deprehendatur vestigium. Cum Nabopollassaro nihil belli fuit Josiæ, nihil Nechaoni, nisi postquam Hic ultro eum oppugnavit, haud dubie, ut Syriam Assyriorum imperio antea subjectam sibi nunc vindicaret, & novum Babyloniorum imperium ex ea excluderet. Scaliger in Notis ad hoc *Fragm.* per illum *Satrapen qui desciverit*, designari putat hunc Nechaonem. *Verum id minime Berosi Historiæ congruere* censet Petavius *d. l. quæ unum duntaxat Regionibus illis præfectum fuisse Satrapen doceat*. Nihil hic video argumenti, quare Scaligeri sententia non satis congruat Berosi Historiæ, aut saltem his ejus verbis, & quare hic Nechao non fuerit *Unus* ille *Satrapes*. Ego in Scaligeri sententia hoc tantum desideraverim, quod credidisse videtur Vir Summus, rem, de isto Satrapa traditam a Beroso, fuisse veram. Nam *Satrapen*, inquit, *Aegypti* (Berosus) *vocat, quod Aegyptiis Rex impositus esset a Nabopollassaro, a quo postea defecerit. Sed de hac*

re Herodotus nihil monet, quod Sacerdotes Aegyptii id non indicarint. Non *indicarunt*, quia non fuit verum; Nam Nechao *Regnum* accepit a Patre Psammeticho, Rege satis potente & bellicoso, qui & Azotum Syriæ, ab Assyriis occupatam, in suam ditionem redegerat obsidione longissima; non *Satrapiam* a Nabopollassaro Babylonio. Deinde, etiam victus tandem a Babyloniis, *Regnum* tamen sibi retinuit & asseruit, sed non ausus est dein multum excurrere in Syriam, ut antea fecerat. Liber ergo & sui juris etiam post illam cladem fuit Rex, ac Regnum reliquit Filio Psammi. Non ergo incusaverim in his Aegyptios Sacerdotes, sed Berosum Chaldæum, suis Babyloniis hic nimis faventem. Hoc enim æque præstitit ille suis, ac Manetho Aegyptiis, ut observavit Syncellus *pag.* 17. ubi eorum Historiam pariter dicit ἐπίπλαστον *confictam*, dum quisque voluit τὸ ἴδιον ἔθνος δοξάσαι, *propriam sibi Gentem gloria extollere*. Eadem fere disertius notat *pag.* 37. ubi Berosum & Manethonem falsi arguit (Græca adscribam, quia corrupta sunt) ἐξ ὧν ἑκάτερος αὐτῶν ἑαυτὸν συνιςῶν, θάτερ.ς (lege θατέρȣ) ȣ μέμνηται, ȣδὲ συνιςᾷ ὁ τῶν Αἰγυπτιακῶν καὶ (lege omnino τὰ, ut manifestum ex sequentibus) τῶν Χαλδαϊκῶν, περὶ αὐτȣ̀ς, ὡς

ὡς φασὶ, ψευδόμενοι (lege ψευδόμενα) γεγονότα, οὐδ' ὁ τῶν Χαλδαϊκῶν τὰ τῶν Αἰγυπτιακῶν. ἀλλ' ἕκαστος τὸ ἴδιον ἔθνος καὶ τὴν πατρίδα δοξάζων, ἀράχνας ὑφαίνει, *eo quod uterque ipsorum se ipse commendans, alterius non meminit, neque laudat Aegyptius Scriptor res Chaldaicas*, tanquam *de se ipsis, ut ajunt, falsa tradentes, neque Chaldæus res Aegyptiacas, sed singuli propriam Gentem & patriam extollentes, aranearum telas texunt*. Tali autem spiritu agitatus revera fuit Berosus, quando isthæc illius Fragmenti verba scripsit. Nec enim quidquam juris aut potestatis Nabopollassarus habuit in *Aegyptum*, & tamen ille, ab Eo τεταγμένον ἐν Αἰγύπτῳ Σατράπην, *constitutum in Aegypto Satrapen*, nobis obtrudit. Neque vero in *Syria* quidquam tenuisse Babylonius videtur, certe nihil ejus reperimus: nec credibile est, novum Regem, qui ab Assyriis defecit, eosque cum Cyaxare Medo debellavit, ausum statim remotas longius regiones bello petere, quum satis haud dubie negotii habuerit in ordinandis rebus Babyloniæ, Mesopotamiæ, & ipsius Assyriæ, quæ illi cesserunt. Sed tamen quia Syria quoque & Arabia, immo ipsa Israëlitici Regni terra, in ditione fuerunt Assyriorum, iisque quasi successerunt hi Babylonii Reges, ideo Berosus omnia hæc Nabopollassaro confiden-

dentius tribuit, eorumque Reges pro *Satrapis* illius habet, male id quidem; at vero etiam Regem Aegyptium pro eo haberi, omnium minime ferri potest. Nihilominus Aegyptias quoque res ille tamen, sive vanitate quadam, seu æmulatione potissima in Aegyptios, his Babyloniis voluit subjectas. Quamobrem & mox ibidem ait, Nabuchodonosorum accepto de Patris morte nuncio, prius, quam reverteretur Babylonem, ordinasse etiam τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα, *res Aegypti*, quasi ab se occupatæ; quod tamen falsum esse ex Historia non modo Aegyptiaca, sed & Judaica scimus. Nam certe Judaica *Regem Aegyptium* in superioribus nominatum, qui erat *Nechao*, non debellatum ait, & in Satrapæ fortunam redactum, sed non ausum amplius congredi cum Babylonio, & *excurrere ex sua regione* in terras illi subjectas; sed & Babylonium occupasse omnia ab Euphrate, *usque ad rivum Aegypti*, qui est ad Rhinocoruram, ejus regionis terminum versus Judæam; non igitur ipsam Aegyptum, 2. *Regum* XXIV. 7. Videtur ergo Berosus nimium in his auxisse fortunam & gloriam suæ Gentis, ac Regi Babyloniorum Novo & Primo tribuisse eam imperii amplitudinem, quam Assyrii ante eum obtinuerant, immo etiam majorem, quando-

qui-

quidem neque illi Aegyptum antea tenuerant. Nisi tamen malimus dicere, Eum tribuisse jam Nabopollassaro Patri per errorem, quæ Filius demum fecit ac tenuit. Nam is revera postea, & post captas jam Hierosolymam & Tyrum, subjecit sibi quoque Aegyptum, & Satrapen in ea constituit, ut *seq. Cap.* declarabimus.

Quid vero de Marshamo hic dicemus? qui omnem iterum Chronologiam & Synchronismum Aegyptiorum, Babyloniorum, & Judæorum, mirifice hic perturbat, quasi consulto id unum semper spectaret & ageret. Etenim ita contrahit suum ad arbitrium adscitis subinde Filiis in Societatem Regni Paterni, Chronologiam Judæorum, ut Septuaginta illos Servitutis Babylonicæ annos inveniat & ponat integros inter destructam plane Hierosolymam & Templum Undecimo & Ultimo Sedekiæ Ultimi Judæorum Regis anno, & Cyri Babylonicum Regnum ac Primum ejus Annum. Ita vero Josiæ & *Nechaonis* æqualem, non Nabopollassarum facit, sed Cyniladanum, qui Regnum Babyloniæ tenuerit usque in Tertium Jehojakimi annum: Nabopollassarum autem, quem ille in S. Scriptura semper *Nabuchodonosorum* dicit appellari, h. e.

eodem

eodem nomine, quo Filius istic designatur, vixisse & regnasse ait usque post Hierosolymam destructam. Quando autem Quintus a destructa Urbe annus *Jerem.* LII. 30. & apud Josephum *Antiq.* X. 11. dicitur *Tertius & Vigesimus Nabuchodonosori*, id ita accipere nos jubet, ac si Patris anni etiam ultra mortem ibi computentur: Vide Eum *pag.* 536 [a]. Quando porro Jechonias XXXVII. anno post suam deportationem ex carcere productus dicitur ab Evilmerodacho, & quidem in *anno, quo is regnare cœpit*, id tamen credere nos vult factum anno XXIII. Nabuchodonosori Filii, quo anno is inciderit in amentiam, atque ita Evilmerodachus Filius ejus regnaverit, licet Pater post septem istius amentiæ annos, non ad se modo, sed & ad Regnum redierit, & XIII. insuper annos regnaverit [b]. Quia vero Aegyptiorum Chronologia manifeste prorsus hanc Marshami sententiam refutabat, nec in Synchronismum ea ratione redigi poterant Nechao & Josias, ille nihil his territus fingit nobis vel simpliciter ponit Annos Undecim Interregni alicujus [c] inter Patrem & Filium Reges Aegyptios, cujus tamen nusquam vel minimum profertur indicium. Sed hæc omnia ejus sunt generis, ut refutari non me-

a Pag. 571. *b Pag.* 594. *c Pag.* 580. *E. L.*

mereantur, nec refutari possint, quia pro arbitrio affirmantur, sed pari jure & modo abjici prorsus debeant.

CAP. XXIV.

Psammis *Nechaonis F. Ejus Regnum & Anni. Manifestus Marshami error.* Hophra, *seu* Apries, *Psammis F. Rex valde potens. Percussit Gazam Palæstinæ.* Jeremias XLVII. I. *explicatur. Maximus dissensus inter Sacros & Profanos Scriptores de extremis Apriis, & Regno Amasidis, ac fortunis Aegypti in illo Regno.* Apries *Herodoti &* Partames *Hellanici est idem. Aegyptii res suas ornare & Historiam corrumpere solebant. Orientales Hyperbolico sermone maxime delectati. Eo & Prophetæ usi. Græci ignorarunt* Nebucadnezarem, *& tamen ejus memoria a quibusdam, sed paucissimis, servata. Marshami perversissima interpre-*

terpretatio Megasthenis de Nebucadnezare. Abydenus *apud Eusebium* Præpar. Euang. IX. 41. *exponitur.* Iberi *Asiatici ex Hispania orti, & hinc eo ducti per Nebucadnezarem.* Strabo *explicatur. Versus Dionysii apud* Stephanum de Urbibus *ostenditur. Libyam quoque domuit Nebucadnezar, in quam utique aditum sibi facere non potuit, nisi Aegypto prius occupata.* Aegyptus *quoque nominatim vastata dicitur a Nebucadnezare in Phœnicum Historiis.* Syncellus *emendatur. Aegyptii dissimularunt suas clades. Reges Victores in Oriente solebant victis ab se Gentibus præficere novum Regem vel Satrapen ex iisdem Gentibus.* Amasis *videtur sic Aegypto impositus a Nebucadnezare.* Ezechielis XXIX. 17. *illustratur. Refutantur sententiæ Scaligeri, Marshami, & Judæorum in* Seder Olam. *Ezechiel utitur Epo-*

 cha

cha ab Jechoniæ deportatione deducta. Septimus & Vigesimus Jechoniæ deportati *annus incidit in penultimum Obsidionis Tyriæ, si* Tredecim *hæc annos duravit. Sed Hoc potest in dubium vocari ex illo Ezech. loco.* Ultimus Tyri obsessæ, *&* Primus Aegyptii Belli *annus indagatur. Anni* Apriis *&* Amasidis. *Usserius male statuit Aprien post Babylonicum Bellum mansisse Regem, & novo Bello contra suos Aegyptios implicitum, ac tunc demum ab suis occisum.* Septem Anni *alienatæ mentis in Nebucadnezare non in ultimo ejus Vitæ tempore, sed potius in intervallo, quod inter Jechoniæ deportationem, & Hierosolymæ obsidionem sub Zedekia intercessit, ponendi videntur:* Amasis *neutiquam fuit adeo potens Rex.* XL. anni desolationis *effluxerunt sub ejus Regno. Regnum Aegypti mansit deinceps debile, & sub aliorum fere potestate.*

Ne-

Nechaoni, de quo jam egimus, successit Filius *Psammis*, ut Herodotus, vel *Psammuthis*, ut Africanus eum appellat. Pariter autem tribuunt hi Scriptores ei *Sex* annos. Eusebius tamen & Syncellus, sed & ipsi in his annis parum inter se concordes, plures ei largiuntur. Nihil ille rerum gessisse traditur, nisi quod expeditionem susceperit *in Aethiopiam*, quo facto statim sit mortuus, teste Herodoto II. 161. Certe nihil de eo reperimus, quod pertineat ad Judæam, Syriam, aut Babyloniam. Marshamus tamen suo more recipit quidem *Sex* tantum Regni ejus annos, sed *intra hoc Sexennium* pronunciat *pag.* 541 [a]. *contigisse defectionem Zedekiæ, Hierosolymorum Tyrique excidia, & Aegypti Vastationem per Nabuchodonosorum, adeo ut Expeditio Aethiopica de Regis hujus fuga intelligi possit.* Sic ergo Psammis iste fuisset ille *Pharao*, qui apud Jeremiam *Cap.* 37. dicitur cum copiis profectus ex Aegypto contra Nebucadnezarem, ut Zedekiæ suppetias ferret, & obsidione eum eximeret; ille ad quem se contulerunt Judæorum reliquiæ post Hierosolymam captam; ille contra quem Nebucadnezar dein bellum gessit, & ita, ut Aegyptum vastaverit, eoque redegerit,

a *Pag.* 581. *E. L.*

ut non amplius haberet *Regem* vel *Principem*, (נשיא) *Ezech*. XXX. 13. Atqui Pharao ille, ad quem Judæi se in Aegyptum contulerunt ante vastationem Aegypti, diserte vocatur at *Jerem*. XLIV. 30. *Hophra*, qui Psammios hujus fuit Filius & Successor. Deinde huic Psammi *successit* utique Filius Hophra, vel Apries, Rex potentissimus, antequam a Nebucadnezare fuit oppressus: Non ergo relicta tum fuit Aegyptus *sine Rege*. Porro Pharao iste non *fuga* evasit *in Aethiopiam*, sed occisus fuit. Vide *Jerem*. XLIV. 30. XLVI. 26. & Ezech. XXIX. 5. Denique Nebucadnezar demum anno XXVII. post deportationem Jechoniæ, atque adeo longe post Psammis Regnum, missus est a Deo in Aegyptum, ut liquet ex *Ezech*. XXIX. 17. qui, ut ubique, ita & istic, annos hujus Epochæ adhibet, & ideo ab initio *Cap*. I. comparavit eos cum annis Epochæ alterius, ut ita ex ea quoque illi ab suis Lectoribus tanto certius cognosci possent. Ille autem annus XXVII. est sextus decimus a Capta Hierosolyma. Taceo jam isthæc Marshami ne convenire quidem suæ ipsius Chronologiæ, secundum quam Psammis hic ne captæ quidem Hierosolymæ annum attigit. Nam si maxime primum Nechaonis annum statuamus fuisse ultimum Josiæ, inde tamen, eo anume-

numerato, ut oportet, XXIII. est annus ille ipse, quo capta est Urbs. At vero Sextus Psammios ab illo initio est tantum Secundus & Vigesimus, siquidem Nechaoni ipse quoque Marshamus tribuit XVI. annos. Tantum ergo abest, ut Psammios Regnum *intra hoc Sexennium* extendi possit ad res aliquandiu post Hierosolymam destructam gestas. Vides ergo etiam hinc, Lector, qualis sit illa Marshami Chronologia, quam ejus asseverationes non paradoxæ tantum, sed & manifesto falsæ sint & absurdæ.

Mortuus itaque fuit hic Psammis jam anno Zedekiæ quarto vel quinto, cum cœpisset regnare anno X. vel XI. Jehojakimi. Ei vero successit Filius, *Hophra* in S. Scriptura dictus, at ab Interpretibus *Vaphres*, ab Herodoto & aliis Græcis *Apries*. Fuit hic Rex potens valde & felix, adeo ut Herodotus tradat II. 161. fuisse *felicissimum præ superioribus Regibus*, & *cap*. 169. *credidisse Eum adeo valide se firmatum habere regnum, ut neque Deus quispiam illud* exstinguere aut *sibi eripere posset*. Convenit cum eo, quod Ezechiel, XXIX. 3. hunc Pharaonem Regem Aegypti vocat *balænam maximam, quæ cubet inter rivos suos*, quasi in regione munitissima, unde vinci aut expelli non possit; sed additur nomine Dei

§. 4. *Inseram hamos maxillis tuis, faciamque ut adhæreat multitudo piscium fluviorum tuorum squamis tuis, & educam Te e medio fluviorum tuorum &c.* Adde XXXII. 2. ubi comparatur *Juveni leoni inter Gentes*, & *balænæ maris, quæ prodiens per fluvios suos conturbet aquas pedibus suis, & perturbet fluvios aliorum.* Declaratur hisce liquido satis, Regem hunc elatum fuisse animo, quasi Regnum haberet adamante vinctum, & rivis munitissimum, sed unde tamen Deus eum sit extracturus & ejecturus. Tantum ergo abest, ut hoc jam tempore Reges Aegyptii fuerint *Satrapæ* Regis Babylonii, quod Berosus videtur dixisse, aut Aegyptum jam sub Psammi, hujus Patre, vastatam, & in servitutem Babyloniorum redactam, quod vult Marshamus. Immo vero hic ipse Apries *Cyprios* & ipsos *Phœnices navali pugna vicit, Sidona vi cepit*, aliasque *Phœnices Urbes terrore* suæ victoriæ *ad deditionem adegit*, uti tradunt Diodorus Sic. I. 43. C. D. & Herodotus II. 161. Hæc vero egregie illustrant Jeremiam, & vicissim ex eo confirmantur, quando is significat XLVII. 1. *Gazam* Palæstinæ Urbem valde celebrem, & in finibus Aegypti fere sitam, *a Pharaone percussam*, & tum demum, quando Propheta ejus & aliarum Philistearum seu Phœniciarum Urbium

exitium

exitium jam prædixerat. Illuſtris Grotius *intelligit* hic *Phar. Nechaonem, qui Gazam obſederit poſt victoriam in Mageddo.* Accedit Doctiſſ. Conringius in *Adverſ. Chronol. cap.* 15. Sed probabilius longe eſt, Prophetam non regreſſum ſubito ad tempora tanto ſuperiora, quum in ultimis his *Capitibus* agat de rebus a Nebucadnezare poſt Hieroſolymam jam captam perpetrandis, & hujus temporis Pharaonem habeamus, quem ex Hiſtoriis conſtat Phœnices quoque viciſſe & varias eorum Urbes occupaſſe. Quocirca & Judæi in *Seder Olam cap.* 26. ad hunc *Phar. Hophram* referunt. Gazæ percuſſæ Hiſtoriam, & illud quidem tempus, quo egreſſus ex Aegypto ad eximendam obſidione Hieroſolymam, re infecta, reverti fuerit coactus, quod, ut incertum, nos in medio relinquimus. Contra enim Joſephus x. 10. tunc *victos* a Nebucadnezare Aegyptios, & in fugam actos, & tota Syria expulſos ait. Non putem tamen omnia illius *Capitis* in Jeremia ad Pharaonem referenda, ſed multa etiam ad Nebucadnezarem, quum & Tyrus ibi dicatur *exſcindenda*, quam non Ille, ſed Hic per XIII. annos obſeſſam expugnavit, ac porro reliquas tunc Phœnicum Urbes ſibi item ſubjecit, ut adeo

exitium illis intra breve tempus a duobus diversis Hostibus, Aegyptio & dein Babylonio, fuerit illatum.

Ceterum potentem hunc atque inflatum suis opibus Regem deprehendit tandem Nemesis, & destituit sua Fortuna. At hic plane in diversa abeunt Sacri Scriptores & Profani [a]. Hi enim narrant Eum missis contra Cyrenenses copiis, maximam retulisse cladem, propter quam quasi culpa & voluntate illius factam, ut tanto securius sibi imperaret, desciverint ab eo Aegyptii: Ad hos vero cum misisset ille Amasin, Hunc ipsum ab istis designatum esse Regem: Hinc Bellum Civile exstitisse, & Prælium, in quo Aprien vicerit Amasis & ceperit, ac tandem postulantibus eum Aegyptiis tradiderit, qui Hominem strangularint: Amasin autem justum & prudentem fuisse Regem, varias in Cypro Urbes cepisse, totamque insulam ad tributum sibi ferendum adegisse; Aegyptum ipsam sub eo fuisse fertilissimam, & habuisse Urbium, quæ incolerentur, xx. millia, Herod. II. 177. & Pomp. Mela I. 9. Eadem de successione ejus in Regnum, remoto vel occiso Aprie, habemus apud Athenæum

a Vid. quae Doctissimus Driebergius ad *Humfr. Prideaux* in Ann. IↃLXXIV. ante C. N. adnotavit.

næum XII. *pag.* 560. ex Ctesia, & XV. *pag.* 680. ex Hellanico, sed qui Aprien vocat *Partamin.* Nam quin Idem fuerit Homo, *Apries* ille, & *Partamis* Hellanici, nullum est dubium, licet in dubium vocet aut neget Marshamus, tantum, ut plures habeat Reges, quibus intervallum ab Nechaonis initio usque ad Cyrum, quod amplius vero constituit, expleat. Etenim Utrique successisse eadem ratione dicitur Idem Amasis: Uterque etiam propter odium Gentis publicum ab Aegyptiis destitutus. Tanto magis miror, Pezronium quoque *l'Antiq. des Temps*, *pag.* 225. Partamin ab Aprie distinguere, & Sex annos, Hujus Regno ademptos ex corruptis Africani numeris, tribuere illi, cujus ipsius Regis & Regni nullam prorsus facit Africanus mentionem. Hæc Græci; at nihil illi tradunt de *Nebucadnezaris* contra Aprien expeditione, de Aprie a *Babyloniis* occiso, de Aegypto ab iisdem *vastata* & in *solitudinem* XL. *annorum redacta*, quæ omnia multis & emphatice, ac repetita sæpius, exponunt Prophetæ Jeremias & Ezechiel, vaticinantes quidem, sed diserte adeo, ut non tam videantur futura prædicere, quam enarrare jam facta. Vide Jeremiam *Capp.* XXXVII. XLIII. XLIV. XLVI. & Ezech. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. Etenim monet Je-

 remias

remias id præcipue Judæos, ne diruta a Babyloniis Hierosolyma, conferant se in Aegyptum, quoniam ibi certissime assecuturus eos sit gladius, & venturus in eam quoque sit Nebucadnezar, ejusque Urbes vastaturus. Ipsum Pharaonem *Hophram traditum iri in manus inimicorum & quærentium animam ipsius*, *Cap.* XLIV. 30. *traditum immo iri in manus Nebucadnezaris & servorum ejus*, *Cap.* XLVI. 26. *Memphim desolatam fore & inflammatam*, ita *ut nemo in ea habitet*, *ibid.* §. 19. Ezechiel autem, post Tyrum a Nebucadnezare captam & destructam, denunciat divinitus Aegypti vastationem propediem futuram per illum Babyloniorum Regem, a Deo in eam regionem nunc ablegandum, *Cap.* XXIX. *extr.* in solitudinem redactum iri Aegyptum & singulas ejus Urbes, *ut nullus ex ea terra sit amplius Rex aut Princeps*, *Cap.* XXX. *dispersum iri Aegyptios in varias regiones & Gentes*, ipsam autem Aegypti terram *fore desolatissimam*, *excisum iri ex ea homines & jumenta*, *ut non transeat per eam neque hominum neque jumentorum pes*, duraturamque vastitatem *per* XL. *annos*, quibus elapsis Deus eos sit ex *regionibus*, *in quas dispersi erant*, *reducturus*, *sed in regnum prorsus exiguum*, *Cap.* XXIX. & XXX. & XXXII. Ipsum Pharaonem *cum tota multitudine sua* occu-

occubiturum inter confossos gladio, xxxi. §. ult. & abductum iri ex rivis suis *in desertum, ubi cadat in superficie agri, nec sepeliatur, sed exponatur in cibum bestiis terræ & cœli avibus*, xxix. 5.

Hæc vero, & similia plura, & ex illo quidem tam sero tempore, haud scio, quomodo ab Sacerdotibus Aegyptiis apud Herodotum & Diodorum dissimulari potuerint. Solebant tamen illi res suæ Gentis ornare, ipso Herodoto teste, qui proinde III. 2. credit, Aegyptios *corrumpere Historiam in eo, quod fingunt se Cyri familiæ affines*, & III. 16. illos *temere* ea, quæ de Amasidis cadavere & sepultura tradunt, (σεμνῦν) *exornare*. Vide &, quæ supra sæpius de dissimulata penitus, vel adulterata, Israëlitarum ex Aegypto exeuntium Historia jam monuimus, & quæ mox de Nechaone addemus. Sed dicet quis, male in hujus temporis rebus Aegyptios tantum memorari, quasi ex quibus solis Herodotus & Diodorus eas acceperint, quum diserte ipse Herodotus II. 147. ita distinguat temporis ante & post Psammetichum elapsi res gestas, ut illas ab Solis Aegyptiis, has etiam ab Aliis Hominibus pariter cum Aegyptiis tradi, atque adeo esse jam quendam in his consensum, & certiorem lucem, affirmet: immo *Cap.* 154. ex eo, quod

quod Jones & Cares Psammeticho suppetias tulerunt, & ideo in Aegypto manserunt, *Græcos omnia in Aegypto gesta sub Psammeticho, & deinceps, liquido scire* pronunciet. Non ergo esse, quod hic miremur adeo solam Aegyptiorum in dissimulanda suæ Gentis per Babylonios afflictione & servitute fraudem; nam & ceteros, ac Græcos quoque mirari Scriptores nos debere, quod istas res tanti momenti, atque ipsum Nebucadnezarem Babylonium, Aegyptiorum victorem, silentio prorsus prætermiserint, immo, quod longe est majus, plane contraria de Aegypto sub Rege Amasi, atque hujus tempore ac Regno, tanquam Aegyptiis felicissimo, & Urbium multitudine frequentissimo, memoriæ prodiderint, in quod tamen tempus illa XL. annorum desolatio & vastitas necessario & unice inciderit.

Quid ergo hic excogitabimus ad inveniendam in his aliquam inter Prophetas Hebræos & Scriptores Græcos concordiam, vel potius, quia concordia inter eos constitui nullo modo potest, quam dabimus rationem tantæ discordiæ & dissensus? Duo tantum habeo, quæ in medium ad hæc expedienda proferre queam. Unum, quod in *Babylonicis Orig. pag.* 125. 126. jam allegavimus, sermonem Orientalium

fuisse

fuisse prorsus hyperbolicum. Dicebant illi, *Servire* alteri eum, qui tributum modo illi pendebat; & *Rebellare*, quando id negabat. Ita Ezechias 2. *Reg.* XVIII. 7. *rebellasse* dicitur *contra Regem Assyriæ*, & *non serviisse illi amplius.* Atqui Rex Assyriæ non vicerat antea, neque debellaverat, vel Ezechiam vel Achazum ejus Patrem, sed tantum terrore virium suarum, vel forte quod Hostes Achazi, Syriæ & Israëlis Reges, invaserat, Patrem ad tributum sibi pendendum adegerat, quod dein & Filius ejus aliquandiu præstitit Assyrio, sed dein negavit. Hoc erat istic *servire* & *rebellare.* Sic *servire alicui* pro auscultare habemus in consilio Seniorum, quod dabant Rehabeamo 1. *Regum* XII. 7. *Si hodie servus eris huic populo, & servieris ei, & bene responderis, servient tibi semper*, h. e. si auscultaveris populo, & benigne responderis, facient semper, quod voles. Sed vel maxime liquet isthæc loquendi ratio ex verbis Mephibosethi, qui, Filius Jonathanis, Nepos Sauli, dixit 2. *Samuel.* IX. 8. ad Davidem, *Quis est Servus Tuus, ut respexeris ad Canem Mortuum, qualis Ego sum?* Nam quanta est hæc hyperbole, ut se *Cani mortuo* assimilet ille, qui Regis erat Nepos, & Filius illius, cui David quam maxime fuerat obli-

obligatus, & qui etiam tunc dominus erat Tzibæ, sub se habentis alios viginti servos? Hæc ergo tam usitata istic hyperbolica locutio etiam in Propheticis, nihil mirum est, si reperiatur scriptis. Exemplo sit, quod Daniel II. 38. dicit Nebucadnezari in ejus Secundo Anno, ante præcipuas illius victorias, *ubicunque habitant Filii hominum & bestiæ agri, & volucres cœli, Deus ea dedit in manum tuam, & dominatorem te constituit in ea omnia:* & quod IV. 20. tribuit ei *dominium usque ad finem terræ.* Non enim hæc ad literam sunt exigenda, quum multæ fuerint utique regiones & habitationes hominum, quæ Nebucadnezaris non fuerunt subjectæ imperio. Similiter ergo quod a Prophetis de vastata & subjugata dicitur Aegypto, immo & de Tyro ac Babylone, in eo agnoscenda est omnino quædam hyperbole, quæ tamen non tam spectanda est Historico, quam ipsa rerum summa. Nempe victi sunt a Nebucadnezare Aegyptii, occisus Rex, quam plurimi illorum peremti, vel fuga dilapsi in alias regiones, reliquiis Gentis impositus Satrapa, qui tamen dein se pro Rege gessit, denique incubuit Aegypto deterior hæc fortuna per XL. annos. Hæc summa est rerum, sed Hyperbolicis locutionibus expressa.

Alterum, quod in his, ſeu in hoc Sacrorum ac Profanorum Scriptorum diſſenſu, conſiderare debemus, hoc eſt, quod, quicquid dicat Herodotus, Græcos omnia, quæ in Aegypto geſta poſt Pſammetichum, ἀτρεκέως, *liquido* ſcire, nihil tamen illi Aegyptiarum & Aſiaticarum rerum ſatis per ſe habuerint exploratum, ut vel ex ipſo hoc Nebucadnezare conſtat, ſicuti jam oſtendimus in *Babylonicis pag.* 123. 124. Certum enim eſt, debellaſſe illum Judæos, & in ſervitutem abduxiſſe, ac deſtruxiſſe Hieroſolyma, immo Cœleſyriam omnem domuiſſe, ac Tyrum expugnaſſe. At Herodotus, aliique Græci, certe quorum ſcripta habemus, nihil de tam illuſtri Rege aut ejus rebus geſtis & victoriis noſtræ prodiderunt memoriæ. Exſtitiſſe tamen revera, & magnum fuiſſe Regem, non modo ex S. Scriptura, ſed & ex Canone Nabonaſſareo conſtat, immo & ex Auctoribus, qui interciderunt, & ex quibus mentionem ejus, & magnas res etiam ſupra fidem, memorant inter Ethnicos Strabo, ſed verbo tantum, inter Judæos Joſephus, inter Chriſtianos Euſebius & Syncellus. Non modo enim Beroſus in *Chaldaicis* illius potentiam majorem in modum, ut vidimus, extulit, ſed & Megaſthenes eum celebravit in *Indicis*, Diocles

in

in *Persicis*, & Philostratus in *Phœnicicis*, ut docet nos Josephus *Antiq.* X. II. Ex Megasthene vero Regem hunc laudant etiam Strabo, Josephus, & Abydenus, atque ex hoc iterum Eusebius, ut adeo illorum auctoritate satis superque eluceat Nebucadnezaris, ceteris Græcis ignoti, potentia.

Ceterum verba illorum operæ pretium erit, ut excutiamus accurate, quia miris iterum modis ea explicat, vel pervertit potius, Marshamus *pag.* 551. 552 [a]. Nam quum Josephus *d. l.* tradat, Megasthenem ostendisse, hunc Regem fortitudine & magnitudine rerum gestarum ipsum Herculem superasse, *quia vastaverit* non *Libyæ* modo *regionem*, sed & *Iberiam*; Ille in his non *Hispaniam* intelligit, ut oportebat, sed *Iberiam Asiaticam*. Atque adeo, quando Strabo *lib.* XV. *pag.* 687. ex eodem Megasthene refert, Babylonium hunc, celebratum supra Herculem, ἕως Στηλῶν ἐλάσαι, *usque ad Columnas processisse* cum suo *exercitu*; Ille *Columnas*, non *Herculis* ad fretum Gaditanum (de quibus Vide inter alios Aelian. *Var. Hist.* V. 3. & Me istic in Notis) sed alias intelligit longe post *in Sarmatia Alexandri M. nomine erectas*. Denique quando Abydenus apud Euse-

[a] *Pag.* 592. *E. L.*

Eusebium *Præpar. Euang. lib.* IX. *cap.* 41. ait itidem ex Megasthene, Nebucadnezarem Hercule validiorem fuisse, ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίαν ϛρατεῦσαι, ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀποδασμὸν αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τȣ̃ Πόντȣ κατοικίσαι, *in Libyam & Iberiam exercitum duxisse, easque regiones cum in potestatem suam redegisset, partem* vel *coloniam earum ad dextram partem Ponti collocasse*; Ille *Abydenum* affirmat *Iberiam hanc collocare ad dextram Ponti Euxini*. At vero quin Megasthenes, & qui ejus auctoritatem sequuntur, *Iberiam* Europæam, h. e. *Hispaniam*, intellexerint, nullum est dubium, si consideremus primo illam *Libyæ* & *Iberiæ* conjunctionem, quippe in quam Iberiam ex Africa seu Libya proximus erat progressus & transitus, quum Iberia Asiatica toto, quod ajunt, cœlo ab Libya distet. Neque vero Abydenus *Iberiam* Megasthenis collocat ad dextram Ponti, sed plane alibi, siquidem ex ea jam occupata, partem quandam ejus, seu coloniam, inde ad dextram Ponti duxisse & collocasse Nebucadnezarem ait. Non ergo fuit jam tunc istic *Iberia*, sed colonia Iberorum, aliunde adventantium, istic tunc temporis demum collocata est. Nimirum Megasthenes quoque existimasse videtur, Iberos Asiaticos ab Iberis Euro-

pæis, & quidem per hanc coloniam Nebucadnezaris, ortos. Miror illud in istis Abydeni vel Megasthenis verbis non animadvertisse Marshamum, quum utique communis fere Veterum ea fuerit sententia, Iberos Asiaticos ab Europæis ortos. Diserte Strabo *lib.* 1. *pag.* 61. Ἰβήρων μὲν τῶν ἑσπερίων εἰς τοὺς ὑπὲρ τοῦ Πόντου καὶ τῆς Κολχίδος τόπους μετῳκισμένων, *Iberorum Occidentalium in loca supra Pontum & Colchidem translatorum*. Vide ibi Notas, & inprimis verba Dionysii Periegetæ *v.* 697. diserte Orientales Iberos a *Pyrenæis* montibus repetentis. Hinc ergo Eustathius ad eundem Poëtam *v.* 282. Ἄποικοι τούτων οἱ ἑῷοι Ἴβηρες, *Coloni illorum* Europæorum *sunt Orientales Iberi*. Egregius ergo est iste locus Abydeni, seu Megasthenis, qui, vere an falso, docere certe voluit, quod nemo alius Græcorum nos docuit, nec ullus Interpretum, opinor, observavit, Iberos hoc tempore *per Nebucadnezarem* ex Europa in Asiam translatos.

Porro pessime in Strabonis *lib.* xv. Στήλας de aliis, quam *Herculis columnis* interpretatur Marshamus, quum istic ipsius utique *Herculis* mentio fiat, & ille eousque processisse a nonnullis perhibeatur, atque ipsa Hispania ab istis *Herculis columnis*

lumnis vulgo describatur. Unde Stephanus *de Urbibus*, Iberias duas esse ait, unam πρὸς ταῖς Ἡρακλείαις ςήλαις, *juxta Herculis columnas*. Sed & ita absolute, ut hic, Dionys. Perieg. *v.* 282. Iberos Europæos habitasse ait Ἀγχȣ̃ ςηλάων *prope columnas* scil. Herculis. Versum hunc ex Dionysio, Ἀγχȣ̃ ςηλάων μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων, adfert ibidem quoque Stephanus, non tamen, quasi in eo agatur de Iberis Asiaticis, de quibus proxime fuerat locutus, sed ut probet tantum Gentilicii istius vocabuli, Ἴβηρες, quod utrorumque commune fuit, usum. Male autem istic notatur a Cl. Berkelio, *versum hunc non esse desumptum ex Dionysio Alexandrino de situ Orbis*, quum revera istic reperiatur, & sit, quem dixi, versus 282. Sed res ipsa, de qua agimus cum Marshamo, manifestissima est ex illo ipso Strabonis *lib.* XV. loco, quem adeo perperam ille interpretatur, ut nihil supra. Etenim comparantur istic inter se *Tearco Aethiops*, & *Nauocodrosorus*, ut istic scribitur, *Chaldæus*. Ille progressus dicitur ἕως Εὐρώπης *usque ad Europam*. Hic vero celebrior Hercule apud Chaldæos, ἕως Στηλῶν *usque ad columnas* Herculis; sed additur jam, μέχρι μὲν δὴ δεῦρο καὶ Τεάρκωνα ἀφικέσθαι, *huc autem usque etiam Tearconem*

 pro-

progressum. Ergo idem erat, ex Liby
progredi *usque ad Europam*, & *usque*
columnas, unde clarissimum, quaenam
intelligantur *columnae*. Hactenus vero
res erant Tearco & ille Chaldaeus.
jam subtexitur, quousque Hic etiam
peraverit Tearconis expeditionem &
ctoriam. Nam additur, Illum vero (Na
codrosorum) *etiam ex Iberia in Thra*
& Pontum duxisse exercitum. Venit
que ex Occidentali & Europaea Ibe
ad Columnas Herculis sita, primum
Thraciam, deinde, ulterius versus Or
tem progrediendo, in Pontum, atque
istic inter Euxinum & Caspium
collocavit coloniam Iberorum, quos
Europa secum duxerat in Asiam. R
puto clarissimam, Megasthenem non
designasse Iberiam, quam quae Libyae
& extremo ejus angulo ad Herculis
lumnas, proxima, h. e. Hispaniam.

Ceterum si id ita est accipiendum,
certissime est, tum vero liquet ex M
gasthene, si quam ei fidem tribuere
sumus, totam Africae longitudinem
cundum mare Mediterraneum suis vic
riis Nebucadnezarem peragrasse. Sed
tuamus, auxisse Eum res istius Regis
tra modum & veri speciem, ut fec
credo & ipse in iis, quae de Hispania

illo domita, & colonia inde in Asiam ad Pontum Euxinum ducta; narrat; aliquid tamen veri haud dubie in illa Historia tradidit. Neque certe illud a verisimilitudine abhorret, Libyam, si non omnem ad Herculis columnas usque, saltem magna ex parte, vicisse Eum & in suam redegisse ditionem. Quin hoc ipsum ex S. quoque Scriptura liquido satis affirmari potest. Nam *Jerem.* XLVI. 9. Aethiopes & *Phutæi*, h. e. Libyes (Vide Bocharti *Phalegum* IV. 33.) inter Socios Aegyptiorum contra Nebucadnezarem memorantur; & *Ezech.* XXX. 5. inter illos, qui una cum Aegyptiis & reliquis horum Fœderatis sint *Gladio perituri*. Ad illos autem pervenisse Nebucadnezar non potuit, nisi prius Aegyptum debellasset & oppressisset, quippe per quám necessario aperire sibi aditum ad Libyam debuit. Nec enim alia terrestri via penetrasse ex Babylonia & Syria in Libyam potuit. Satis ergo ex illo Auctore, qui nullas nec invidendi nec assentandi Babyloniis habuit rationes, & ex ista *Phut* seu *Libyæ* quoque domitæ Historia, confirmari, tacite licet, videtur, quod de Aegypto a Nebucadnezare vastata referunt Prophetæ Sacri.

Sed & nominatim *Aegyptum* hic memorant *Phœnicum Historiæ Veteres*, quas lau-

 dat

dat Syncellus, sed manifeste in his corruptus. Nam quum attulisset & ipse *pag.* 221. Megasthenis auctoritatem ex *Libro* ejus *Quarto Indicorum*, & ex eo illam Nebucadnezaris & Herculis comparationem, qui *pleraque Libyæ & Iberiæ vastaverit*, quod tamen Interpres Goarius imperite prorsus adscripsisse videtur Herculi; subjicit, Συμφωνεῖ δὲ αὐτῷ καὶ Φιλόστρατος ἐν ταῖς Ἱστορίαις, ἔνθα καὶ περὶ τῆς Τύρου πολιορκίας, καὶ τῶν Φοινίκων πάλαι, ἅιτινες Ἱστορίαι φέρονται περὶ τοῦ Ναβουχοδονόσορ· ὅτι Συρίαν καὶ Αἴγυπτον, καὶ πᾶσαν τὴν Φοινίκην κατεστρέψατο πολέμοις. Sic ea distinxit & edidit Goarius; ac vertit deinde: *Concordi voce loquitur Philostratus in Historiis, ubi de Tyriorum obsidione, & de antiquorum Phœnicum excidio tractat: illæ siquidem de Nabuchodonosor, & de illius in Syriam, Aegyptum & Phœnicen, bellis ac victoriis narrationes instituerunt.* At vero legendum est omnino, sine ullius literæ mutatione, Καὶ τῶν Φοινίκων παλαιαί τινες Ἱστορίαι &c. Quo facto cohærebunt omnia optime, & sensus erit, qui esse debet; *Consonat autem illi* (Megastheni) *etiam Philostratus in Historiis, ubi & de Tyri obsidione* agitur (id quod addit Syncellus, quia eam S. quoque Scriptura memorat) *Et Phœnicum Veteres quædam Historiæ circumferuntur de Nabuchodonosoro,*

noſoro, ſcil. tradentes, *quod Syriam*, *& Aegyptum*, *& omnem Phœnicen bellis everterit.* Ita videmus Veteres quoque Phœnicum exſtitiſſe Hiſtorias, quæ nominatim *Aegyptum* a Nebucadnezare ſubactam tradiderint. His vero ſi jam addamus conſentientes, non Sacram modo Scripturam, quæ Hiſtoria eſt, ut nihil aliud dicam, Gentis Aegyptiis finitimæ, ſed & Beroſum, Megaſthenem, Dioclem, Philoſtratum, qui res Orientalium Gentium indagarunt & tractarunt, nihil nobis hæſitationis objici amplius par eſt, ex illo diſſenſu reliquorum Græcorum, qui nihil per ſe aut aliunde de rebus Aegyptiorum, quas cum aliis habuerunt illi Gentibus, iſtius antiqui temporis ſciverunt, ſed omnia, niſi ſi quid Græcis Aſiaticis, vel Europæis, forte in Aegypto acciderit, ab Aegyptiis acceperunt Sacerdotibus. Hi autem, æque ac Manetho, diſſimularunt omnia, quæ ad gloriam ſuæ Gentis minuendam, vel certe infra Babylonios deprimendam, pertinebant, ut vel ex eo conſtat, quod Herodoto narrarunt Victoriam Nechaonis de Syris, at cladem ipſius ex Syria viciſſim expulſi a Nebucadnezare, & in Aegyptum ſuam rejecti, unde deinceps haud amplius excurrere fuit auſus, ſilentio plane involverunt, immo nullam omnino Nebucad-

nezaris, celebris adeo & potentis Babyloniorum Regis, fecerunt mentionem. Quocirca, ut hanc rem tandem absolvamus, pro eo, quod Aegyptii, vel ex eorum ore Herodotus & Diodorus, narrant, Hophram sive Aprien a Cyrenæis victum, & ideo domestica seditione exagitatum, regnum amisisse, ac a suis interfectum, substituto illi Amaside, qui dein beatissimus fuerit Rex, usque dum a Persis bellum metuens animam efflaverit; Nos nihil amplius fluctuantes aut hæsitantes, ex Sacris Judaicæ Gentis Prophetis credimus, Hophram illum a Nebucadnezare bello petitum, victum, & occisum. Acceperim etiam lubens, Amasin ad Nebucadnezarem defecisse, vel jam ante vel post Hophram cæsum, atque ideo illum Victorem hunc Amasin Aegypti ab se vastatæ reliquiis præfecisse, tanquam suum Satrapen, vel *Regem*, ut Josephus ait *Antiq.* X. II. Hoc enim in Oriente Victoribus istis erat solitum. Atque ita legimus hunc ipsum Nebucadnezarem Judææ jam exhaustæ præfecisse prius occisi Regis Fratrem, Zedekiam, dein hoc quoque deficiente & debellato, Gedaliam Judæum; sed & in Tyro ab se capta constituisse Reges ac dein Judices, Homines Tyrios, ut ostendimus jam in *Babylonicis pag.* 123. Im-

Immo Herodotus III. 15. ait, Cambysen, Regem ceteroqui truculentum & efferatum, & qui crudeliter ac insolenter victoriam exercuit in mortuum jam Amasin, & vivi Regis liberos, tamen quum vicisset jam Amasidis F. Psammenitum, *relicturum fuisse ei, si res novas non fuisset molitus, Aegyptum, ut eam regeret; solitos enim Persas honorare Filios Regum, & licet Hi ab se defecerint, tamen Eorum Filiis regnum reddere.* Persis hoc erat in usu, haud dubie, quia antiquiores aliarum Orientalium Gentium Reges soliti jam fuerant devictae Gentis Hominem Terrae ab se vastatae & exhaustae praeficere, ut in Judaea & Tyro ab Nebucadnezare factum vidimus. Hophra autem obviam progressus videtur Nebucadnezari in desertum, quod est in finibus Aegypti & Arabiae, sed ibi caesus, & relictus insepultus atque ita expositus bestiis terrae, & alitibus coeli. Hoc enim est, quod docet nos cum Jeremias XLIV. 30. & XLVI. 26. qui ait nominatim *Hophram traditum iri in manus inimicorum suorum*, seu *Nebucadnezaris & servorum ejus*, tum maxime Ezechiel. XXIX. 4. 5. in verbis Dei ad Regem, veluti balaenam maximam, cubantem in rivis suis, *Inseram hamum maxillis tuis, & extraham te e medio rivorum tuorum, omnesque pisces rivorum*

 tuo-

tuorum, squamis tuis inhærentes. Ac abducam te in Desertum, Te, omnesque pisces rivorum tuorum, ubi *in superficie agri cades, non recipieris* ad sepulturam, *neque conderis* in sepulchrum, *Bestiis terræ & volucribus cœli dedi te in cibum*. Hoc igitur ita cæso, κατέστησεν ἕτερον, ut dicit Josephus *d. l. constituit alium* Nebucadnezar, seu Regem sibi subjectum seu Satrapen, hunc ipsum Amasin, quem Manetho, Herodotus, Ctesias, Diodorus, aliique, Aprii seu Hophræ uno consensu successisse tradunt.

Quando autem hæc clades Aegypto & ejus Regi acciderit, nunc inquirendum est. Viam nobis aliquam monstrat Ezechiel XXIX. 17. ubi ait *anno Vigesimo Septimo* verbum Dei ad se factum, sibique significatum, fore, ut, quoniam Nebucadnezar non magnum operæ pretium ferat ex Tyro capienda, in qua tamen omnes copiæ ejus defatigentur, idcirco se daturum Nebucadnezari Aegyptum &c. Sed incertum est per Chronologos & Interpretes, quis fuerit ille XXVII. *annus*, qui ita absolute ab Ezechiele memoratur. Scaliger in *Animadv*. ad Eusebium n. 51. & n. 545. acriter contendit designari annum XXVII. Jubilæi Duodevigesimi, qui annus inciderit in *Decimum Zedekiæ*, ab Ezechiele in initio *Capitis* illius expressum.

Quin

Quin ex hoc loco suum ille Jubilæorum initium & seriem constituit, quam ipsos ait Judæos ignorare. Sed tamen certissime falsa est hæc istius annorum Numeri interpretatio. Nam Ezechiel nusquam alibi per Jubilæorum annos tempus rei gestæ describit, atque ideo quum semper alia utatur Epocha, debuisset hic addere, & addidisset haud dubie, vocabulum *Jubilæi*, ut intelligi posset. Dein certum satis est, Tyrum non fuisse ante Hierosolymæ destructionem obsessam, nedum captam, quod ille tamen vult, dum ad annum Zedekiæ *Decimum* hanc rem refert, quando ex illius sententia jam aliquandiu ante capta fuisset Tyrus. Vide, quæ jam contra hanc sententiam disputavimus in *Babylonicis pag.* 103. & *seqq.* & *pag.* 115. Absurdior longe est sententia Marshami, qui hunc quidem XXVII. *annum* Ezechielis silentio prætermittit, &, ut videtur, exponere non est ausus, licet verba Ezechielis ex illo *Capite* adferat satis multa *pag.* 545 [a]. sed tamen *Aegypti devastationem per Nabuchodonosorum intra* Regnum & *Sexennium* Regis *Psammis* includit, *adeo ut* ejus *expeditionem Aethiopicam*, quam memoret Herodotus, *de Regis Fuga* in Aethiopiam me-

tu

[a] *Pag.* 584. *E. L.*

tu Nabuchodonosori *intelligi posse* putet *pag.* 541 [a]. Quin *pag.* 542 [b]. videtur velle, *Pharaonem Hophram* non fuisse Nomen Proprium Regis, sed designare *Pharaonem Fractum* ex Chaldaica Paraphrasi; vel *Pharaonem Claudum* ex Syriaca; Græcos quidem, & inde omnes Patres, ac Scaligerum, habuisse pro nomine Proprio, & *intellexisse Aprien Herodoti*; Verum Hunc *in potestatem venisse* non Nabuchodonosori, sed *Amaseos inimici sui*: ante quod tempus *prospere regnaverit* 25. *annis*: at *Reges, qui inter Psammitichum & Apriem* (h. e. Reges Phar. Nechaonem & Psammin) *infortunatos fuisse*. Talia autem hæc sunt, ut ea ne ipse quidem cum Prophetarum verbis, quæ exhibet, conciliare studeat, sed tacite, ea in medio relinquens, refutare quodam modo Prophetas videatur. *Quadraginta* tamen desolationis *annos Posteriora Nabuchodonosori Secundi tempora spectare* affirmat *pag.* 545 [c]. Hic autem *Secundus Nabuchod.* regnare ex ejus sententia demum cœpit post captam Hierosolymam, destructam Tyrum, & Aegyptum desolatam. Quare ergo *Posteriora* illius *tempora*, & non *Priora*, quæ desolationi utique fuissent proxima, referuntur ad *Quadraginta* illos *annos*? Haud dubie, ut

Apriis

a. b *Pag.* 581. c *Pag.* 584. *E. L.*

Apriis Regnum, quod Psammis Regno & *Sexennio, intra quod illa Aegypti devastatio per Nabuchodonosorum contigisset*, fuit omnium consensu proximum, maneat prorsus fortunatum. Sed tædet his immorari. Judæi vero in suo *Seder Olam Cap.* 26. *in fine* illos XXVII. *annos* Ezechielis *Nebucadnezari* tribuunt, cui isto Regni sui anno *Aegyptus fuerit in manus tradita, qui ceperit multitudinem ejus, & spoliaverit spolia ejus, unde fuerit merces copiis ejus.* Hoc vero, licet sequatur etiam Abarbanel, erroneum tamen est penitus, æque ac illud, quod præcedit, *Decimo tertio Nebucadnezaris anno traditam in manus ejus Tyrum.* Hæc enim ita 14. annis ante, quam Aegyptus vastari cœpta, fuisset jam capta, & 5. vel 6. annis ante Hierosolymam destructam, quæ nihil habent verisimilitudinis. Nusquam vero Ezechiel per istos Nebucadnezaris annos tempus designat, & ideo eam designationem hoc uno in loco non ita absolute adhibuisset, sed quodam saltem verbo distinxisset ab solita ceteroqui, immo perpetua, sibi temporis designatione. Hæc autem est illa, quæ ab Jechoniæ abductione in Servitutem Babylonicam initium suum trahit. Eam idcirco in ipso Libri sui initio diserte explicuit, & cum Epocha, ut videtur, Babylonica contulit, ut

ita

ita quilibet Lector, etiam in Babylonica Monarchia, annos suos intelligere posset. Quocirca Ego quidem cum Usserio *hos Annos* XXVII. ita absolute ab Ezechiele positos, ut fieri ab eo solet, de annis deportati Jechoniæ accipio, de quibus reliqui anni ab ipso ubique expressi accipiuntur, & quorum hic *Vigesimus Septimus* in penultimum Tyri tunc obsessæ annum incidit. Quod ipsum sequitur ex iis, quæ in *Babylonicis* disputavimus *pag.* 115. Etenim cœpit obsideri Tyrus *anno* XXIII. Nebucadnezaris, secundum computationem Josephi, qui anno XVIII. Nebuc. captam dicit Hierosolymam, & anno *Quinto* post obsideri cœptam Tyrum. Verum hic annus ex alia computatione, ad annum Nebuc. XIX. referente destructam Hierosolymam, ut fieri debet, quando *Primus* Nebuc. & *Quartus* Jehojakimi idem habetur annus, erit Nebucadnezaris non XXIII. sed XXIV. Iste ergo annus *Primus* fuit Obsidionis Tyriæ, quæ duravit XIII. fere annis. Capta ergo fuit Tyrus anno *Quinto*, vel *Sexto*, & *Trigesimo* Nebucadnezaris, & *Septimo decimo* a destructa Hierosolyma. Jam vero annus destructæ Hierosf. est *Undecimus* deportati Jechoniæ; Hinc *Quintus* est *Sextus decimus*, & simul *Primus* Obsidionis

Tyriæ.

Tyriæ. Ergo *Tertius Decimus* Obsidionis Tyriæ est *Septimus Decimus* destructæ Hier. & *Duodetrigesimus* Jechoniæ deportati, plane uti *Ezech.* XL. I. *Quartus decimus destr. Hier.* comparatur cum *Quinto & Vigesimo Jechoniæ.* Neque vero necesse est, ut statuamus captam jam fuisse Tyrum, & finitam plane ejus obsidionem, hoc *Septimo & Vigesimo Jechoniæ anno.* Nec enim Deus id dicit ad Ezechielem, sed tantum, quod Nebucadnezar adegerit suum exercitum ad magnum laborem in Tyri, unius Urbis, obsidione tamdiu sustinendum, quo omnia ejus exercitus *capita calvitiem contraxerint*, omnes *humeri* sint *attriti*, nec tamen habeat ille & Exercitus ejus in una Tyro justum satis *tantæ operæ pretium*; Se ergo illi dare Aegyptum subigendam & dispoliandam. Commode enim satis & opportune hæc ita dicta videntur, quando jam instabat Tyri excidium, sicuti sequente anno capta & excisa est; prout solet Deus apud Prophetas de iis, quæ brevi futura sunt, loqui, tanquam de præsentibus: plane uti jam supra *Cap.* xx. *p.* 408. 409. vidimus Terram Abrahamo promissam a Deo, dici jam tunc Suam & Propriam Abrahamo & Jacobo, quando in ea necdum proprii

prii possidebant quidquam. Vide Actor.
VII. 5. & *Genes.* XXIII. 4.

Nec tamen valde repugnaverim iis,
qui volent ex hoc Ezechielis loco, Ty-
rum captam referre ad annum XXVI. Je-
choniæ, & Quintum Decimum ab Hie-
rosolyma destructa, atque ita eam non
XIII. quod unius Philostrati fide nititur
apud Josephum, sed XI. tantum annis
statuere obsessam, quod vel sic satis mag-
num est obsidionis unius spatium. Nam
ejus initium quin in *Quintum* ab Hiero-
solyma destructa, seu XXIII. Nebucad-
nezaris exeuntem annum conferri debeat
nullum videtur esse dubium, quum &
Scriptura simul & Josephus consentiant
in novam expeditionem Babyloniorum in
hoc anno in Judæam, Cœlesyriam &
Tyrum factam. Neque vero refragabitur
hæc opinio iis, quæ jam in *Babylonicis* p.
114. & *seqq.* disputavimus. Nec enim
in iis quærebatur, quamdiu vere obsessa
debeat credi Tyrus, sed quomodo Jose-
phus ex annis Judæorum & Nebucadne-
zaris, cum Chronologia Tyriorum colla-
tis, confecerit rationes suas ad inveniendos
LXX. annos a primo Nebucadnezaris anno
usque ad obsidionem Tyri, & inde per
Annales Tyriorum usque ad Primum Cy-
ri annum; atque ita probandam Judæo-
rum

rum Chronologiam iſtius intervalli etiam ex Tyriorum conſenſu. Discrepantia quidem duorum nunc foret annorum, ſed qui facile, in Annis Regum Tyriorum hac in parte corruptis, vel per interregnum aliquod, excidiſſe potuiſſent. In illis autem rationibus Joſephi requiritur, ut obſidioni Tyriæ tribuantur a nobis XIII. anni, non quia vere tot annis fuerit obſeſſa, ſed quia Joſephus illi ex Philoſtrato tot annos tribuerat. At alia jam eſt quæſtio, utrum recte & vere Philoſtratus tot annos Tyro oppugnandæ impenſos tradiderit, an vero ex hoc Ezechielis loco rectius & certius huic rei XI. tantum annos adſcribamus. Sed tamen quum hæc interpretatio Ezechielis iſtum in ſenſum non ſit prorſus neceſſaria, rem in medio relinquimus.

Ex annis autem Hophræ ſeu Apriis nihil argumenti proferre hic poſſumus, quum Herodotus, Diodorus, Africanus, Syncellus, ſinguli diverſos illi tribuant annos, ut incertum plane ſit, quem potiſſimum ſequi debeamus, quum nullam habeamus rationem unius magis quam alterius præferendi. Quia tamen auctoritas Herodoti eſt præcipua, qui ei XXV. annos tribuit, dicendum eſt omnino, pulcherrime hos annos convenire in illam ſententiam, quæ

Mm ſtatuit

ſtatuit cum Joſephi calculo, Tyrum captam tertio decimo obſidionis anno, ſeu Septimo decimo a deſtructa Hieroſolyma, atque adeo ſeq. anno illatum a Nebucadnezare Aegyptiis bellum, cujus primo anno videtur periiſſe Hophra. Etenim Hic Patri ſucceſſit, qui mortuus anno Zedekiæ Quarto, etiam ex Euſebii Chronico. Superſunt hinc usque ad deſtructam Hieroſolymam *Septem* anni: Qui ſi addantur *Septendecim* annis usque ad captam Tyrum, habemus jam annos Apriis XXIV. Sequenti anno, qui ita eſt *Quintus & Vigeſimus* Apriis, ſeu *Octavus Decimus* a deſtructa Hieroſolyma, cœpit bellum, in cujus primo anno ipſe periit. Accedit quod Amaſidi ab Herodoto & Africano pariter tribuantur anni XLIV. quorum initium neceſſario ducendum ab anno Undevigeſimo deſtructæ Hier. ſeu Anno XXXVIII. Nebucadnezaris. Hinc enim usque ad illius Mortem ſuperſunt Octo anni. Adde 2. Evilmerodachi, 4. Nerigliſſori, 17. Nabonadii, 9. Cyri ex Canone Ptolemaico, denique 4. Cambyſis: ſic habemus XLIV. annos. Mortuus autem Amaſis anno Quarto Cambyſis exeunte.

Quocirca ſi non Unum ex iſtis Duobus Annis, habeamus ergo Alterutrum, pro Certo ſatis, quo bellum a Nebucadnezare

mo-

moveri cœperit in Aegyptum. Cœpit igitur vel *Sexto decimo ab Hier. destructa* anno, & *Nebucadnezaris Quinto & Trigesimo*, vel forsan potius *Octavo Decimo destr. Hier.* & XXXVII. *Nebucadnezaris.* Hoc autem primo Belli anno, ut diximus, periisse videtur Hophra seu Apries, & ita dein Aegyptus plane debellata, vastata, & in solitudinem redacta. Nam neutiquam probare possum, quod Doctiss. Usserius, Hophram post Aegyptum jam plane vastatam, superfuisse per integrum fere biennium, ac tum demum conductis Jonum & Carum Triginta millibus, conflixisse apud Memphin cum Amaside, sed quo prælio victus, captus, & aliquandiu in custodia habitus, tandem volente & efflagitante populo, strangulatus fuerit. Vide Eum ad Ann. Mundi 3433. & 3435. Nequaquam enim hæc conveniunt illis, quæ a Prophetis Jeremia & Ezechiele sunt prædicta. Pariter Hi Aegypto & Pharaoni, qui tunc erat, eventura omnia mala dicunt ab Nebucadnezare: Eum *Pharaonem, & qui confidunt ei, traditum iri in manus Nebucadnezaris & servorum ejus, Jerem.* XLVI. 25. 26. cum quo conferri debet XLIV. 30. ubi hic Pharao diserte nominatur *Hophra.* Similiter Ezechiel, sed quæ ne repetam, velim videas supra jam *pag.* 522. a me allata.

 Dein-

Deinde si Hophra mansit Rex post decessum Nebucadnezaris ex Aegypto, & ita ut conduxerit 30000. extrariorum militum, & depugnaverit cum suis denuo Aegyptiis, ubi tunc illa desolatio Aegypti maxima, per Nebucadnezarem facta? ubi ille status rerum Aegypti, ut non amplius habeat Præsidem, nedum Regem? Sine dubio itaque periit Hophra in initio *Belli*, occisus a Babyloniis, pugna in finibus Aegypti commissa, quod Aegyptii Sacerdotes apud Herodotum dissimularunt, eaque gratia aliam finxerunt Mortis ejus, & Successionis Amasidis, Historiam, sicuti pro Israëlitis ex Aegypto tam gloriose exeuntibus obtrudunt nobis modo Pastorum, modo Leprosorum Historiam.

Sed neque admiserim facile, quod idem Usserius *Septem annos*, quibus Babylonius ille Rex vitam egit bestiis agri similem, conjicit in ultimum plane vitæ illius tempus, adeo ut proximo anno post Septem illos mortem obierit [a]. Neque enim videtur id ferre ratio temporis inter bellum in Aegyptios cœptum, & Nebucadnezaris mortem. Ponamus, quod tunc omnino ponendum foret, bellum cœpisse Prio-re

[a] Sic quoque Humfr. Prideaux in Ann. ante N. C. IↃLXII. Sed vid. quae ibi adversus hanc sententiam disputat Driebergius.

re ex Duobus illis annis, quorum alterutrum fuiſſe primum illius Belli modo oſtendimus, h. e. anno *Neb. Quinto & Trigeſimo*, ſeu *Jechoniæ Deportati* XXVII. Non credibile eſt, Eum uno & altero anno omnia hæc peregiſſe, quæ feciſſe dicitur, redegiſſe Aegyptum omnem in ſolitudinem deſolatiſſimam, cepiſſe & deſtruxiſſe omnes ejus munitas Urbes a Peluſio & Heliopoli, usque ad ipſas Thebas, quæ cum Memphi & aliis nominatim recenſentur *Ezech.* XXX. 14. 15. 16. 17. 18. Domuiſſe etiam finitimos ultra Aegyptum ſitos, *Putæos*, *Ludæos*, *Cubæos*, Ezech. XXX. 5. ſubegiſſe Libyam omnem, & certe tantas res geſſisſe, ut Megaſthenes, aliique cum eo, illum victoriis ſuis peragraſſe omnem Africam usque ad Herculis columnas, immo in Hiſpaniam transiiſſe, tradiderint. Falſum hoc ſit, & immodice auctum, ſed tamen oportet magnas & multas Nebucadnezarem res in Libya geſſiſſe, ut illi eo usque ejus victoriam extenderint. Impenderit jam huic Bello tres vel quatuor annos, qui Uni Hieroſolymæ duos impendit, & Tyro tredecim, vel, ſi vis, XI. Ita vero *Septem anni* a Daniele *cap.* IV. memorati excedent vitæ illius terminum. Nam debuiſſet poſt hoc bellum rediiſſe Babylonem, & ibi aliquandiu *ſediſſe otioſus in palatio*

suo, tum somniasse somnium, quod Daniel illi exposuit, ac dein post integrum demum annum incidisse in illam mentis deminutionem, unde post *Septem annos* resipiscens ad se redierit & ad *Regni* pristinam *gloriam*, & *requisitus a Gubernatoribus & Proceribus suis, ita fuerit in Regno confirmatus, ut amplitudo major ipsi sit addita*, *Dan.* IV. 36. quod ipsum postea ad gloriam Dei Supremi, a quo hæc omnia ipsi obvenerint, declarandam, publico edicto palam fecerit omnibus populis, ut in eodem *Capite* traditur. Jam vero, si, ut diximus, Belli Aegyptii initium inciderit in XXVII. Jechoniæ, ante quem annum ut illud statuamus non permittit Ezechielis locus, ac dein si maxime contrahamus tempus, quantum potest, & proinde huic bello tres tantum demus annos, post quos statim redierit Babylonem, & statim somniaverit, jamque addamus Integrum Annum inter somnium & delirium, atque ipsius delirii Septem annos; ita habebimus XI. annos, quot summum, immo vix, ab illo XXVII. *Jech. deportati anno* vixit Nebucadnezar, atque adeo hac ratione incidet Finis delirii in ultimum vitæ ejus momentum. Id vero neutiquam convenit cum iis, quæ modo de restitutione illius

&

& *confirmatione in Regno, & majore amplitudine illi addita* ex Daniele memoravimus; ut quilibet, opinor, mecum judicabit. Quo ergo referemus illos Annos imminutæ mentis in Nebucadnezare? Putem omnino rejiciendos esse in illud intervallum, quod inter Jechoniam deportatum & Hierosolymam ultimis Zedekiæ annis obsessam intercessit [a]. Satis enim amplum id est huic negotio, quippe quod habet integros octo annos: nec quidquam rerum illo tanto temporis spatio gessisse Nebucadnezar legitur, quum dein maximas res continua serie gesserit, in qua octo illos annos Somnii & Delirii reperire haud possumus. Et forsan hæc mentis valetudo in Nebucadnezare, causam tunc dedit Regi Aegyptio, Hophræ, iterum invalescendi eum in modum, quem Sacra nobis Scriptura simul & Græci Auctores referunt, ac Zedekiæ Judæorum Regi deficiendi ab illo Babylonio, a quo tamen Rex constitutus fuerat.

Ceterum, ut ad primum Aegyptii belli annum revertamur, sive is jam xxxv.

 seu

a Driebergius *l. d.* putat referendos esse ad id tempus, quo Tyrus obsidebatur, eamque potuisse esse causam in tot annos tractae obsidionis suspicatur.

seu XXXVII. fuerit Nebucadnezaris, censemus isthoc anno periisse Hophram, a Babyloniis victum & relictum insepultum. Nebucadnezarem tum porro omnes majores Aegypti Urbes occupasse, diripuisse, & inflammasse, quod sine vi bellica, & aliqua in singulis mora fieri non potuit. Dein quum vastasset jam Aegyptum, contendisse in Libyam, eamque itidem domuisse, quoniam auxilium tulerat Aegyptiis, quod utrumque ex *Jerem.* XLVI. 9. & *Ezech.* XXX. 5. videtur colligendum; præfecisse autem reliquiis Aegypti Amasin, Aegyptium quidem, sed *plebejum* hominem, ut notum est ex sua ipsius confessione apud Herodotum II. 172. Fuit itaque ille tunc non Rex Aegypti, sed Satrapes Babylonius, æque ac Godolia in Judæa post destructam Hierosolymam, & Reges ac Judices Tyrii post dirutam Tyrum. Verum ille post mortem Nebucadnezaris, quum Regni Babylonici vis & potentia intestinis malis, Regumque mutationibus ac cædibus, concideret, vel magis indies debilitaretur, palam se pro Rege Aegypti vero, ac sui juris, gessit. Nec tamen adeo potens dein fuit, qualem Herodotus ac Diodorus eum nobis prædicant. Nam certe, ut ex ipso Herodoto III.

1. constat, Persis imparem prorsus se ipse duxit, & Cyrus ab eo, tanquam qui obsequi sibi deberet, postulavit, *præstantissimum oculorum Medicum, qui esset in Aegypto*; porro ipse Amasis metuit valde Cambysis offensam, nec ausus est illi negare suam Filiam, licet dare gravaretur, atque ideo aliam pro Filia suppositam illi submisit. Suaserat autem ille Medicus Cambysi, ut Amasidis Filiam postularet sibi in matrimonium; nam ita ille vindictam de Eo percepturum se credebat, *aut data filia dolituro, aut non data offensuro Cambysen*, cujus *vires horrere* eum *ac formidare* satis sciebat. Sed & facillime dein ejus Filius cum suis Aegyptiis fuit victus a Cambyse, licet tunc illi XL. anni Desolationis jam præteriissent. Nam vel sic manebat Aegyptus humile & debile regnum, quod semper fere ex illo tempore in aliarum gentium fide ac tutela ideo egit. Unde Ezechiel XXIX, 15. post XL. illos annos, *præ reliquis regnis erit humile, neque se extollet amplius supra Gentes; imminuam enim eos, ne dominentur in Gentes*, ut fecerant sub ultimis Regibus, Psammeticho, Nechaone & Hophra. Desierunt ergo illi XL. anni in Regno Cyri, intra quod tempus Amasis paulatim sua prudentia & æquitate Aegyptios in varias gentes dilapsos in

suam collegit denuo patriam, immo & aliunde incolas invitavit, Græcos inprimis, quibus Naucratim, præcipuum & ferme unicum Aegypti emporium, concessit. Vide Herod. II. 178. 180. Ita vero solitudinem Aegypti paulatim ille imminuit, ut tamen deinceps esset & maneret humile regnum, nec diu sui juris. Hanc unam Ego rationem reperio constituendi Aegyptiacam hanc ultimi temporis Historiam, de qua adeo in diversum abierunt Scriptores Sacri & Profani.

FINIS.

TABULA

T A B U L A

Synchronismorum Hiſtoricorum in Rebus Ægyptiis, Hebraicis, Aliisque.

DILUVIUM.

Diſperſio Hominum ex Sinear.	*Meſtræi, Heroës,* ſeu *SemiDei*, qui poſt *Deos*, h. e. Antediluvianos, in Aegypto dicuntur regnaſſe.
	Menes primus Rex Aegypti poſt *Deos* & *SemiDeos.*
Abrahamus.	*XIV. vel XV. Dynaſtiæ Manethonis fabuloſæ.*
Iſacus. *Jacobus.* *Iſraëlitæ* in Aegypto egerunt 430. annis.	*Paſtores* in Aegypto *Dynaſtiarum XV. XVI. XVII.*

Ma-

Moses.	*Inachus* primus Rex Argivorum cœpit x. annis ante natum Mosen.	*Pyramides* exstructæ.
Exitus Israëlitarum ex Aegypto.	*Phoroneus* Inachi F. *Apis* Phoronei F.	*Exitus Pastorum* ex Aegypto. *Amosis* vel *Tethmosis*, primus Rex *Dynastiæ XVIII.* cœpit statim post exitum Israëlit. ex Aegypto.
Josuas. *Servitutes.* *Cananæa.*		*Sesostris*, qui & *Ramesses*, vel *Rhamses* inter ultimos *Dynastiæ XVIII.* Reges.
	Ninus Assyriorum Monarchiæ conditor.	
		Sethos, qui & *Proteus*, Primus *Dyn. XIX.* Rex.

Judices Ultimi.	*Troja Capta.*	*Rhameſſes*, ſub quo captum Ilium.
Salomon.		*Vaphres*, ſeu *Venephes*, Socer Salomonis, Rex ultimus *Dynaſt.* XX.
Rehabeam.		*Siſacus*, ſeu *Smedes*, Rex primus *Dyn.* XXI.
Hoſeas, Rex Iſraëlis ultimus. *Hiskias*, Rex Judæ.	*Sennacheribus*, Rex Aſſyriorum.	*Zethus*, ultimus *Dyn.* XXIII. *Sethon* Herodoti, *Sous* Scripturæ Sacræ.
		Bocchoris, Rex *Dyn.* XXIV.
Manaſſes.	*Eſarhaddon*, *Aſſaradinus*, *Sarchedon*, *Sarchon*, cepit Babylonem & Azotum. *Saosducheus.*	*Tirhakus*, *Taracus*, *Tearco*, *Sabaco*, Aethiops, Rex potentiſſimus in *Dynaſtia* XXV.

Jo-

	Chyniladanus, ultimus *Assyriorum*.	
Josias.	*Nabopollassar*, primus Rex Babyloniorum post depulsos *Assyrios*, regnavit annos XXI. mortuus anno Jehojakimi Quinto. *Epocha Babylonica*.	*Phar. Nechao*, Psammetichi F. Rex Quintus *Dynast*. XXVI. vicit *Josiam*, regnavit annos XVI.
Jehoachaz, a Nechaone abductus in Aegyptum, eique substitutus *Jehojakimus*.		
	Nebucadnezar cœpit secundum Judæos anno *Jehojakimi* IV. & regnavit XLV. annos: secundum Babylonios autem anno *Jehojakimi* VI. & regnavit XLIII. annos.	
		Psammis Nechaonis F. regnavit annos VI.

Jechonias deportatus Babylonem.		
	Ejus *septem Anni Delirii.*	
Zedekias, ultimus Rex Judæ.		*Hophra* S. Scripturæ, *Apries* Herodoti, *Vaphres* Manethonis vel LXX. Interpretum, Rex potentissimus Aegypti, percussit Gazam: regnavit XXV. annos.
Capta & destructa Hierosolyma.		
Quinto anno post; & ----	XXIII. *Nebucadnezaris* bello petita *Tyrus*, & XIII. annis post expugnata.	
post XXVII. *a deportatione Jechoniæ annum*,	seu *anno* XXXVIII. *Nebucadnezaris*, ------	Vastata *Aegyptus.*
		Amasis, Satrapes Aegypto præfectus a Nebucadnezare, postea se pro Rege gessit, & ideo

	ideo tribuuntur ei XLIV. anni ab *Aegyptiis.*
Nebucadnezar domuit *Libyam*, *Hispaniam*, & inde colonia ducta *Iberos ad Pontum Euxinum* condidit.	*Aegyptus* sub eo mansit debile Regnum, quod & statim post ejus mortem redactum est a *Cambyse*, *Cyri F.* in provinciam Persarum.

INDEX

Rerum, & Auctorum, qui explicantur vel emendantur.

A.

B.

 qui

Cheops

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

Le-

M.

My-

N.

O.

P.

Phœ-

R.

S.

T.


V.

FINIS.

ERRA-

ERRATA.

Pag. 6. *v.* ult. *leg.* aliisve *pag.* 10. *v.* 1. *l.* terrarum *pag.* 13. *v.* 3. *l.* temporibus *pag.* 16. *v.* 5. *l.* vel Mestræos *pag.* 33. *v.* 8. *l.* ὄιμαι. *pag.* 78. *v.* 18. *l.* Marshamo. *pag.* 99. *v.* 30. *l.* aquarum hieme admodum lutosa *Ibid.* *v.* ult. *l.* Boeotias *pag.* 110. *v.* 29. *l.* reliquis *pag.* 140. *v.* 9. *l.* *inter quos ab se.* *pag.* 142. *v.* 22. *l.* Nam cum *pag.* 163. *v.* 23. *l.* tractat *pag.* 172. *v.* 2. *l.* studet *pag.* 180. *v.* 8. *l.* cui Josephus *pag.* 256. *v.* 20. *l.* *Aegyptios* *pag.* 305. *v.* ult. *l.* Danai *Frater* *pag.* 333. *v.* 28. *l.* Cananæam *pag.* 368. *v.* 15. *l.* ἐξήεσαν *pag.* 377. *v.* 14. *l.* ultimos



TRAJECTI ad RHENUM.
Typis Gulielmi Joannis Reers.



